J. D. FUSS

POEMATA LATINA,

ADJECTIS ET GRÆCIS

GERMANICISQUE NONNULLIS,

HOC

VOLUMINE PRIMUM CONJUNCTA.

INSUNT SCHILLERI, GOETHEI, GUIL. SCHLEGEL, KLOPSTOCKII, DE-LAMARTINII ALIORUMQUE POETARUM CARMINA VERTENDO AUT IMITANDO LATINE EXPRESSA.

ACCEDIT, PRÆTER NOTAS IN CARMINA, DE LINGUÆ LATINÆ CUM OMNINO AD SCRIBENDUM TUM AD POESIN USU, DEQUE POESI ET POETIS NEOLATINIS DISSERTATIO.

LEODII,

TYPIS H. DESSAIN, IMPENSIS AUCTORIS.

(PROSTAT ET LIPSIÆ APUD FRED. FLEISCHER.)

A. MDCCCXXXVII.

IN VETERIS ROMÆ POETIS DOCTO ET SAGACI CRITICO,

M. D. NISARD,

CUI SUAM IN POESI NEOLATINA

POSITAM OPERAM

HIC PUBLICE HUJUS VOLUMINIS DEDICAT AUCTOR.

Quid valeant vates Latii, Nisarde, recentis,
Noscere per temet si tibi cura fuit;
Tu quoque reppereris, veterum dulcedine captus
Quos studio dignos non neget esse suo;
Sive alios magis Europæ mireris in orbe,
Seu gentis quondam nomina clara tuæ:
Ore nitet leni quæ cancellarius inter,
Et sacro divis pectine Sanctolius,
Raraque Commiri et Vanieri gratia, nostro
Quosque alios sæclo fata sinistra premunt.
Horum, quæ sperni doleas, monumenta virorum
Si quid, amans pulchri quo tenearis, habent;
Adspice, an et nostræ quidquam sit suave camœnæ,
Quæ patriam latiis ausa referre modis,
Quæque Lamartini celsæ modulamina linguæ
Reddere, quæ pulchrum gaudet ubique colens.
Ecce, tibi lima fert emendata severa,
Et, possis, optat, munus amare suum:
Inclyte, sic, priscæ censor Nisarde, probante
Sit nova judicio crescere læta tuo.

PRÆFATIO.

Poesin neolatinam hodie vulgo neglectam, a multis contemtam quoque irrisamque jacere, nemo ignorat. Nobis, de hac re, neque repetenda hic sunt cum in dissertatione, tum in carminibus hujus voluminis nonnullis disputata, neque vero alia adjicienda, quibus lætiorem huic litterarum parti sortem vel optandam, vel aliquando, ac brevi fortasse redituram esse, demonstremus. Etenim, et ea nos dixisse putamus, quibus qui non moveatur, hunc supervacaneum crederemus pluribus voluisse docere; et vero quæstionem eo fere deductam cernimus, ubi minus jam disserendum poesis neolatinæ fautoribus, quam, ut eximiis ingenii monumentis ditetur, contendendum esse videatur. Quod adfirmantes, minime quidem volumus, egregia illi nostra ante tempora defuisse; sed ad vetustiora, quibus per aliquot sæcula floruit, nova, eaque inprimis addenda existimamus, quibus, aptioribus videlicet neolatinorum cum recentiorum linguarum principibus poetis comparationi, illos immerito spretos, quantumque lingua latina possit, lucidius pleniusque adpareat. Me vero ipsum, eximia utique vertentem, talia dedisse, nec tam mei amator ingenii sum, ut confidere, ut suspicari ausim, neque adeo ridiculus, ut, si ausim, mihimet hoc declarandum arbitrarer. Sed conatum tamen me esse cur verear profiteri, adeo non video, ut contra erubescendum mihi ducerem, si nullo satis digno laboris proposito, nullave successus spe, per tot annos poesis latinæ studio carminibusque, et aliorum vertendis et propriis componendis, plurimum temporis consecrassem.

Enimvero, multum me interpretem, multum etiam in propriis sincera et poesin decente dictione voluisse, fateor: an aliquid, an nihil effecerim, alii dirimant; quos carminibus illis, nunc primum omnibus hoc volumine collectis, neque versibus tantum, sed omnino industriæ meæ in poesi neolatina colenda atque tuenda, doctos et æquos judices, in præsentia quidem, opto magis, quam multos me nacturum spero. Nam et doctos hic censores, certe, si antiquiora tempora conferas, perpaucos reperiri, me non fugit, et, quos idoneos doctrina redderet, ex his, metuendum nimis est, cum raros fore, qui neolatina sive alia sive mea aliquantum curent, tum vero in his ipsis paucissimos, quos, doctos juxta indoctosque occupans, sinistra de poetis neolatinis existimatio æquos judices esse patiatur. Quo justius autem, talem conatibus meis sortem etiamnunc propositam, auguror; eo magis est, cur læter propitios tamen illis prudentesque æstimatores, ac ne publice quidem prorsus defuisse; inter quos honoris causa hic præ aliis gratoque animo nominandi, clariss. viri, Jacob et Friedemann, ille scriptionum aliquot mearum in ephemeride litteraria censor, hic suis in operibus propositi mei laborisque, non sine benevolentiæ significatione, laudator. Tales adeo fautores, quamlibet pauci, me solentur erigantque audientem consueta illa neolatinis occinentes: quid stolidi littus aratis? Cui vivorum sudatis? Quod miseri præmium a mortuis exspectatis? Postremo denique, si nemo jam defensor superet, me conscientia, intima me persuasio, rei nec levis omnino in litteris momenti, et pulchrum amantis studio dignissimæ, patrocinium a me susceptum esse, tueatur.

Quanquam de lectoribus aut paucis aut nul-

lis poetæ neolatino sperandis, ut, quod experientia jubet, dicam, non videas cur recentiori lingua utentium criticos minus, quam neolatinorum, misereat. Enimvero, quem nostræ ætatis poetam, si tres quatuorve apud singulas nationes, si unum apud nonnullas aut ne unum quidem excipias: quem igitur lectoribus multis gaudentem cernimus? Aut, si quis in præsentia paulo felicior, cui tandem credibile dicemus, e centum, quos nunc habeat, post decem annos plures duobus tribusve superaturos? Neque est profecto, cur sic accidere miremur. Etenim, nec unquam sui statim lectores dignissimo cuique, prout meruisset, numerosi fuerunt; et ea jam pridem est recentiorum in linguis poetarum apud gentes litteris cultissimas conditio, ut, qui ingenio olim lectores plurimos, quin etiam admiratores reperissent, iidem nunc, nisi majus aliquid et plane singularis præstantiæ, qualia singulis sæculis pauca extitere, proferant, aut raros, aut, si sat multos, in breve utique tempus sortiantur. Sic adeo, qui cum antiquioribus una florere potuissent, quia sero venerunt, aliorum honoris famæque loco exclusi, paucissimis cultoribus quasi precariam aliquamdiu vitam trahentes, mox perpetuæ oblivioni, in indicibus litterariis modo superstites, traduntur.

Quæ intuens, remque minime simplicem probe expendens ne valde quidem, opinor, mirari possit, si quis lætiorem aliquando, quam recentiori in lingua poetæ, neolatini conditionem fore, faciliusque hunc mansuram ingenii famam consecuturum esse, persuasum habeat. Sed enim sexcenta hic, ut veritatis non inanem speciem indueremus, consideranda forent, quibus hæc præfatio ne attingendis quidem, nedum tractandis, spatium concederet. Hoc igitur adfirmare utique hic satis habemus, justam causam hodie nullam superare, cur, quod ad lectores, præ cæteris poetis iniquiore sorte neolatini deterreantur. Tametsi enim: quidni verum fateamur? tametsi credibile non est, ullum posse unquam in eodem eminere fastigio, quo recentiores populi suos quique poetas, nempe e millibus unum alterumve, ut Germani Gœtheum, Itali Dantem aut Tassum, extulerunt; tamen eam, cujus rarum quoque ingenium non pœniteat, gloriam illis non desperandam existimamus. Hanc adeo ut, simulque de poesi neolatina bene mereri studeant, alios hortari exemplo volui, si, quod ad meam operam, infausto, at certe, quod ad rem ipsam attinet, ut difficili, sic bono litterarum, si quid judico, optabili, nec sane, ut hoc addam, minoris æstimando, quam vigentes hodie, idque neglecto sæpe profundiore veterum linguarum studio, philologorum in rebus non obscuris modo, sed manifesto jam desperandis disputationes, quas tamen sic quoque non omnes spernendas, et nonnullas valde laudandas reputamus.

Quemadmodum igitur homericæ, ut hoc utar, poesis originem fataque amplis voluminibus hodieque, novis usque conjecturis, quin veritati propiores nos videamus, detexentes non ferimus tantum, sed, tanquam veros demum philologos, et altioris naturæ criticos miramur; sic a talibus æquum sit flagitare, ut mitiores denuo illis se præbere velint, qui, aliis partes suas, doctrinæ laborisque plenissimas, nulla invidia relinquentes, ipsi id contendere non erubescendum ducunt, ut veterum ingeniis sermone atque arte haud indigna componant, et, quæ præstantissima habent recentiores, ea vertentes imitantesque illa lingua gentibus exhibeant, cui divinitus commissam olim generis humani culturam cernimus, cujusque dotibus, nemo romanæ eloquentiæ gnarus, recentiores linguas longe superari, negaverit; persuasi scilicet illi, quæ pulchra mens humana concipiat, in Virgilii, Horatii et Ovidii sermone etiamnunc posse, nec minus, quam olim, splendere, præclarumque reputantes, si, quæ per sæcula nobilissimorum virorum inter recentis Europæ gentes animum ingeniumque complexa, inique contenta, excelsum in munus, quatenus poesis, quatenus bonarum ratio litterarum flagitet, restituatur, persuasi denique, quæ pulchra vere sint, nulla in lingua minus, quam in latina, nulli jam mutationi obnoxia, tempore adfligi, nedum interire posse, eademque, quod hic minime omittendum, maximam partem talia esse, ut, quemadmodum ab natura humana, æternum sibi constante, non a populi studiis moribusque variante statu, splendorem ducunt, sic non tam plebis ore, quam eruditorum cultu memoriaque vigeant.

Ad hanc igitur pulchritudinem, ad hæc tentanda litterarum monumenta, quum romanæ facundiæ, quum poesis amantes hortamur, superfluum profecto fuerit addere, nec quemvis hominem, quantumvis eruditum, tam arduas partes decere, nec vero vel raro ingenio quempiam hic sine maxima industria, quod insigni doctorum laude dignum sit, præstiturum; atque adeo, qui non constanter omnique animi contentione in poesi neolatina supra vulgaria conari constituerit, si mediocribus, ne dicam futilibus, famam aliquam consequatur, et ipsius et laudatorum eo graviorem culpam esse, quo magis in poesi neolatina, eruditorum modo, non plebejam oblectationem quærente, multa, quæ in recentiori lingua merito tolerentur, supervacanea sunt nulliusque omnino pretii existimanda: quæ si tamen aliquo in honore habeamus, eo ipso rei, summorum virorum studio dignissimæ, ne vehementer noceamus, jure metuemus.

Est adeo doctis gravibusque judicibus hic magnopere cavendum, ne quid temere, ne quid amice fœtibus partim rudibus atque inficetis, partim monstrosæ deformitatis, tribuant, quos hoc ipso tempore in Germania, tam veterum litterarum amore scientiaque eminente, et prælo vulgatos et turpi vel inscitia vel benignitate publice laudatos reperimus. Quid enim doctorum auribus, quid posterorum memoriæ dignum neolatina in poesi efficient, quorum versus auctores, alios in futilibus ludentes, alios poeticæ insuper dictionis, aut adeo sinceræ omnino latinitatis rudes arguant? Quos nominare quidem nullos placet; sed, quales sint, latine docti, nec pulchri sensu expertes, et veterum poetarum suavitate imbuti, ex iis facile colligerent, quæ multis in hoc volumine locis proponimus, exemplis non pessimorum, sed illorum potius utentes, quos ephemerides litterariæ, sive vertentes sive suo ingenio poetas prædicarunt.

Quanquam fateor, vel pessimos quosdam mihi interpretes ita displicere, ut meliores, certe latinos magis in propriis futuros fuisse, crederem; nec enim non verissimum judico, longe difficiliorem, quod ad linguam attinet, esse interpretis, quam sua componentis operam: quales interdum felicior memoria poetas sermone non plane ineptos, scilicet non tam animum lingua, quam linguam animo ducem sequente, præstat. At eadem componendi ratio vertenti nequaquam conceditur, utpote non latina solum, sed vertendis sensu convenientia meminisse coacto; unde, ut difficillimus, sic inutilis plerumque linguam non egregie callenti labor; omninoque id accidere necesse est, quod Feuerleinio in Schilleri lyricis exprimendis; cujus latina archetypo conferens, non raro talem discrepantiam cerneres, ut, nisi incredibilis hæc stoliditas foret, posses sane suspicari, interpretem ante omnia cavendum putasse, ne quid videretur iis verbis reddere, quibus auctor, latine sua componens, si linguæ satis peritum ponamus, usus ante alia fuisset. Hoc igitur si viro latine, id enim non negem, docto, eidemque laboriosissimo, et Schilleri sex circiter versuum millibus vertendis decem annos consecranti: si, hoc, inquam, Feuerleinio accidit, nonne hinc vel rei, de qua agimus, parum gnarus tamen intelligeret, non mediocrem linguæ, sed eam scientiam requiri, qua statim, nec passim ad lexica recurrens, discerneres, quid congruentibus verbis recte, quid minus, quid omnino reddere non possis. Enimvero, qui hanc scientiam nondum assecutus, et ad lexica sæpe frustra confugiet, et, laboris tædio desperans, fingere scilicet archetypo simile aliquid cogetur, quod, quum ipsum nequeat, satis recte se redditurum confidat.

Nos autem, de vertendi difficultate, ne hæc pauca quidem hic diceremus, nisi, quod in dissertatione quoque attigimus, ad poesin neolatinam a contemtu vindicandam doctos dignosque clarissimorum recentioribus in linguis poetarum interpretes plurimum, imo non minus posse conferre, quam in propriis feliciter versantes, persuasum haberemus. Neque vero aliam ob causam ipse, videlicet non tam ingenio, quod nisi ridiculus nemo sibi facile tribuerit, quam labore me neolatinis utilem operam navaturum sperans, eximia poemata vertendo, quantum vires meæ ferrent, conatus sum. Re enim, ut hic alias sæpiusque a me dictum repetam, re probare volebam, latine cum ad sensum plene, tum, quod ad primarias styli dotes, non minus bene, non minus sive graviter et nervose, sive lepide, vivido ve et suavi colore efferri, quam recentiorum linguis ea ipsa posse, quæ non expertus, etsi latine non mediocriter doctus, ab aureæ ætatis sermone, non mirer, si nimis aliena, in iisque ita, ut veterem poesin amanti placerent, reddendis omnem laborem supervacaneum reputaret. Ac fatendum profecto, si quæstio hæc quorundam, Feuerleinii puta aut Seyffertii, opera sit dirimenda, nihil verius illa sententia videri; utrosque enim, ac de Feuerleinio modo animadvertimus, utrosque crederes, germanica vertentes, lingua usos esse, qua nonnisi perpauca, imo, qua ne ea quidem congrua cum germanico forma satis recte et venuste exprimere daretur, quæ, ut sæpe in Schilleri versibus, cum veterum scriptorum sermone locutionibus ita conveniant, ut, nisi alias contrarium scires, auctorem illa ad veterum verba accommodasse, facile conjiceres.

Ab his igitur plane diversam ipse viam ingressus, non satis habui latine aliquid dicere, quod sententia nonnihil cum vertendo congrueret; sed ipsum plene, neque plene tantum, sed, ubicunque gravis ratio non vetaret, convenientibus quoque verbis et loquendi forma reddere volui. Nimirum ante omnia ad archetypi præstantiam, quam proxime fieri posset, accedere nitens, ubi verborum, ut ita dicam, fides aut omnino æquare illam non valeret, aut certe numeris impedito liberum satis incessum negaret, missis jam verbis, sententia modo accurate expressa id egi, ut quam minimam vertentis speciem relinquerem. Neque enim alia ratione, quod utrumque propositum erat, effici posse judicabam; ut interpretes poesin latinam carminibus ditarent, quæ, etsi, nulla cum archetypo comparatione, eximia per se haberentur, illius tamen præstantiam, eamque melius adeo, quam verbis fida translatio valeret, exhiberent. Dixi, quomodo vertere, quid demonstrare refellendis neolatinæ poesis adversariis voluerim; an, rectum utique conatus, bene etiam

verterim, aliud est, neo mihi dijudicandum. Illud tamen vel, si male munere functus, arguere et potui, et vere arguisse me puto; quæ scilicet multa, magnamque partem difficillima, germanica, quædam etiam gallica reddidi, in his non linguæ indolem copiamve mihi, quominus optime redderem, sed cum pleniore linguæ scientia alias boni interpretis dotes defuisse.

De carminum autem vertendorum delectu, ut duplex, quod diximus, propositum fuit, litteris latinis eximia recentiorum carmina, ac præsertim ea, quæ a veterum poesi indole plurimum discreparent, addere, simulque demonstrando, quid bonæ ætatis sive classica, ut ajunt, latinitas valeat, vulgarem hodie de hac re persuasionem refutare; sic igitur in delectu quoque alia, ut pulcherrima, aut saltem aliquo nomine ad propositum nostrum gravissima, alia linguæ simul comparandæ causa, quædam denique ob hanc maxime elegimus. De quo nec prolixe acturo hic spatium sufficeret, et ideo minus necesse est, quoniam alias in hoc volumine sæpiusque ad illam rem trahenda animadvertimus.

Ad formam vero carminum quod attinet, in aliis antiquum metrum, ut in Schlegelis et Gœthei elegiis, et in Klopstockii odis, servavimus; ac sane non videas, cur aliud maluissemus; alia autem, homœoteleutis iambis trochæisve composita, antiquis numeris, quædam denique ex his quoque, sed, si Schilleriana excipias, paucissima, retenta versuum forma, reddidimus. Ipsa autem consonantia, (sic *rimam* vocare nobis placuit,) a veterum bonæ ætatis poesi aliena, sitne, sive omnino neolatinis, sive in carminibus saltem, quæ mutata forma placere nequeant, vertendis, commendanda, an hic quoque respuenda, quæstio est nec simplex profecto, nec levis momenti; quam dissertatione, in hoc volumine sæpius memorata, tractavi; cui ne hanc quoque studii mei in poesi neolatina versati partem insererem, vel impensæ, sic nimium augendæ, vetuissent.

Plerisque poesin latinam amantibus in ea consonantiam illam, cui, missa cum veteribus comparatione, aures assuescendæ, interim parum probari, aut adeo vehementer fastidiri, non ignoro. Ipse autem, licet veterum numeros, consonantiæ, ut in germanica quoque lingua, repugnantes, in latina longe præferam, nec vero homœoteleutis ullo in carmine meo usus sim, fateor tamen, veterum me suavitate nequaquam impediri, quominus consonantia in latina sic, ut in recentioribus linguis, oblecter. Inter eos, queis consonantes versus, tanquam a linguæ latinæ ingenio abhorrentes, displicent, Friedemannum, inter contemtores Seyffertium illum, in notis hujus voluminis sæpius, nec non in carmine (pag. 94, ser. 1) occurrentem, reperimus: quem tamen, libenter concedimus, a consonantia sapienter sibi temperasse. Enimvero qui Gœthei et Schilleri quædam multis in locis turpi, ut alia hic taceamus, latinitate reddiderit, quid tandem illum non fuisse facturum crederes, si, veterum metrorum vinculis solutus, consonantia cum iambico aut trochaico accentus rhythmo conjungenda, majori difficultate impeditus, eadem carmina, velut Schilleri *die Kraniche des Ibycus*, aut difficiliora etiam tentasset? Sed satis de his.

Carminibus alienis, de germanico longe maximam partem translatis, mea, pari fere versuum numero, adjeci; utraque autem, diverso ante tempore diversisque libellis edita, in hoc volumine, paucioribus tamen meis quam translatis, aucta dedi. Ad auctorem vero quod attinet, omnino ab aliis distinguenda sunt, quæ tanquam ex parte mea, utpote admodum libere aliena, sive integra sive locos, interdum quidem ita imitantia, ut vel tota mihi vindicare salvo pudore potuissem; sed, ubicunque aliquid alieni esset, significare, idque plerumque in ipsa carminis inscriptione, quam plagiarii criminis vel umbram superesse, malui. Ad hanc porro significationem illud etiam trahendum, quod liberius, quam, ubi accurate verterem, expressa vocabulo *ad* auctoris ad nomen carminisque titulum addito, indicavi: quæ tametsi libere, ita tamen reddita, ut mihi ea ne ex parte quidem tribuere licuisset.

Cæterum, carmina mea, ut vetustioribus neolatinis versuum numero multis cedunt, sic, quos ætas nostra paucos tulit, ex his superstites, quos quidem norim, pæne omnes superant. Nec vero ex interpretibus latinis, quos non paucos, etsi germanicos tantum, novi, ulli superstiti, præter Fischerum, versuum copia inferior mansi: qua sane numero tantum vincenti ne laboris quidem ratione gloriandum foret. In poesi enim neolatina ut mediocria minus etiam multo, quam in recentioribus linguis, toleranda prorsusque inutilia reputanda sunt, sic in iisdem inprimis valet illud vulgo usurpatum: non multa, sed multum, sed egregium scilicet: cui verissimum hoc etiam addideris, antiquioribus quoque neolatinorum multis, velut Pontano et Baldeo, nihil valdius illa quæcunque fundente fœcunditate nocuisse. Quod si autem in propriis neolatinorum carminibus mali ominis est insignis versuum copia, haud scio, an pejoris adeo in interprete dicamus, cui, ne vel felicissimus alioquin labor inutilis videatur, et pulcherrima quæque summorum ingeniorum ante alia, et ea lingua vertenda sunt, in qua, ut supra diximus, quod ad ipsius dictionis classicam formam, facilior propria componentis, quam aliena accurate reddentis, opera sit judicanda. Equidem ipsum Fischerum, (de quo alio loco,) pauciora mallem se-

vere limasse et perfecisse, quam, ad nova properantem, post bona et egregia postremo vulgaria, et utcunque vertentis, ut mihi quidem videntur, edidisse.

De præstantia vero carminum voluminis nostri, quod ad translata attinet, Germaniæ poetarum nonnulla habes a sua gente, ut non alia magis, quædam vero apud exteros quoque celebrata: de quibus hic nil addimus ad ea, quæ, in notis, quamvis pauca, diximus; ubi nec illa, quæ minoris momenti, silentio, certe non omnia, præterimus. De meis autem, quod alibi dixi, hic repetam: si illa scilicet sola edidissem, sane non esset, cur cuiquam valde placitura crederem; nunc autem cum alienis conjuncta, jure vereor, ne, quo hæc sunt præstantiora, mea comparanti pejora etiam, quam vere sint, videantur. Argumento eadem varia satis diceres. Habent enim et elegiaca, in iisque nonnulla longissima, et lyrica, nec pauca, et omnes fere metrorum horatianorum formas reddentia (de quo vide notam ad pag. 36); habent satirica et didactica, non multa quidem carmina; sed quædam longa, unum longissimum. Nec vero epigrammata, ac ne describentia quidem prorsus desunt, quo trahendum carmen, quod germanice quoque damus, inscriptum *Aquisgrani regionis amœnitas*, etc.

Ab amatorio autem genere, puellas, amicas, oscula, noctes, dulcia, amara canenti, cui poetas neolatinos quodam non minus, quam alios, quam Gœtheum in *elegiis romanis*, indulgere cerneres, ego, si non prorsus abstinui, id certe curavi, ut, quæ paucissima, remota quidem omni lascivia, occurrunt, ea merum lusum esse, manifestum facerem. Nimirum tali in argumento, si propria sequerer, nihil sane aut elegis aut lyra dignum suppetebat, et ficta pro veris venditare, idque duplicem ob causam nolui. Etenim, tum in ipso genere pleraque apud veteres quoque minus, quam cætera in illis eminentia, et multa adeo fastidio magis quam amo; tum vero, quæ magnis ingeniis, etiam, ubi a persona eorum et dignitate alienissima videri possent, vel severæ frontis homines facile tamen condonamus, eadem me ne ridendum modo præberent, jure metuissem.

Latinis carminibus meis accedunt græca, adeo quidem pauca, ut hoc ipso veniam ab iis speremus, qui nec latina recentiorum, aut, si hæc aliquatenus, græca tamen nulla jam ratione toleranda existimant. Græca denique germanica sequuntur, neque multa hæc, nec alia, quam quæ, latina mea ipse vertens, composui; de quo vide de his notata. In notis, quæ carmina excipiunt, quid maxime voluerim, ipsis brevissime præfatus sum. Quæstionem de retinendo linguæ latinæ usu tractat carmina præcedens dissertatio, poesi tamen neolatinæ defendendæ potissimum destinata: quæ, una cum carminum meorum parte a. 1822 vulgata, quum statim turpissimis anonymi mendaciis, Beckianum in *Repertorium* receptis, infamata esset, non ideò minus viris doctis, sine personæ scilicet vel amore vel odio rem æstimantibus, non contemtam sed probatam cognovi. Diximus, quæ in hac præfatione declarare et monere operæ pretium putavimus. Tu vero, si quis es lector propitio in neolatinos, in Fracastorii, Lotichii, Sarbievii cultores, animo, nec mea, si quid habent illis non nimis indignum, contemnes; sin neolatinum nihil non fastidis, ne sic quidem mihi ob novum peccatum, nulla posthac carmina latina compositur o, succensebis. Revocant enim me et alia, jam diutius, vereor, quam licebat, neglecta; et ipsa ætas, *solve senescentem* adclamans, ut musas, nil invito jam genio tentans, amare ad extremum vitæ satis habeam, dudum me hortatur. Huic adeo voci obtemperans, volui tamen longa annorum serie a me composita, edita atque inedita, paucissimis tantum exceptis, veterum litterarum et linguæ latinæ amantibus collecta offerre: quibus si versibus placere frustra conatus sum, certe hac quoque opera studiis adolescentium utilem se præbere cupientem nemo reprehenderit, quibus, in litteris latinis, ne viva voce in posterum leodiensi in universitate prodesse possim, nova munerum inter docentes divisione effectum est, fixumque interim, veteres me mihi partes frustra optante, manet.

Scribebam Leodii, m. sept. a. 1836.

DE

LINGUÆ LATINÆ

CUM OMNINO AD SCRIBENDUM TUM AD POESIN USU,

DEQUE POESI ET POETIS NEOLATINIS

DISSERTATIO,

SECUNDIS HIC CURIS EMENDATIOR, NONNIHIL ETIAM AUCTIOR EDITA. *

---

1. Quæ, secundæ *Romæ* Schlegelianæ versioni præfantes, bina in aliam nos differre disputationis occasionem diximus, ea nunc ex parte utique præstamus, de linguæ latinæ cum universo ad scribendum tum ad poesin usu, deque poetis neolatinis ** dissertationem una cum carminibus latinis, partim ineditis, vulgantes. Itaque, angustiorem campum percursuri, omissa nunc veterum litterarum sive per se, sive ad liberalem juventutis institutionem præstantia, quæ proprie magis ad propositam modo quæstionem pertinent, ea hic idoneo loco tractare constituimus, alterum argumentum novæ opportunitati servantes; atque eo magis; quoniam, vel sic facientibus, uberrima disputationis materies relinquitur, certe limites, intra quos standum duximus, longe excessura, nisi, severo rerum discrimine, quæ non præcipui ad questionem momenti, attingere tantum satis habeamus.

2. Sunt enim duo nobis proposita: alterum, ut linguæ latinæ ad scribendum usum et vulgo et doctis etiam male displicuisse, alterum, quæ primaria pars disputationis, ut poesin neolatinam immerito contentam doceamus. Igitur quæ binis hisce probandis præcipua argumenta arbitramur, ea ne brevius justo tractentur, cavebimus; de reliquis satis erit, quid nobis placeat, simpliciter proponere. Sed inprimis id operam dabimus, ne nostræ contraria sententiæ negligantur: quæ, ut vulgaris, sic gravissima est de rebus disputantium culpa, in quibus necesse magnam esse opinionum discrepantiam. Etenim plerosque videas magis id agere, ut speciosa adferant sententiæ suæ confirmandæ argumenta, quam ut adversantia et integra proferant et rite repellant; sicque faciliorem illos operam sustinere; quoniam multo pronius est, probabilia ad rem arguendam congerere, quam opposita refutare; unde nec mirum, omnem horum iu-

---

* Dissertationem hanc partem libri fecimus a. 1822. Coloniæ Agripp., typis Dumont-Schauberg, editi, quo, præter carmina, ad translatam Schlegelis *Romam* præfatio longior, nec non in illam elegiam notæ continentur: e quibus carmina huic volumini, pleraque emendata, inseruimus; præfationem, ne modum illi statuendum excederemus, omittere placuit.

** *Neolatinus*, ut vocem hybridam, damnavit scriptorum aliquot meorum doctus idem et veri amantissimus censor, K. G. Jacob. Ego, quum lingua latina a gente, Latinis, dicatur, nec quid hybridæ sit in *neolatinus*, video, nec interim, quod voci, et brevi et rem perspicue exprimenti, præferam, reperio.

dustriam sane indicantibus mancam aut supervacaneam existimari; vident enim eos rerum suarum laudatores, non ex æquo disceptatores, quippe ipsis contraria sive reticentes, sive nimio ingenii suiatque persuasionis amore non animadvertentes. Nos autem neque eo imitabimur in argumento nobis tractando versatos, neque vero, quid illis placuerit, quamvis non paucos legerimus, nunc studiose quærendum putamus, omnino integra et simpliciter ea adlaturi, quæ sæpissime atque omnibus modis re considerata, ipsi verissima statuimus. Itaque cum cæteris hic Iubbenatem quoque Pauli, latinitati, ut in ephemeride litteraria cognovimus, inimicissimum mittimus. Quippe non, quid alii recte secusve pronuntiarint, videre, propositum est, sed quid ipsi, aliis dijudicandum relinquere. Atque hoc brevitatis quoque studium suadere debuit, cujus servare modum prorsus non potuissemus aliorum in singulis sententiam expendentes. Minus vero etiam placuit sexcentos locos, ubi aliquid ad rem, indicando chartas implere. * Qui quidem non levis est ætatis nostræ scriptorum morbus, utpote doctæ ostentationi mirifice inserviens, ideoque, ut ad res tractandas fere inutilis, sic ventosis hominibus admodum opportunus; nos autem, quæ sequuntur, sapientibus dicta volumus.

3. Quæstio, an latine scribendum, ut hinc initium disceptandi capiamus, universam spectanti, maxime, si non prorsus, a duabus hisce pendet: altera, an orbi, ut ajunt, litterario communis lingua optabilis; altera, si optabilis, an latina recentioribus linguis præferenda. Quarum quæstionum prior omnium, quantum vidimus, consensu extra controversiam posita, omnino talis est, ut vix opinionum admittere discrepantiam videatur. Enimvero, qui neget optabilem esse communis linguæ inter omnium populorum doctos usum, quidni idem neget optabile, si quis omnium sermone recte et scribat et loquatur? Quum igitur hucusque communis doctorum lingua fuerit latina, illud modo quæri potest, litterarum ac disciplinarum, quæ nunc est, ratio utrum potius flagitet, aliamne latinæ substitui, an vetus illi jus, si non integrum, certe ita reddi, ut, quæ nunc omnibus pæne exclusa, in partes quasdam litterarum revocetur. Atque hæc quæstio ut vere gravissima est, sic variis sententiis hodieque, et interdum acerrime agitatur; ac sane plurima sunt in utramque partem speciose et idonee dicta; ita quidem, ut vix credibile sit, controversiæ unquam finem fore; quippe quum æquis fere utrinque armis decertetur.

4. Cæterum, ego rem nunc eo deductam dicerem, ut potius quærendum, an recentior lingua substitui latinæ populorum consensu queat, quam quid litteris optabilius; nam si prorsus incredibile, ullam posse substitui, relinquetur, ut latina jus suum retineat. De qua re experientia monet ut sic statuamus. Scilicet, quum plures nunc sint in Europa linguæ egregie et diu excultæ, et acerrimum cum in litteris tum de linguarum præstantia inter primarias Europæ et numerosissimas nationes certamen, absonum jam rationi existimandum, si cui persuasum sit, unam illarum linguarum ita posse, cæteris vigentibus, unquam prævalere, ut communis doctorum lingua, sive in disciplinis artibusque tractandis tantum, sive, quod multo minus contigerit, in omni litterarum parte evadat. Atque, ut cæteras, germanicam etiam, et eximie cultam, et omnium, si nationes ea utentes respicias, latissime patentem, mittamus: Gallorum lingua prævalet illa quidem, et diu etiam, si non semper, prævalebit; at neque nunc apud alias gentes frequentiorem ejus ad scribendum usum, quam ante nostram ætatem, invenimus; et, quo magis excultæ sunt cæteræ per Europam linguæ, eo minus in posterum gallicam posse prævalere, consentaneum videtur: quæ si potuisset communis et quasi secunda doctorum lingua, quod ad scribendi usum, fieri, sane ante nostra potius tempora, et inprimis necdum, ut nunc est, exculta germanica, ad eum gradum pervenisset; nunc autem quomodo perventura sit, eversa etiam Gallorum per Europam dominatione, equidem fateor me nec alia ratione nec experientia nitentem intelligere. Neque vero recte quis me reprehenderit, quod in ejusmodi re ad experientiam recurrendum existimen, in qua et ad hanc diem aliis rationibus frustra disputatum, et æternum disputabitur; ut diceres, simile esse, ac si quis rationibus potius quam experientia docere velit, philosophos de summis rebus nunquam consensuros. Nempe in ejusmodi quæstione argumentando parum, experientia plurimum proficitur. Nos vero hanc rem in iis posuimus, quæ attingere nos velle, non tractare, diximus.

5. Illud vero jam manifestum: quod si optanda est semperque erit communis litteratorum præter patriam lingua, nec aliam latinæ substituere gentium consensu datur, fatendum, male de litteris nostra ætate mereri quam plurimos, id agentes, ne quis in posterum lingua latina aut velit, aut, damnato semel ejus usu, audeat scribere. Quorum si in ea quæstione dirimenda, aut si, quod multo est solennius, de ea garrientium rationes quærimus, hanc omnibus fere communem, et, si vera esset, gravissimam sane cernimus, cur latino sermone abstinendum: nimirum hanc linguam in litterarum,

* Quod tamen non adeo fugimus, ut neminem usquam aut ut conferendum nominaremus, aut citatis etiam verbis laudaremus; sed utrumque raro admodum fecimus.

disciplinarum atque artium, qualis nunc est, conditione nec alias commode adhiberi, nec jam ea recte scribere quenquam posse: quæ posterior sententia quam vim quantumque ponderis habeat, deinceps nobis est dispiciendum, ut justis rationibus adpareat, verane sit illa, an iis adjicienda, quæ, mutata morum et aliquatenus litterarum quoque facie, plurima vulgo nunc temere, cum in litteris, tum aliis in rebus existimantur.

6. Enimvero, an latine recte, id est, et lucide et servata veteris latinitatis indole, (quid enim aliud esse dicamus?) scribere recentiores possint, sero demum, nec multo ante nos tempore quæsitum est; quum jam, prævalentibus recentiorum populorum linguis, et latinam pauciores studiose discerent, et paucissimi ea ad scribendum uterentur; ut vel hinc conjiceres primariam causam, cur nunc recte scribi non posse contendant, in hoc ipso quærendam esse, quod pauci scribunt. Ac profecto dubium non est, si quis aut Bembi aut Hugonis Grotii, aut propiore etiam nostræ ætate, ita pronuntiasset, quin latini sermonis accurata cognitione imbuti ridendum hunc ineptumque dixissent; nec vero nunc aliter illi faciunt, sed cæterorum, utpote ignorantium apud ignorantes, opinio præponderat.

7. Etenim linguæ litterarumque latinarum peritiores, ut neque olim, ita nunc minime fugit, non omnes ab renatis post mediam ætatem litteris, sed paucos bene latine, paucissimos egregie scripsisse. At iisdem hinc nunquam persuasum fuit, recte scribi non posse; scilicet, quod omnino non daretur, ne pauci quidem fecissent. Deinde hoc probe intelligunt, apud ipsos veteres non omnes æque aut pure aut eleganter aut exquisite scripsisse, sed ingentem esse vel inter ejusdem ætatis scriptores differentiam. Itaque hoc sane vident latine docti, difficile esse id, quod paucis egregie facere contigerit: at enim hinc non magis statuunt, recte scribere neminem posse, quam Ciceronem male scripsisse, si forte ejus æquales memorentur a veteribus, qui vel minus bene vel vitiose scripserint: quales an fuerint, quis non fateatur quærendum non esse, nisi aliam hic latinæ, quam recentiorum linguarum rationem, rem scilicet absurdam fingamus? Enimvero nec hodie scriptores omnes, cætera vel imprimis laudandi, patria lingua tam recte utuntur, ut nusquam jure reprehendantur: quod si quis rarius Gallis, quam aliis, accidere velit, equidem non pugnabo; sed Gallis quoque accidere, et sæpe satis videmus. An vero propterea gallice recte scribi non posse dicemus? Minime vero, nisi sit desipiendum. Nimirum, linguam ullam qui integram teneat, non verba dicam omnia, quod felicissimam memoriam superet, sed qui omnes loquendi formulas æque, et quid liceat, ubique, quid non, et omnium locutionum varietatem, et levissima similium discrimina noscat, nemo, opinor, aut fuit aut erit unquam. Unde consequitur, si, ut lingua aliqua bene scribamus, integra illa sit nobis scientia complectenda, ne Voltairium quidem necomnino quenquam bene scribere potuisse; quandoquidem certissimum est, vel optimos dictione scriptores magnam linguæ suæ partem aut nescisse penitus, aut ita tenuisse, ut multa inde usurpare non facile auderent. Cui hoc etiam, licet, addamus, quo major sit linguæ cum copia tum varietas, eo majorem illa utentem posse, quin ideo male scribat, partem ignorare. Quod si autem sic in vivis, ut ajunt, linguis, quidni in vetustis sive mortuis magis statuendum putemus? Nec vero absurdum fuerit in utrisque dicere, singulos scriptores habere suum velut sermonis campum, locutionibus alios aliis magis gaudentes, unde necesse earum quoque perfectiorem fere iis esse cognitionem. Quid autem ex hisce conficitur? Quid, nisi neminem multa scripturum, quin semel iterumve linguæ leges aut offendat, aut offendisse a critico quodam dicatur? Sic enim distinguendum esse patet. Nam aliud manifesto contra legem consensu scriptorum confirmatam peccare, aliud peccasse contra non satis definita videri; qualia linguarum natura fert in omni, quamvis in aliis frequentiora, in aliis rariora, occurrere; ac sæpe inter doctos, an phrasis quædam probanda, gravibus utrinque rationibus, et, manente sub judice lite, contenditur. Atque hoc ipsum quam necesse sit in aliis fieri recentiorum linguis, inde colligere licet, quoniam in gallica, diu principum scriptorum usu et *dictionario* etiam *academico* præter cæteras accuratius definita, idem, rarius quidem, sed tamen accidere cernimus. Quod vero in vetustis juxta atque hodie florentibus linguis evenit, mirumne hoc neolatinis pariter evenisse, ut, quemadmodum omnino alii aliis melius scribunt, ita verborum quoque et locutionum, de quo hic proprie agitur, recto usu alii aliis melius scripserint?

8. Quare, si sapimus, damnentur sane, et, si placet, rideantur innumeri barbare, insulse etiam et horride scribentes; at maneat suus honos iis, qui recte scripsere; neque tam quæratur, quid plurimi fecerint, quam, quid pauci efficere potuerint; atque omnino, ut jam ad illam quæstionem veniamus, omnino, inquam, illud quæratur, an e vetustæ latinitatis, quæ superant, monumentis recte scripturo sufficiens cognitio copiaque parari possint. Qua in re, haud sum nescius, speciose multa et dicta esse et etiamnunc ab neolatinorum adversariis dici; sed eo magis sedulo dispiciendum. Tametsi, quoniam nemo dubitat, quin et Græcorum

et Romanorum scripta, quod ad linguæ cognitionem, recte planeque a veterum litterarum studiosis intelligantur, vel hinc non temere conjiciat aliquis, posse eadem scripta sufficientem scribenti sermonis scientiam suppeditare. Etenim, si quis Gallorum scriptorem, Voltairium puta, rite intelligens, omnemque fœcundi hujus scriptoris, quatenus operibus ejus continetur, loquendi copiam tenens, pari facilitate, nitore, et dictionis varietate de quocunque argumento et ipse librum unum pluresve conscriberet, quid tandem huic deesse videretur, quominus lingua probandum auctorem diceremus? Nihil, opinor, recte judicanti; et multos profecto invenias, qui, minori copia ad scribendum accedentes, tamen ea, quam adferunt, probentur. Nec vero quisquam idoneus in hac re arbiter infitietur, e parvo auctorum numero posse linguæ cujusvis cum leges grammaticas, tum vero satis magnam ad bene scribendum locutionum copiam hauriri.

9. Quodsi ergo, de quo, non video, qui sanus dubitare possit: quod si veterem latinitatem recentiores recte intelligunt, ferendine etiam erunt, in tanto varii generis superstitum scriptorum numero, mancam sibi hanc linguam, neque ad animi sensa exprimenda vel peritissimis sufficientem fingentes? Qui quidem ne ipsi, quid velint, nescire videantur, alterum statuant, necesse est; aut enim partem tantum, ut ita distinguam, prodentis sese animi humani superantibus veterum scriptis contineri, aut vero alia nunc esse mentis humanæ sensa, aliud pectus (*), aliam cogitandi regulam, aliam denique rationem. Alterutrum vero ponere, equidem non tam a vero aberrantis quam in sole caligantis, neque minus delirantis, dicerem, ac si quis, in vetustis monumentis equum quatuor pedibus incedere videns, tamen, an olim binis tribusve incesserit, quæreret. Pueris igitur, non viris litterarum latinarum, neque omnino mentis humanæ gnaris hoc persuadeant, quod mihi audire sæpe contigit, latine loquentes vel scribentes non id, quod ipsi cogitent, sed, quod veteres cogitarint, dicere, neque adeo libere, quidquid sentiant, posse proferre. Sic enim fere, disserunt dicamusne, an desipiunt? Quippe ne illud quidem videntes, si, ut ajunt, se res haberet, primum a vertendis veterum scriptis esse abstinendum; nisi hoc, quo nihil absurdius, velint, nos veterum quidem mentem in nostram linguam; at nostram mentem in veterum linguam transferre non posse.

10. Nec vero multo sapientiores reputamus, qui satis se demonstrasse putant, latini sermonis usum jam tolerandum non esse, dicentes mortua lingua neminem recte scribere. Quos facile sane foret et alias satis superque refutare; sed eo minus necesse, quoniam ipsis latinis litteris refutantur. Non enim vident, linguam latinam, qualis nunc bene scribentium esse debet, diu ante eversum a barbaris gentibus Imperium Romanum mortuam esse; adeo quidem, ut dubium non sit, quin illius ætatis scriptoribus difficilius, quam nobis fuerit, emendate, id est, ita scribere, ut aliquot ante sæculis Romæ et scribebant et loquebantur homines eruditi; difficilius, quia corruptus ipsorum ætatis sermo sinceræ latinitatis studiosis nocebat, quemadmodum barbare scripta legentes vix satis cavere possunt, ne qua ipsis hinc macula adhæreat; et novimus, qui, latini sermonis vix præter vocabula quidquam tenens, quum librum tamen multorum manibus castigatum, sed tum quoque fœdum ederet, illa excusatione ignorantiam suam tueretur. Quam prave autem a sæculo tertio, quam barbare latini plerique auctores scripserint, hodie superstites testantur. An igitur tum, genuina latinitate non nisi classicorum in scriptis superante, bene scribi potuisse negabimus? Minime vero; vetant enim, qui tum quoque vel prosa oratione vel poetæ bene scripserunt, quos critici meliore ætate dignos dicere solent, me assentiene, eo nomine inter prosæ scriptores Lactantium, inter poetas Rutilium et magis Claudianum laudaturi, cujus quidem ita est latina oratio (nam de aliis styli dotibus non quærimus), ut facile adpareat, non sui eum, sed aurei sæculi sermonem expressisse; et profecto juxta meritoque respueres, qui hunc minus latine, et, qui Ciceronis ætate omnes melius scripsisse contenderet. Quippe tum quoque, et in ipsa urbe, prave multi, ut hodie gallice et germanice, scribebant: quod ut ita esse, res ipsa satis suadet, sic e Ciceronis aliorumque scriptis abunde docemur. Quid, quod poetas nonnullos reperimus bene, eosdem prosa oratione barbare scripsisse? Nam, ut uno exemplo utar, quis non fateatur Ausonium, sæculi quarti scriptorem, carmina, si cum aureæ ætatis poetis comparetur, sermone satis sincero nitidoque composuisse? at idem barbaro propior in *gratiarum actione pro consulatu*; hinc ut manifestum sit, poeticam ejus orationem studio et imitatione bonæ ætatis auctorum probabiliorem, prosam vulgari ipsius sæculi scribendi ratione pejorem inveniri; omninoque illius ævi scriptores, quod ad dictionis sive formæ sive alias dotes, ea condtione censendos esse, qua hodie sunt in provinciis, ubi patria lingua prave loquuntur, vitioso et sæpe

(*) Quibus verbis quid hic, quamtumque intelligi velimus, ne obscurum relinquatur, cum his §. 59 dicta conjunge.

a doctorum diversissimo sermoni adsueti, pure et eleganter scribere e libris, neque id sine longo plerique linguæ studio, non e populari sermone discentes; quales inter Germaniæ nostræ scriptores innumeros esse, non opus est demonstrare; res enim loquitur. Nec vero mihi quisquam, quin risu dignus videatur, dixerit, inter Mosam Rhenumque versantem germanice recte scribere neminem posse, nisi in Saxonia forte aliquot ante annos transegerit.

11. Quare non veremur, ne absurdum sit dicere, linguam latinam ita nobis mortuam esse, ut plerisque Germanorum eam, qua ipsorum scriptores utuntur. Enimvero, tantum abest, ut popularem alicujus provinciæ sermonem simpliciter sequantur bene germanice scribentes, ut sæpe reprehendi vel in optimis ea videas, quæ a sua quisque provincia traxisse arguatur, a probato librorum, ut ajunt, sermone abhorrentia, qui, sicut est a scriptoribus constitutus, ita ex iis petendus (*). Quod autem hic de Germanorum lingua potissimum diximus, ad omnes, quæ unquam excultæ viguere, pertinet, eo discrimine, quod in aliis minor, in aliis major dialectorum, ut in vulgi, sic in doctorum etiam ore differentia. Apud Germanos quidem, certissimum, optime loquentes esse; qui, neglectis provinciarum, queis adsueverant, dialectis, scriptorum sermonem presse sequuntur; atque hoc facientes exteros litteris nostris imbutos, et in Germania diutius versantes, sæpe germanice melius, quam plerosque eruditos natione Germanos, loqui, ac ne scribendo quidem inferiores videmus. Jam, quod illi in nostra assequuntur, quæ ratio adferatur, cur id assequi recentiores in Romanorum lingua nequeant? Concedamus tamen difficilius esse in lingua latina, quam in recentiore: quanquam ex iis, quæ modo diximus, major difficultas potius in sermonis latini a recentiorum diversa indole quærenda foret; de quo nequeo non adjicere, quæ imprimis sententiam meam firmare videntur.

12. Constat enim lingua gallica bene scribere exteris, si non hodieque, at certe ad nostram usque ætatem adeo fuisse difficile, ut, quum innumeri hanc laudem summo studio quæsierint, tamen vulgaris persuasio fuerit, exterorum vix ullum sermone vel mediocres Gallorum scriptores æquare valuisse. Atque hoc reputanti occurrunt Gœthei nostri de illa re in libro de vita sua animadversa; ubi legimus, ipsorum judicio Gallorum ad eam, quam diximus, sermonis laudem proxime accessisse Schœpflinium, Alsatam, ita scilicet, ut tamen non omni ex parte sincerus diceretur; in paucis autem civitate donandis memoratum esse Grimmium quendam (is ipse, cujus hodie, vulgatis ejus epistolis, major fama); atqui de hujus dictione aliter judicantes Gallos et alias et in ephemeridibus litterariis ipse audivi, quo tempore ejus epistolæ vulgabantur; *germanismis* enim, ut vocant, ejus orationem non vacare, cæterum dicacitate, vivido colore et ingenii acumine hanc labem Grimmium ita compensare, ut ab ipsis Gallis cum voluptate legeretur. Jam vero, ubinam, nisi in linguæ indole singulari, quærenda hæc exterorum gallice scribentium desperanda difficultas? Atqui, si in indole primaria majoris, quam in aliis linguis, difficultatis causa, nonne manifestum est, quum quærimus, an recte aliena lingua scribere quis possit, non tam id quærendum, mortuane sit illa, anne viva, sed potius, an ejus indoles incredibilem illam adferat, quam Gallorum lingua habuit, difficultatem: quæ tamesti, si callentium eam ac loquentium numerum spectes, ita sit viva, ut nulla alia, tamen desperanda exteris plerisque cernebatur. Quid igitur reliquum latine recte scribi non posse contendenti, nisi ut ostendat, probæ latinitatis eandem esse quam Gallorum sermonis rationem? Atque hoc loco non me fugit immensam pæne fore disputationis materiem, si eam quæstionem ex omni parte tractatam velimus, sed interdum; præcipuis momentis rite expensis, clarius adparent res multis modis implicitæ, quam minutissima quæque scrupulose persequendo. Paucis igitur hic satis nos proposito dicturos existimamus ad illam, si cui sit, persuasionem refellendam.

13. Linguæ gallicæ ingens illa difficultas, ut, a multis animadversum, ipsi verissimum putamus, et aliis a causis, sed potissimum inde pendet, quod illa cum phrasium structura, tum probatarum ad singulas sententias copia, ut arctius circumscripta, sic accuratius est severiusque definita. Hinc, in minima locutionum varietatis licentia, singularis ejusdem linguæ perspicuitas, et huic conjunctæ dotes. Jam, quo minor est phrases variandi copia, eo facilius de singulis, probæ necne sint, judicium; et vero Gallorum lingua multo abhinc tempore *Dictionario academico* ita constituta definitaque continetur, ut, vocabulorum significatione et phrasium usu illi velut supremo ingenui sermonis tribunali subjecta, minimum, si alias linguas compares, scribentis arbitrio relinquat. Sic igitur definitam linguam indigenis quidem loquendi consuetudine et scriptorum lectione probe tenere facilius haud dubie erit, quam minus definitam; pauciores enim formæ memoria complectendæ, et ipsa paucitas confusioni minus obnoxia. At longe alia est exterorum talem linguam

(*) Poeticam quoque dictionem, qualem nunc habemus, manifestum est, non in vulgi ore natam, neque vero vitæ quotidianæ, ut vocant, sermoni, sed scriptorum arti ingenioque deberi.

sive lectione tantum, sive accedente loquendi consuetudine, discentium ratio. Nimirum, his patria lingua eo majori erit impedimento, quo ipsa est liberior constructionis et omuino locutionum et forma et varietate. Atque hæc causa videtur, cur Germani, exterarum studio linguarum præ aliis nationibus dediti, et nota in addiscendis facilitate, rarissime perfectam gallicæ scientiam, quod necdum experti facillimum putare solent, consequantur. Scilicet ipsorum lingua hucusque exculta quidem a summis ingeniis; at nihilominus, si gallicæ conferatur, parum definita, hoc commodo fortasse semper caritura, sed eo ipso aliis bene multis gaudens, quæ in sua quandoque desiderant Galli germanicam callentes, nec populari vanitate, quominus verum fateantur, impediti. Jam, si quærimus, lingua *latina* utri constructionis licentia, et ea, quam diximus, liberiori phrasium varietate et copia sit similior, næ ille, qui gallicæ dicat, egregie ostendat, se nnius certe harum linguarum indolem plane ignorare, neque vero hoc intellexisse, veteres linguas, græcam et latinam, quamvis illa longissimo, latina etiam aliquot sæculorum spatio, semel exculta, floruerit, tamen multis de causis severe definita forma includi non potuisse, qua gallicam multo jam tempore ita constrictam cernimus, ut jure dubitemus, an ulla recentiorum linguarum ad illas veluti perfectionis angustias unquam sit perventura. Quin etiam ipsos Gallorum scriptores credibile est, olim latiore paulatim sermonis campo liberiusque incessuros, quin ideo, quod nunc in multis multi reprehendunt, a perfectiore ejus, quam sæculo Ludovici XIV. induit, specie degenerasse a sapientioribus dicantur. Sunt enim hodie non pauci, atque, ut facile credas, inter eos maxime, qui aliarum nationum gnari litterarum, de patriæ linguæ angustiis ac nimia severitate et fastidio querentes, poeticæ presertim dictioni nequaquam faventibus. Sed hæc prætereuntes. Ad quæstionem vero, an mortua lingua latina recte, an pure, emendate, lucide, denique, an ita scribere recentiores possint, ut veteres classici scripsere: ad hanc igitur propius pertinent hic etiam adjicienda.

14. Recentiore lingua, quum quæritur, bene quis malene scripserit, non simplex est judicium. Nam aut ad loquendi, qualis in ore vulgi aut doctorum, consuetudinem recurrimus, aut linguæ peritissimi scientiæ auctoritate pronuntiant, aut denique præceptis grammaticis, aut omnino probatorum auctorum scriptis dubitatio tollitur. In mortua autem lingua prima ex his judicandi ratio manifesto non conceditur, secunda conceditur quidem, sed minori, nec immerito, judicis fiducia. Difficilius utique quam in viva, cujus præsentem formam copiamque non excedas, videtur, mortuæ linguæ, per plura sæcula excultæ, e numerosis variarum ætatum scriptis satis magnam cognitionem parare, ut in dubiis semper pronuntiare, quid sincerum vitiosumve, audeas. Aliud enim linguam ad bene scribendum satis, aliud integram tenere, et in singulis auctoritatem in promtu habere, qua statim, sitne proba proposita locutio, an non ferenda, intelligas. Hoc igitur quum in omni difficillimum, in lingua latina autem, et magis etiam in græca ita sit difficile, ut nullius non superare studium memoriamque videatur, merito suspecta fuerit ex sua scientia dubia quævis dirimentium fiducia; tametsi nequaquam ignoro, tales et fuisse multos et hodie inveniri, atque, ut necesse est, inter eos maxime, qui non tam assidua variorum scriptorum lectione et scribendi exercitatione, quam grammaticorum præceptis suam sermonis facultatem, mancam scilicet et angustam colligunt. Nam grammaticen necessariam esse, quis infitias ibit? At eadem, neglecto scriptorum studio, nonnisi exilem puerilis facundiæ copiam suppeditat, in viris nullo modo, in adolescentulis autem industriæ laude ita tolerandam, si modestiam servent, neque jam exculto scriptorum lectione judicio liberius incedentes, quoties ad suam amussim non severe axacta reperiant, reprehendere et emendare laborent.

Relinquitur tertia de bene scribentibus judicandi ratio; scilicet, ut ad bonæ ætatis scriptores recurramus, id rectum statuentes, quod eorum auctoritate probetur. Atque hæc ratio, ut in recentioribus linguis suprema auctoritas, ita in latina et sufficiens et certa existimanda est. Nec vero recte quis objecerit, nos hanc linguam nondum ita noscere, ut, ipsi veteres quid bene secusve dixerint, satis intelligamus. Nam qui sic loquuntur, re vera in eam incidunt opinionem, quam supra attigi, nos scilicet veterum scripta non intelligere: quod si quatuor abhinc sæculis quis dixisset, ferendum erat, hodie autem ita est ridiculum, ut refutatione non egeat. Quamvis enim innumera occurrant in illis difficilia, alia pravis lectionibus, alia aliis de causis, et multa prorsus desperanda, ipsius tamen linguæ scientiam nunc eo provectam esse fatendum, ut vix recentiorum perfectior concedatur; quæ vero in his sufficit, jam inanis severitatis erit, si eam in mortua non sufficere dicamus. Neque vero peritis linguæ latinæ difficilius, quam in recentioribus, genuina a falsis discernere. Sed sunt, iique plurimi, in barbarie velut educti semperque versati, nulla veterum scriptorum lectione formati, ideoque sinceræ latinitatis, ut ita dicam, typo carentes. Hi igitur nec, quid latinum, sciunt, et inquinatam dictionem castæ præferre etiam

consueverunt. Peritis contra promptum vel paucissima legentibus judicium, Muretone aliquis aut Ruhnkenio propior, an aut in barbariem proclivior, aut medii ævi monachorumque sordibus immersus.

15. Sed illud hoc loco, quamvis ex iis, quæ supra diximus, consequens, non prætereundum: sicut enim difficilior est latinitatis, qualis quantaque bonorum scriptorum operibus continetur, non vulgaris scientia, sic, quæ vel in recentioribus merito reprehenditur, a nimia, nedum futili severitate in latina magis temperandum; et censura modum excedens tanto periculosior in ea videri debet, quanto est, illo, quo diximus, sensu, minus definita. Postuletur itaque, ut latina sit et ad probatorum scriptorum auctoritatem exacta oratio, ut jam pereat barbaries, qua nihil veterum cultui litterarum vehementius nocuit; sed ita postuletur, ut meminerimus, et dubia multa in omni lingua, quantumvis exculta, et in mortua plura relinqui, et suspectam jure peritissimis videri levissima quæcunque insectantium subtilitatem; denique, ut meminerimus, nec recentiores, patrio sermone, nec latinos, qui bonæ ætatis scriptores, omnes æque emendate scripsisse; absurdum vero esse in hac re a recentioribus plus, quam veteres, plus etiam, quam recentiores patria lingua præstiterint, postulare. Nam quis non fateatur, inter probatos sive Germanos, sive Gallos adeo scriptores, esse, quorum in dictione, si ad amussim severe exigatur, quædam dubia, quædam etiam aliorum auctoritate reprehendenda occurrant? aut quid tandem miremur idem in neolatinis accidere? Enimvero in ipso Mureto Ruhnkenius quædam, ut a bonæ ætatis sermone abhorrentia notavit; cui equidem addere non verear, nec omnia hunc sive vidisse sive indicasse, et in Ruhnkenio quoque, quæ recte notares, occurrere. At enim ridiculum dicimus, si quis propterea, male latine vel Ruhnkenium vel Muretum scripsisse, velit, plane desipientis, si hinc, bene scribi non posse, colligat.

16. In futilibus autem, quæ multa prætermimus sententiæ nostræ adversantia, hoc ponendum. Sunt videlicet, qui sic fere interrogant: si certum detur de antiqua probaque latinitate judicium, unde fieri, ut interdum doctissimi veterum quædam, velut Taciti aut Ciceronis, esse crediderint vel a recentiore composita, vel ex alio veterum petita, aut non eorum esse crediderint ex ipsorum operibus descripta? Nempe inde fit, quod peritissimi illi Latini sermonis homines tantam ejus et litterarum scientiam, licet quidam ridicule adfectent, tamen non collegerunt, ut, quid cujusque scriptoris sit aut non sit, fidenter pronuntiantes, non aliquoties, imo sæpissime, fallerentur. Quis enim vel recentioris linguæ hanc sibi cognitionem arroget, quin ridendus videatur; aut, ut rem ipsam dicamus, quis non intelligat, stolidum esse credere, hanc ulli mortalium unquam fuisse? Nec vero magis mirandum, si a recentioribus composita peritissimi interim pro antiquis habuerint, sive de sermone tantum, sive de arte etiam quæratur; neque ego cum J. P. Richtero, tale quid Jos. Scaligero accidisse miror in versibus a Mureto compositis. Quis enim latine doctus Mureti scripta legens dubitet, quin ille versus facere potuerit, et quosdam fecerit etiam nec arte nec sermone Ovidio aut Catullo indignos? Profecto, qui frequenti scriptorum et diligenti lectioni grammatices studium conjungunt, eam adsequentur scribentes latinitatem, quam et peritiores emendatam judicent, et mediocri sermonis scientia imbuti cum recte planeque intelligant, tum cum voluptate etiam legant. Illud vero latine scribentibus commode accidit, quod omnium gentium eruditis communis lingua ea dificultate caret, quæ recentioribus non patria lingua utentibus maxima. Nam quis nescit vivas, ut ajunt, linguas a populorum, quibus propriæ, ingenio atque indole moribusque eum orationis quasi habitum coloremque trahere, quem exteris assequi difficillimum? Hoc igitur incommodo caret lingua, cujus inter eruditos tantum et maxime scribentibus usus, cujusque antiqua, a nullius jam populi ingenio pendens forma servanda. Atque hoc non in levioribus argumentis ponendum, quibus doceatur, latinam, si de communi doctis lingua quæratur, recentioribus vivisque omnibus esse anteferendam; quam quæstionem nos et supra et hic attigimus tantum.

17. Jamque propere quidem, sed quantum vel parum æquis judicibus, neque rudibus litterarum latinarum, sufficiat, ea sumus persecuti, quibus adpareat ineptam esse nostra ætate prævalentem opinionem, latine a recentioribus bene et ad animi sensa libere planeque exprimenda idonee scribi non posse. De quo cum ita sentiamus, minus miretur aliquis, hoc quoque nobis persuasum esse, inter recentiores videlicet, qui innumeri ab renatis litteris latine scripserunt, paucos sane, sed tamen nonnullos ita scripsisse, ut quibusdam e veteribus classicis castigata etiam dictione sint anteponendi; quandoquidem, ut jam animadvertimus, in his quoque sunt sermonis puri et emendati, perinde atque apud recentiores, gradus, nec eadem omnium perfectio. Neque vero metuimus, ne cui sapienti risum moveamus, judicantes, Muretum, vel Bembum, aut, si quis malit, Ruhnkenium vel Wyttenbachium melius latine, id est, ad probatorum dictione scriptorum exem-

plar scripsisse, quam multis locis vel Suetonium vel Justinum; ne Aurelium Victorem aliosque ejus ætatis memoremus. Quod vero egregie arguit, quam desipiant, recentiores bene scribere non posse statuentes, quamvis supra dictis quodammodo inclusum, tamen hic prætermittendum non est. Nam hac in re nimium sibi arrogantes fidentesque, se tanquam primo intuitu recentiorem a vetustiore et genuina magis latinitate posse discernere, de quibusdam operibus adeo sententia differunt, ut luctari, quamvis doctissimi utrinque adversarii, non desinant, aliis genuina, aliis recentiore ævo, quibus vulgo tribuuntur, scriptoribus supposita esse, contendentibus; velut de Curtio paucis abhinc annis altercationem renovatam vidimus. Fuere enim, semperque fore crederes hunc non classicum, ut ajunt, sed recentioris latinitatis scriptorem esse suspicantes: qui, si e Mureti Bembive dictione, sintne veteres an recentiores, sit judicandum, de illis haud dubie pariter perpetuo certarent. Nempe verissimum est recentiorum multos ita scripsisse, ut certa dijudicandi auctoritas non detur, qua veteribus inferiores hoc nomine habeantur. Sed, quod monuimus, vitanda est nimia fiducia, qualis fuit eorum, qui Taciti, quinetiam Livii latinitatem carpentes, (*) sanis hominibus risum moverunt. Maneat igitur hoc neolatinis præceptum: orationem ad classica exemplaria exigant, conjuncto grammatices studio cum scriptorum lectione: hoc sedulo præstantes, bene scribendo veteres æquare, superare etiam multos poterunt, nisi iis quacunque lingua bene scribendi facultatem natura negarit.

18. At enim nec illa difficultas prorsus negligenda. Nam, mutatis recentiorum populorum vetustis institutis, mutatis disciplinis, multisque immensum auctis, novisque indies accedentibus repertis, et innumeris vocabulis introductis, quæ nec apud classicos scriptores inveniantur, et vetustis vocibus recte exprimi nequeant, linguam latinam hodie nec disciplinis nec philosophiæ tractandæ sufficere, plurimi sunt contendentes. Quæ difficultas, ut verbo indicavimus, sic ad damnandum latine scribendi usum quam vim habeat, brevissime dispiciemus. Igitur, qui ita statuunt, si hoc volunt, grave illud interim esse artes disciplinasque latino sermone tractantibus incommodum, nostram suæ adscribant sententiæ; ipsum vero, quod queruntur, incommodum, ut raro latine scribendi usu natum est, sic frequentiore tolletur. Sin iidem hoc volunt, quod innumera vocabula aut perdita, aut ad res veteribus ignotas designandas in linguam latinam inducenda sint, ideo nunc bene scribi non posse, toto cœlo a vera ratione aberrant. Non enim ejusmodi vocabula, ut ut multa inducas, quidquam in linguæ indole mutant, nisi germanicam forte linguam innumeris nostra ætate vocibus novis, et cum aliis *technicis*, tum philosophicis, aut vero gallicam nova *chimiæ*, ut vocant, *terminologia*, mutatam esse, existimemus. Nimirum omnis linguæ indoles iis vocabulis, iis locutionibus continetur, quæ in nulla exculta deesse queant; neque sane in latina magis desiderantur, quam in ditissimis recentiorum linguis. Quare, ut his novæ voces novis rebus aut *technico* usui adduntur, sic latinæ, quoties opportunum aut necesse, addantur, nec dubitet quis philosophus Kantiana aut Schellingiana vocabula usurpare, imo hæc potius usurpet, quam e veterum scriptis male congruentia præferat; omnino non vereatur facere id, quod Ciceronem fecisse constat, magnam verborum copiam a Græcis mutuantem, quin eo latino sermoni, cujus ipse primum lumen, quidquam nocuerit; illud potius vereatur, ne compositione obscura, aut forma illepida inducat. Quid, quod *technica*, quæ diximus, vocabula recentiorum linguarum maximam partem a græca et petita sunt et hodie petuntur? Parumne ineptum videtur, quod in recentiore concedimus et laudamus, in latina, quæ et alias græcæ cognata est, et ex ejus copia semper a veteribus ditata, idem reprehendere, nec tolerandum judicare? In hoc utique sapientius fecere per medium ævum latine scribentes. Nam quæ deesse didebantur vocabula, velut in *scholastica* philosophia tractanda, plurima induxerunt, paulatim pervulgata significatione usurpata, et civitate, ut dicere solemus, donata. Qua re non obstante poterant nitidi sermone et sinceri manere; neque hinc, qua infamis est illa latinitas, barbaries; sed, vetustam negligentes, corruptam sui temporis magis magisque inquinabant. Nos autem, satis jam priorem disputationis partem persecuti, ad alteram, in qua de neolatina poesi explicandum, transeamus, tum alia mittentes, quæstioni, an hodie latine scribendum, conjuncta, tum vero non levem disceptationis materiem relinquentes: scilicet, an in omnibus, quibusve litterarum partibus linguæ latinæ usus sive commendandus sive improbandus: quæ quum non minor sit, quam de bene scribendo quæstio, (*) satius putavimus illam catenus modo in sequentibus attingere, quatenus a quæstione de poesi separari nequeat.

(*) In Livio patavinitatem quosdam carpsisse, testis Quintilianus; in quo ipso, fuit, cui hispanitas subolerет.

(*) Cujus pars quoque est, eaque latissime patens ciceronianismus; de quo nos sæpius pauca, sed paulo ampliora in appendice ad dissertationem de versibus homœoteleutis (Leodii, a 1828)

19. Quod vulgo ajunt, *habent sua fata libelli*, non minus vere de litterarum generibus, quam de scriptoribus dixeris. Nam ut haud raro eximia sive argumento sive tractandi arte opera, quo prodierunt ævo, neglecta, vel contemta etiam videmus, aut aliquamdiu magni æstimata, deinde jacentia et vix non penitus oblivioni tradita, donec, quasi novam in vitam revocata, pari atque olim aut majori honore colantur, hoc in singulis quoque litterarum partibus evenire, experientia et historia docent. Nam quæ eximia in litteris artibusque sunt, possunt illa quidem singulari quadam sortis iniquitate mediocribus, malis adeo interdum posthaberi; sed eadem majori splendore resurgere, contra prava aut mediocria, semel contemta, in perpetuum jacere solent. Scimus enim, ut, quod ad scriptores, exemplo res non rudibus litterarum nota ostendatur, et Senecam sua ætate præ omnibus gratissimum scriptoribus dictione fuisse, et Statium poetam mirifice placuisse: quorum ille non contemnendus quidem, sed aureæ ætatis tamen plerisque scribendi arte inferior; Statius autem, neque hic, ut nuper Nisardus quoque monuit, omni laude privandus, nunc tam vulgo negligitur, quam olim, *lætam faciens urbem*, celebratus est. Nam ut solenne in litteris quoque illud Taciti *vetera extollimus*, *recentium incuriosi*, ita contrarium sæpe cernitur, præsertim, quum fucosa specie, non vera, quæ æterna est, pulchritudine nova vetustis, quamvis in breve tempus, officiunt. Et vero nostro pariter sæculo Statium non unum, sed bene multos facile est invenire, imo longe etiam pejores, nunc et summo honore dignatos, et semet super quidquid usquam egregii extollentes. Hi igitur, sapientium solatio et litterarum bono, spes est certissima, fore ut similem Romano sortem experiantur.

20. Cæterum, ad perversa de scriptoribus judicia nil majorem vim habet *theoriis* illis *æstheticis*, hodie, præcipue in Germania nostra, vigentibus, queis, incredibile dictu est, quantum deliretur. Nam quæ per sæcula summorum etiam poetarum consensu probata erant opera, ea nunc ut passim, antequam legantur, eoque impudentius contemnantur, *systemata* effecere, dum ipsi horum artifices vel aliorum, vel sua forte poemata, mox æternum quietura, Horatium supra aut Virgilium, aut his inter nostrates non inferiores, extollunt: quo fit, ut juniores critici veteres scriptores, longissimum studium flagitantes, fere non lectos, respuant, recentiores autem delibantes modo, quo magis arte et ingenio excellunt, eo citius illos, ut plebeji jam ordinis et imi subsellii viros, despiciant, nonnulli aliquamdiu satis lepide dicentes, Gœthei nil præter *egoitatis* (*Ichheit*) umbram superare: scilicet exasperabantur, animadvertentes, huic sæculi nostri deliria non placere. Sed doctrinæ cum tenebricosis auctoribus viam irremeabilem aliæ abiere jam, aliæ mox abibunt; Schiller, Gœthe, et quæ sunt alia Parnassi germanici decora, cum Homero, Virgilio, Horatio perpetuo florebunt.

21. Sed, ut jam ad neolatinos, quæ præcedunt, referantur: quod in litterarum generibus ac præsestim in poesi fatum dominatur, nusquam lucidius adparet quam in recentiorum poesis latinæ nostra ætate non neglectu tantum, neque contemtu, sed acerba vulgo irrisione: quæ si, ut acerba, sic sana esset, bene se res haberet, et peccatum contra hiscere; ego vero, si quis alius, ab hiscendo religiose temperarem, non magis in neolatinis, quam in aliis, quin libere sententiam pronuntiem, impeditus; quippe qui ab exculti primordiis ingenii primo animi oblectandi causa poetas legerim, deinde, quum artis ratio studiumque accederet, in magistrorum verba jurantibus infensus, id sedulo egerim, ne cujus mihi auctoritas obstaret, quominus in litteris et poesi, rebus rite cognitis, sic demum ex meo sensu ingenioque judicarem. Nam qui aliter faciunt, eos videbam et video, quasi leves paleas, turbine ferri, nusquam, ubi insistant, reperientes, aut, si reperiant, in luto plerosque hærere. Quare, missa doctrinarum infinita in iisdem rebus definiendis ac dijudicandis varietate et discrepantia, quid pulchrum sit, et veterum, a quibus exorsus sum, et recentiorum opera magno studio, et multa assidue volvens, quæsivi. Hoc modo per multos annos exculto in litteris judicio, quum imaginem pulchri, quam, sicuti, unde profluit, deum, describere velle temerarius vanusque labor: quum igitur imaginem pulchri in veterum primo, deinde in recentiorum scriptis, divinæ particula mentis abundantius imbutis, cognovisse, menteque susceptam tenere, et inanes profanorum strepitus, canoras nugas a genuino et simplice naturæ sono, ac veluti sinceri venam metalli discernere aliquatenus satisque certe viderer, tum demum *æstheticam*, ad fastidium usque nunc celebratam, aggressus, facilius, opinor, meliusque, quid in hujus præceptis sanum bonumque aut insulsum et ridiculum esset, intelligere potui, quam si, regulis præoccupatus, veterum opera ad *æstheticas* quasi Protei variantis normam exegissem; quod adolescentulis hodie solenne, unde necesse est *æstheticorum* indies augeri deliria; quippe juvenes juvenum in scriptis et academicis etiam lectionibus nebulas captantes, continuo et ipsi auditis non meliora, vulgo, ut res suadet,

insulsiora promunt; ita, qui saniores in eo genere aut laudandi auctores, (et vero sunt qui multa egregia, quamvis vanis plerumque mixta, adferant;) prævalente puerorum deformi fœcunditate, tanquam inter carduos rosæ, absconduntur. Atque hæc *theorias* venditantium turba, quis dubitet, quin non levis causa, cur hoc ipso tempore, etiamsi paucissimi summum hucusque attigerint, tamen singularis sit poetarum, non dicam bonorum, sed non ineptorum penuria. At enim non est hujus loci illam quasi luem litterarum fusius riteque persequi, et delirantes ingeniorum censores exagitare. Latinos autem scriptores, quid mirum, ab adolescentulis contemni, quibus, *doctrinarum pulchri* per latos campos vagantibus, quum non modo ad assiduam eorum doctamque lectionem, sed ad linguæ elementa percipienda tempus non sufficiat, non ideo isti minus Virgilium, Horatium, optimos quosque, et præ recentiorum mediocribus, et vulgo præ Græcis, quos minus etiam nosse potuere, spernunt? Sic enim nunc, *theoriæ* pleræque jubent; sic magistri garriunt, ut latinorum principes nulli videantur, vel minimos Græcorum inepte extollentes. Porro, quibus adeo displicent veteres latini, quidni recentiores impensius non jam contemnant, sed rideant? De quibus nobis deinceps disserendum, non tam eo proposito, ut ante pilos sapientes melius quid, quam quo ipsi glorientur, quam, ut integros ab illa labe meliora pro viribus, si qui hæc legant, doceamus.

22. Igitur, si quærimus, recentiorum poesis latina sitne eo, quo nunc premitur, contemtu digna, et, quod huic conjunctum, sitne ab illa post excultas jam recentiores linguas abstinendum, equidem, hoc suadentes qua justa utantur ratione, nullam invenio, nisi poemata latina, quæ eruditas aures mentemque oblectent, quæ pulchra sint, componi non posse; namsi possunt, absurdum, ne quis faciat, velle impedire; utique non magis a poesi quam a prosa oratione erit abstinendum; de quo quid sentiamus, supra diximus. De poesi autem jam exposituri, illud ipsum primum inquiremus, an poemata latina doctis et pulchri amantibus placitura componere recentioribus concedatur; de poetis vero neolatinis, quorum extant opera, quid præstiterint, sermonis demum, quo quasi artis instrumento usi, difficultate expensa, commodius rectiusque videbimus. Qui bona, id est, idoneis pulchri judicibus et linguæ sufficienti cognitione imbutis probanda poemata, latino sermone hodie componi posse, negat, aut in ipso sermone, necesse est, aut in aliis causam ejus persuasionis reperiat: quæ fateor mihi nulla prorsus, nisi aut inania occurrere, velut si, de quo nos opportuno loco, tractandi artem et imitationem neolatinorum incusemus, aut adeo ridicula, velut, si ingenium in eos non cadere fingamus. De sermone autem patet, simplicissimam esse quæstionem, scilicet, an versibus bene latine, an poetice etiam, prorsus, an ita scribere concessum, ut veteribus nobisque sermone probati poetæ scripserunt? Quæ quæstio, sane non mirer, si cui per se superflua videatur, simul ac dederis, prosa oratione bene scribi posse; atqui hoc qui negant, cum iis in priore dissertationis parte peregimus, hic nihil addituri, ut sententiæ nostræ adstipulantes habeamus. Quum igitur de prosa concedentibus absurdam vere reputemus de poesi quæstionem, id modo agimus, ut, quam sit quamque manifesto absurda, ostendamus. Enimvero ferendusne videretur is, qui germanice scribi aut gallice prosa recte posse contenderet, poetica autem oratione negaret? Quasi vero non iisdem vocabulis locutionibusque prosa et poesis utantur, aut, quæ poesi in utrisque propria sunt, quasi ea discere et tenere difficilius sit, quam quæ prosæ: quod qui mihi argumentis persuaserit, næ hunc ego mortalium sapientissimum prædicabo. Nam quo tanden modo bene utroque sermone scribimus, nisi scriptorum auctoritate probata sequentes? aut quæ ratio dabitur, cur difficilius in poesi probata, quam in prosa, et animadvertere et cognita imitari, aut, si alterum aliquanto difficilius esse concedamus, quæ ratio dabitur, cur alterum fieri nequeat? Equidem fateor, me nullam videre. An igitur hoc dicemus, aliter se rem habere, si de lingua latina, quam si de recentiore quæratur? At enim id et alias inane foret, et una, quæ est instar omnium, causa; quoniam scilicet eadem est poeticæ quæ prosæ orationis latinis in litteris copia. Nec enim quisquam harum gnarus dixerit, e prosa, quæ supersunt, scriptis parari posse prosæ bene et copiose scribendi facultatem, e poetis autem poeticæ orationis non posse. Etenim, cui ad eam rem superstites poetæ latini non sufficiant, est profecto, cur credamus nullum huic numerum satis futurum. Experientia autem vel illo refutetur, quod in recentioribus linguis poetica dictio haud ita magno poetarum numero si non tota, ita certe continetur, ut nihil desideres in eo, qui trium quatuorve in diverso genere principum poeticam sermonis copiam teneret. * Quid,

* In poetis latinis ut simile agnoscas, reputa, Silium Italicum, Statium, Valerium Flaccum, et æreæ ætatis Claudianum, ne alios insuper nominemus, nihil fere Augustei sæculi poetarum dictioni, quod quidem imitandum putemus, addidisse.

quod fuere unius maxime ad facultatem compositi, neque ob eam rem aut copia dictionis aut jucunda varietate carentes?

23. Quæ quum ita sint, satis adparet, quam inanis illorum sententia, quibus vel aureæ modo ætatis poetæ latini ad poetici sermonis copiam non sufficiant. Neque igitur hoc metuendum, ne necesse sit, aut mancam aut jejunam esse et velut exsanguem recentiorum poetarum latinitatem; non enim hoc rectius in illis quam in prosa oratione adfirmetur. Nec vero magis ferendi sunt, quibus placet de dictione poetica certum judicium non dari; sunt enim, et memini me audire, qui sic statuant; veterum scilicet poetarum orationem ejusmodi esse, ut sæpissime nec laudare recentiorum dictionem, et multo minus reprehendere satis certa auctoritate possis. Quod quum alios de utraque, alios de poetica magis neolatinorum oratione pronuntiare audierim, nescio utros magis a sana ratione aberrasse dicam. *) Sed de prosa, quæ diximus, hic non repetenda: in qua si absurdum est certum judicium negare, qui tandem in poesi sapientes negabimus? In utroque enim genere juxta, et ad facultatem et ad judicium, quorum alterum sine altero contingere nequit, parandum, ad classica exemplaria recurrimus. Cæterum, quod de prosa monui, a nimia censuræ fiducia temperandum esse, id in poesi impensius etiam suadendum diceres: nam, si omnino major est poeticæ quam prosæ orationis licentia, periculosius in illa, quam in hac fuerit scientiæ suæ nimium confidere. At hoc non obstat, quominus et utriusque dictionis copiam classicorum lectione studioque paremus, et, parata, continuo rudem et asperam orationem a culta et suavi, et prorsus poeticam a pedestri discernamus. Nihil autem magis arguit falsam persuasionem de non superabili styli poetici difficultate, quam, quod neolatinos reperimus poetica oratione optime, prosa male, certe nec emendate nec nitide scribentes; ut pateat utramque facultatem, quod ad linguam, a studio in utroque genere posito pendere.

24. Sed ut plenius refutetur, quam fingunt sermoni inhærentem difficultatem, hucusque de neolatinorum sive prosa sive poetica dictione disputatis quædam addenda sunt ad poetas propius pertinentia. Occurrunt enim hic mortem *) ubique in neolatinis reperientes, inter quos *æstheticum* nugatorem olim noveram, latine doctum, ut puero, si quid de cathedra recitandum esset, corrigendum traderet, græce, ut, vocabula aliquot memoria servans, speciem quandoque discipulis præberet non plane ignorantis ea, de quibus pro munere suo garriret. Mortis autem neolatinorem non simplex ratio. Nam aut sermone tantum, aut rebus etiam et arte mortui sunt habendi. Tum vero mortuos facientem necesse est alterum statuere; aut enim recentiores recte, atque ut veteres probati scripsere, lingua latina scribere nequeunt, aut ipsi veteres una cum recentioribus mortui sunt existimandi; nam cur eodem sermone recte utentes hi mortui sint, illi vivant, ratio non datur, nisi neolatinis omnibus ingenium deesse ponamus, ut ea sit mortis eorum causa: quod quum stolidum nimis foret, neque minus ridiculum, si veteres sermone nobis jam mortuos velimus, duo præstanda relinquuntur, alterum, ut recentiores non mortuos sermone, alterum, ut veteres omnino non mortuos esse, sed pulcherrima vita florere, demonstremus. Quamvis enim, si in lingua non quærimus mortis causam, nihil impediat, quominus, veteribus defunctis, recentiores nonnulli vivant; tamen, semel concesso, veteres mortuos esse, plurimis neolatinorum vix aliquam vitæ particulam superare patiemur; quippe qui non sermone tantum, sed argumento etiam et arte a veteribus ita pendeant, ut, his pereuntibus, ipsis vix umbra vitæ relinquatur.

(*) Ad poesin Voltairii illud de Sanctolio: *il passe pour excellent poète latin, si on peut l'être — Comme je n'ai point véou chez Mécène entre Horace et Virgile, j'ignore si ses hymnes sont aussi bonnes qu'on le dit: si par exemple* « orbis redemptor, nunc redemptus » *n'est pas un jeu de mots puéril. Je me defie beauconp des vêrs modernes latins* Quæ quod a summo poeta et acerrimo omnis venustatis judiee dicuntur, ut multa ab eodem jocose magis et lepide quam vere dicta, non eo minus futilia sunt. Nam ut sapientis erat, fateri, se, lingua latina scilieet leviter imbutum, nescire, an tam pulchri sint, quam ferantur, Sanctolii hymni, sic causa, quod apud Mæcenatem inter Horatium et Virgilium non vixerit, ridicula Nam si necesse, inter scriptores vixisse, de nemine veterum nobis judicandi copia relinquitur, et stulti Virgilium Ennio aut Lucretio aut Claudiano dictione præferentes, neque vero ipsi veteres audiendi sunt, antiquiores, mutata jam lingua, alios mirantes, alios reprehendentes Verum et his et nobis, si sapimus, dictione boni decendi sunt, quicunque, sive veteres sive recentiores, linguæ latinæ eam formam exhibent, quæ scriptis, et sua ætate et posteriore laudatis, ad nos pervenit; cujus linguæ si certa, quantum satis, scientia non conceditur, quid tandem in ea laborare et de summis ingeniis judicare pergimus? Sed, quin concedatur, nemo dubitaverit, nisi illius linguæ aut nullam aut perexiguam cognitionem consecutus Quodsi autem ridiculus interim sit Sanctolius, si puerili verborum lusu delicatiores censores offendat, (et aliquoties hoc ei accidisse, putamus,) id jam non ad rem; quippe, in quo malns Sanctolius fuerit, nil vetat, ne alii boni inveniantur Denique, si *orbis redemptor nunc redemtus* puerilis locutio, manifesto patet, non linguæ hanc, sed poetæ culpam esse; nam, si ineptam esse demus, latina tamen ita manebit, ut magis ipse Horatius latinam nullam fecerit.

(*) Vocabulis *mors* et *mortuus* hic et in sequentibus an ciceroniane utamur, non expendendum putavimus.

25. Si verum est, quod supra conati sumus demonstrare, linguæ latinæ recentiores tam plenam perfectamque, universam spectanti, quam patriæ cognitionem posse consequi *, cur vis ea lingua scribenti, sive in prosa, sive, quam hic respicimus, in poetica oratione, cur vis, inquam, vividusque, ut ajunt, color desit, causam non ineptam frustra quærimus. Enimvero, quis, nisi plane rudis in linquarum studio, non intelligat, cujusvis vim sermonis, semel nota definitaque vocum significatione et ad locutiones conjunctarum usu, jam a scribentis studio ingenioque et arte pendere. Nempe iisdem prorsus loquendi formulis usi, alii languent, alii vigent; velut in homerico, quem vocant, sermone, ipsius Homeri vivida est florentis instar naturæ oratio, Apollonii Rhodii quandoque frigida, frigidior multo Quinti Smyrnæi, nec dubium, quin, frigidissimo multi sermone in numeroso fuerint Homerum æmulantium grege, quorum scripta interierunt. Ac nequis in hoc ipso speciosum contra nos argumentum quærat, vetat philologis notissima res. Nam nec omnes superantes languidi, et alii aliis magis, et quidam alias languentes, alias vividi reperiuntur; deinde nec a singulorum ætate discriminis causa repetenda; quandoquidem serioris ævi invenias homerico sermone vetustioribus nitidiores: quæ res acres illas criticorum controversias excitavit, quum alii versus quosdam aut longiora poemata ad Homero proxima tempora aut antiquiora etiam revocarent, interdum quidem non tam dictione quam aliis causis sententiam suam defendentes, alii tertium forte aut quartum æræ christianæ sæculum auctori vindicarent. Jam, quis justam neget comparationem, si poetas neolatinos eadem, qua homerico sermone usos, conditione censendos dicamus, utrosque scilicet lingua mortua, utrosque e vetustis petenda, alios vividos dictione, alios languentes?

26. Quanquam ego, de hac quæstione, ut persuasum habeo, disserens, minime videri volo, quod experientia omnes norunt, solus ignorare. Nam in omni linqua nonnullis, imo multis vocabulis singularis quædam vis inest, adeo, ut in iis accurate reddendis desperent interpretes. Hæc igitur vocabula in scriptorum rara quidem non sunt, sed longe frequentiora in vulgi sermone, et in provinciarum eadem lingua loquentium dialectis. Jam, ut de ejusmodi vocabulis, quantum necesse videtur, brevissime dicam: patet primum, illa non minus in lingua latina debere quam in quavis alia occurrere; et vere occurrunt; an autem frequentius rariusve in recentioribus, inexploratum relinquimus. Sed illud manifestum, nihil hic esse incommodi latine scribentibus: unum requiritur, ut eorum vocabulorum vim usumque probe teneant. Verum distinguenda a cæteris hic sunt illa, quæ humilioris maxime sermonis, eademque admodum numerosa, in scriptorum autem sermonem partim recepta, partim exclusa, aut non nunquam, velut in comœdiis, jocandi gratia usurpata. Et vero manifestum est, ejus generis vocabula plurima occurrere in Plauti fabulis, rariora, si qua sunt, in Terentii elegantiori et tersiori dictione, quippe Plauti, ut infimi ordinis facetias, ita his convenientia verba respuentis. Neque enim putandum est, minorem aut Terentii aut seriore ætate illorum copiam fuisse Plauti exemplum sequi volentibus *. De ejusmodi igitur plebeji sermonis vocabulis ingenue, quod ratio suadet, confitendum. Nam, ut Quintilianus Romanos in comœdia maxime, sic nos in hac sermonis parte, quæ familiaris est comicis, recentiorum latinitatem claudicare recte dicimus. Quippe et multa veteris ex eo genere sermonis cum scriptoribus periere, et, si major copia superesset; tamen ne sic quidem multum juvaremur. Nimirum, quum hæc pars inprimis a moribus et quotidiano vitæ usu ducatur, vimque suam teneat, utraque autem apud Romanos diversissima a nostris fuerint, facile perspicias, neque vocabula locutionesque ab iis ad nostræ consuetudinem vitæ satis feliciter traduci posse. Sequitur adeo, recentioribus ab ea poematum specie, si sapiant, esse abstinendum, a comœdia quidem vix non universa, sed potissimum tamen ab eo genere, quod brevitatis gratia Plautinum hic adpellare sufficiat. Quam enim temerarium sit, velle in hoc genere vel mediocria recentioris linguæ æquare, hinc egregie colligas; quod, licet, si antiquitatem compares, moribus parum discrepent Galli a Germanis, tamen difficillimum sit ac pæne desperandum, alterius harum nationum alterius sermone fidam vividamque vitæ morumque imaginem in scena exhibere;

* Juvat in rem meam trahere verba celeberrimi Heeren, quem, etsi non tam veterum linguarum scientia, quam aliis nominibus clarum, hic tamen multis adeo philologis anteponerem. Is igitur, in *Gesch. d. class. Litter. im Mittelalter*, epistolas, inquit, illius ævi (Hermolai Barbari, Politiani, Poggii, aliorumque sæculi XV. litteratorum intellige) legentes, profecto, lingua mortua scriptas, non animadverteremus, sed vernaculam auctorum, nisi contrarium nos historia docuisset, crederemus.

* Inter prosæ scriptores neminem hic potius, quam Petronium citarem, qui plurima habet infimi sermonis, qualia in taberna maxime quæreres, eaque germanicis ejusdem notæ simillima, omnino talia, ut, si in neolatino inveniantur, non modo ea Krebsiani nostri aut Jaiiniani non probarent, sed, ne latina quidem esse, non dubito, quin deos hominesque testarentur.

ab hoc igitur non abstinenti neolatino periculum est, ne mortuus sermone jure quodam a criticis dicatur. Cæterum, leve hoc sermonis latini recentioribus incommodum; quoniam ea poemata, a quibus maxime abstinendum, talia esse patet, ut, si vel optima facere concederetur, tamen graves causæ subessent, cur potius in omni alio genere laudem quæreremus. Nam, ut cætera mittam, comœdiæ scenæ magis quam lectioni componuntur; latinas autem nemo sanus jam in scenam ferre voluerit. Quanquam non me fugit, quod in comœdia incommodum cernimus, idem in alio etiam genere occurrere, nempe ubicunque illa sunt exhibenda, propter quæ et comœdias non tentandas existimamus. Ac, ne in nominibus laboremus: quod de comœdia diximus, latius sic pronuntiandum erit, esse aliquam moris et vitæ quotidianæ apud recentiores partem, cui vivide lepideque exprimendæ latinitas vetusta vix aut nequaquam sufficiat. An vero hæc justa sit causa, cur poesis neolatina aut damnanda aut negligenda videatur, infra erit dispiciendi opportunitas.

27. Sed enim quid sibi volunt vividum colorem universe in poetis neolatinis deesse querentes, neque idem in Virgilio, Horatio, et elegiacis Romanorum scriptoribus? Nam qui hic quoque mortem sibi fingunt, eos quid doceam, non habeo, nisi, aut infausto ad poesis vim et pulchritudinem sentiendam sidere natos, aut ad veterum lectionem poetarum non satis eruditos paratosque esse, aut denique ex aliorum judicio, aut *æsthetico systemate* non lectos damnare. Cum his igitur luctandum non est, utpote quos aut pulchri sensus expertes, aut de rebus, quas cognoscere sive nequeunt sive nolunt, nugantes, aut paradoxa foventis sæculi morbo laborantes habeamus. Veterum gnaris et maxime sermonis in iis vim suavitatemque sentientibus loquimur. Satisne illi scriptorum culpam, quum sermone languentes accusant, a lingua segregarunt? Anne potius veterum, qui in nonnullis est vix superabilis, nitore abrepti, quum ab eo recentiores immane quantum abesse viderent, de omnibus idem statuerunt, a lingua flagitantes, quæ scriptoris ingenio præstanda? Enimvero non vereor, ut poeticæ dictionis vim copiamque tenentes hoc mihi sint, quod supra dixi, concessuri, non linguæ, sed scriptorum vitio tribuendum, quem plerisque jure exprobramus languorem. Cujus quidem rei non simplex ratio adferri potest. Nam aut facultas illis deest sermonis stylique poetici, diuturno veterum studio paranda, aut acer pulchri sensus, quid quoque in genere locove deceat, discernens; quales sunt humilia grandius, grandia humilius efferentes, aut Plautina Virgilianis aut Horatianis illepide miscentes, ut ipse Baldeus, qui si, quantum ingenio, tantum limata phrasi et pulchri judicio valuisset, nescio, quem non præstantia æquasset Latii poetarum; aut denique facultas poetica scribentibus deest, quam nisi quis adferat ad versus pangendos, mirum profecto non est, si, ubi mens, sæpe sermo etiam langueat. Difficile enim est mente, si sermo, at multo difficilius sermone, si mens langueat, nitere; etenim mentis, licet obscurius adpareat, genuinum tamen decus, sermonis contra solius inanis ostentatio.

28. Atque hæc omnia, quis dubitet, quin de poetis recentiori lingua usis perinde, ac de neolatinis, recte adfirmentur? Nimirum nec in illis omnibus eadem est aut ingenii aut poetici sermonis facultas, neque iisdem par in singulis exhibendis dictionis vigor; nisi forte nihil dicamus, inter nostrates plurimorum, velut Gleimii, Uzii, præ Schilleri sermonem enervem fere tardeque fluentem arguentes. Neque vero alia est ipsorum veterum, ut monuimus, ratio, neque esse potest. Et hoc quidem in superantibus satis, sed clarius adpareret, si non meliores modo, imo fere optimi suæ quisque ætatis, ad nos pervenissent; verum vel in his sermone languentes facile deprehendimus, comparatione cum Virgilio Horatio aliisque instituta. De recentioribus autem multis in Germania hoc ipso tempore florentibus, aut nuper extinctis, adfectata dictione eademque tanquam caliginosa gaudentibus, nonne verissime diceres, ita hos enerves sermone marcidosque esse, ut magis neolatini nequeant? Atqui illi non mortua lingua, sed et sua et eo tempore usi sunt, quo a summa eam perfectione minimum distare, critici multi gloriantur. Quodsi igitur fatendum, ut cæteras poetæ dotes, ita linguæ vividum colorem vimque plurimis et veterum et recentiorum deficere, meritone, idem in neolatinis accidisse, aut potius, si non accidisset, miraremur? Enimvero, non quot, et quam langueant sermone recentiores, sed hoc quærendum, an omnes pariter, et magis etiam, an nonnulli veterum quoque optimos vivido colore æquaverint?

29. Quanquam risum sane hoc loco *æstheticis* nostris movero, ut rem incredibilem narrans, nimis ab ipsorum doctrina abhorrentem. At mihi, ut supra dixi, cum iis negotium sit, qui veteres scriptores longo studio penitus, quales sermone atque arte sint, intelligentes, sic demum ad recentiores evolvendos cognoscendosque accesserunt. Itaque, nisi quem re probasse sciamus, se utrorumque non præcipiti quadam, sed accurata cognitione imbutum, omnino, is quid judicet, non curabimus, utpote persuasi, si quid recte dicat, temere magis, quam explorata rite quæstione, dicturum; nam, antequam judices, ut in omni re, sic in litteris, discendum est. Sed ad rite discendum *æstheticis* istis, omnia scilicet, ut *Hippiadum* de stirpe diceres,

nosse præ se ferentibus, otium non suppetit: itaque fit, ut juniores plane, et inprimis, quod facile dederis, in poesi delirent, seniores autem multa quidem recte, sed tamen ita statuant, ut pateat, eos magis ad *theoriam*, quam e profunda rerum investigatione et, quæ hinc nascitur, intima persuasione disserere; quominus quæramus, cur iidem iisdem de rebus longe diversa et contraria sentiant. His igitur risum vix non movebo de poetis neolatinis, postquam plurimos, et in his meliores, alios integros, alios, quantum satis ad rem, perlegi, sic existimans. Sunt profecto in illis, ut omnino in poetarum grege, sive dictionem tantum, sive tractationis artem, ingenii vim, et quibuscunque carmina fiunt cedro digna, intuearis, pauci boni; ac, si quis ita mavult, pauciores, quam inter patria lingua usos, bonos esse, pro numero scilicet, concedamus; atque eo fortasse facilius, concedendum, quoniam, qui veterum poetarum assidua lectione tritas rhythmicæ suavitate aures, et imaginum, ut ajunt, poeticarum nitidique sermonis ingentem copiam habent, non mirer, si crebrius etiam, quam recentiore lingua versus facientes, ad eam persuasionem gratissimo mentis errore ducantur, ut, dictionis poeticæ copiam et splendorem mutuantes, se poetas non contemnendos haud magno negotio evasuros esse, confidant; quo malo nunc inter nostrates laborant, quos *Schillerjantes* non absurde adpellares. Et vero dictione, vel, qui cætera spernendi neolatini, non verear universe meliores aliquanto dicere, quam patria lingua utentes poetas; nec longe quærenda ratio videtur, si de eo poetarum genere loquimur, qui linguæ, quidquid habent poetici, debent. Nam quum hoc aliorum imitatione comparent, nec enim aliter possunt, utpote non e sua mente sensuque poetico sermonem fundentes, tutior censenda est veteres quam recentiores imitantium via; quippe inter veteres paucissimi communi doctorum consensu ante alios dictione laudati occurrunt. Hos igitur neolatini, tanquam haud dubiæ excellentiæ exemplaria, suo quemque in genere imitantur. In patrio contra sermone complures vulgo inveniens, non mirum, si incertns hæreas, quem potissimum sequaris, majori adeo periculo, ne inter diversos inæquali oratione vageris. Tum vero vel optima eminentium dictione non eadem est, quam veterum auctoritas, neque esse potest in lingua mutationibus usque obnoxia; ita quidem, ut Kleistii, e. g., Uziive poetici sermonis copia contentus, nostra ætate exilis sane haberetur. Cæterum, hoc argumentum ejusmodi esse sentio, quod pleniorem persuasionem longa variaque explicatione consequatur; sed propositæ brevitatis ratione multa levioris ad summam disputationis Nostræ momenti, sicut exordientes monuimus, indicamus magis quam accurate tractamus.

30. Utcunque se res habeat, illud, quod inprimis hoc loco videndum, minus adfirmare peritis verear; nam, quod multi sunt poetæ neolatini dictione spernendi, non obstitit, quominus multi quoque sint, ac nonnulli adeo probandi ut posteriores aureæ ætati veteres plerosque vivida illa et mascula sermonis simplicitate, qua nitent Virgilio et Horatio æquales, vincant, ipsos autem primarios ejusdem ætatis scriptores aut attingant, aut prope ad exemplarium præstantiam accedant. Tales vero sunt inter Italos Bembus, Vida, Sannazarius, Fracastor, alii, renatis in Italia litteris tempore æquales aut proximi; apud reliquas autem gentes pauciores quidem, opinor, sed tamen, quos classicis comparare possis, reperies. Quis enim nom mediocrem latinarum scientiam litterarum adeptus, vel Buchananum Scotum, vel Lotichium Germanum ita scripsisse neget, ut sermone aurea ætate digni videantur; quidve ad eum honorem Heinsiis, Hosschio et Wallio, Belgis, quid Sarbievio, Polono, deesse queramur? Quibus ego, quid vere periti, sicut omnino dictione præstantibus neolatinis, objiciant, libenter fateor: etenim his sæpe, quæ prosa quoque scribentibus, ipsa veterum, qua sola excellere possent, imitatio nocuit, modum scilicet excedens, et quandoque servilis, quæ in dictione non minus religiose quam in rebus imitandis vitanda. Nec quidquam vetat Virgilium dictione, si quis tantum ingenio valeat, æquare, quin servilis imitationis arguatur. Est enim hic media via tenenda, ut, colorem ab exemplaribus tractum prodens, omnem tamen sponte copiam et libere fudisse videaris. Ut igitur pravam imitationem vel in optimis, velut in Vida, reprehendo, sic, cætera quod attinet, ad eorum judicium provoco, qui memoratos modo poetas non nomine tenus, sed studiose lectos norunt: quales probe scio paucos inveniri; contra ipsorum ætate iidem a doctis non minus, quam qui nunc maxime recentioris linguæ poetæ, legebantnr. Neque vero quisquam mortuæ eos sive languentis dictionis incusabat; tametsi, quibus illi placebant poetæ, multo sane doctiores judices, idque variis de causis, plerique erant, quam qui nunc eosdem neolatinos tanquam sepultos spernunt. Scilicet, ex quo jam parcius legebantur, tum demum ab indoctis aut temere judicantibus id pronuntiatum est, poetas illos æqualibus, pulchri nempe sensu carentibus, certe ab *æsthetica* nostri temporis excellentia remotissimis, ferendos aliquatenus fuisse, nunc autem nihil optabilius litteris esse, quam ut in perpetuum sepulti delitescant. De quo judicio quid existimandum, pluribus mox declarabimus: hic de sermone neolatino peragendum.

31. Igitur credibilene videatur, Vidam, San

nazarium, Polizianum, Joannem Secundum, Sarbievium, alios, non sua ætate modo, sed diu post mortem ita placuisse, ut pluribus editionibns eorum opera, et nonnullorum brevi temporis spatio tot vulgarentur, quot nunc vix ullius patria lingua clari poetæ; quamvis consentaneum rei fuerit, vel mediocri recentioris linguæ poemati citius denos, quam neolatino, quantumvis pulchro, singulos lectores inveniri: credibilene, inquam, hoc videatur, si illis scriptoribus vere id, sine quo nulla poemata nec valde diuque placuerunt, nec unquam placebunt, si poeticæ dictionis vis illis, si copia nitorque vere desit? Equidem existimo, non magis placere illos potuisse, quam hodie placent primariis dictionis dotibus carentes. Enimvero, an, quod unum sententiæ nostræ adversantibus, modo memoratum, relinquitur, an sani dicemus, illorum poetarum æquales et posteros etiam vere tam in litteris barbaros, tam abhorrente a sensu pulchri natura fuisse, ut merito sint nunc contemnendis delectati? Sed enim veteres scriptores, Græcos Latinosque, illa ætas nequaquam ignorabat, imo summo studio colebat, ac, si quid judicamus, eorum præstantiam melius aliquanto tum docti sentiebant, quam nostro plerique tempore, multis modis impediti, ne de neolatinis sincere judicent, multi etiam de ignotis garrientes. Sed illud tantum teneamus, veterum præstantiam illius ævi doctos, si non melius, quam plerosque nostros, at certe sensisse. Itaque nec comparatio iis neolatinorum cum classicis defuit, nec exercitatum formatumque eximiis exemplaribus judicium; neque adeo, ut vulgo homines optima quæque judicant, queis meliora haud novere, sic illi recentiorum poemata latina, egregia nulla habentes, probabant; nisi quis veteres ipsos barbaros et vix lectione dignos velit, qualis est hodie nonnullorum, stuporne dicam mentis, anne potius *æsthetica* sapientia? Quid, quod jam tum recentiorum linguis eximia poemata, non apud Germanos quidem, sed apud alias Europæ gentes vulgata, neque ob eam rem neolatina contemta sunt? quod Baldeum, quamvis dictione multis inferiorem, Italis quoque placuisse accipimus; licet illis jam essent patrio sermone composita opera ea, quæ et ipsi et exteri etiam præ aliis hodieque mirantur? Hæc si reputamus, nonne nugari eos constabit, qui poetas neolatinos, et æqualium et posterorum manibus tritos, et cum veterum præstantia comparatos, tamen inepte laudatos, et vel linguæ vitio nonnisi pulchri sensu carentibus placuisse, fingunt? Atqui hæc est præcipua, cur vulgo nunc damnentur, ratio, inanis illa quidem, sed jure ab eorum adversariis in auxilium vocata. Nam si lingua probandos esse concedant neolatinos, nulla jam idonea causa, cur damnentur, ac veteres non spernentibus ne speciosa quidem superat. Quid enim relinquitur, nisi ut contendant, aliud quam patrio sermone latine scribentibus, sive potius nullum his ingenium vimque poeticam esse? Sed illa, ut ante dixi, manifesta insania. Hæc de recentiorum dictionis morte; restat, ut de veteribus videamus: quos quoniam absurdum sermone mortuos dicere, sequitur, ut rebus, ut argumento, arte et ingenio inter defunctos numerentur.

32. Quid igitur sibi volunt hodie vetusta ingenii humani monumenta ut mortua fastidientes? Nempe, ne omnino nihil, hoc, opinor, si non liquide, certe confuse menti obversans, volunt, veterum scripta, utpote remota ab ætate nostra, et a moribus aliena, ut verbo dicatur, quasi alienum a nostro mundum exhibentia, nos ipso argumento minus movere, quam quæ nostris temporibus morique propiora aut præsentia, sub oculis nostris posita. Hæc itaque antiquitatis reprehensio, quo verior est, si alteram partem consideres, eo accuratius videndum, quam vim habeat ad veteres litteras et poesin sive damnandas sive præ recentioribus deprimendas. Duplex omnino est operibus animo oblectando aut solum aut præcipue compositis virtus, altera argumenti, altera, ut latissimo sensu dicamus, tractationis. Illa in quibusdam poematibus, ne de alio genere loquamur, ita requiritur, ut, si deficiat, omnis tractationis ars frustra sit. Quid enim profuerit, egregie dicere, quæ, vitio rebus inhærente, tractata nitescere nequeant? Contra in alio genere exigua argumenti vis est, ut pæne diceres obvia quæque idonea, et levissimam esse poetæ laudem, quæ placeant, reperisse: Hoc ergo genus omnem honorem a tractandi arte trahit, nec sine ea quidquam tolerabile existere potest. In priore autem genere eadem ars minus quidem necessaria est, ut ferendum poema et laudabile etiam prodeat, at perfectum tamen non datur, nisi utraque virtute conspicuum. Unde recte colligere videmur, si pauca excipiantur, tractationis arti primas partes esse ad pulchra efficienda tribuendas. De materia porro, si illud spectamus, quod ad nostram de antiqua poesi quæstionem pertinet, multiplex et prope infinita est distinctio; sed nobis quæritur, an mortua, contemtus scilicet causa, adpellanda sint, quæ veterum poetarum scriptis continentur; hæc igitur res non ita longam disputationem flagitat.

33. Omne argumentum aut ex aliis naturæ partibus, aut e vita humana petitur: prioris parvum est ad præsentem quæstionem momentum; posterioris hic rationem consideramus. Vitæ humanæ duæ cernuntur partes non confundendæ, altera mutabilis, mores, facta fataque, altera immutabilis, hominem in exterarum rerum muta-

tione sibi constantem eundemque ostendens. Jam, quum mortuum quid dicimus, patet primum, hoc prorsus ad mutabilem partem esse referendum; nam, si ad alteram referas, ingenium sive naturam humanam, simulque te ipsum mortuum, idoque rem absurdam dixeris. Quod si jam quærimus, mores, facta fataque hominum præsentia, an præterita vetustaque majorem vim habeant ad animos nostros vehementer jucundeque permovendos: ut insipientis foret præsentia simpliciter dicere, ita negari nequit, quin et vulgus plerumque et omnes sæpe valdius moveamur iis, quæ e moribus nostris fatisque et vicibus, ac veluti e nostro mundo petita poetæ, quam quæ ex remoto, parum noto, nec quidquam ad vitæ nostræ rationem fataque pertinente repræsentant. Sic, ne, quamvis properantes, exemplis prorsus abstineamus, *mirum* sane foret, si quis judicaret, majorem vim ad nos oblectandos poema habiturum Turcarum sub Solimanno I., aut Tartarorum res præclare gestas et cum Chinensibus bella, quam Gallorum, quem ipsi vidimus cum Europae gentibus conflictum, enarrans. Nec minus ridiculum, si quis spectatorum se voluptati melius consulturum putet veteris populi Atheniensis, quatenus datur, vitam in scena, quam nostram aut nostræ propiorem, velut Gallorum, exhibendo. Est igitur hoc sui sæculi mores, facta vitamque referentium magnum certe nec simplex commodum; sed ne antiquitatis ingenii monumenta ob eam rem parvi, imo ne minoris facienda reputemus, ut sapientibus semper persuasum fuit, ita *æstheticis* deliriis occupatos pronum est multis rationibus docere; in quibus gravissimæ videntur, quas hic explicamus.

34. Primum enim, quod a præsenti populorum status enarratione vitæque imagine præcipuum habent poetarum scripta, hoc necesse est moribus mutatis et temporis longinquitate perire; nam quæ nunc, ut nova et omnibus nota, tanquam nostra proprie, libentius bene tractata legimus, ea posteris nostris, moribus institutisque mutatis, vetusta erunt, qualis nobis quæ per medium, ut vocant, ævum fuit vitæ rerumque facies; nec minus posteris fata sua factaque erunt, quibus valdius quam patrum et curiosius moveantur. Est igitur fluxa hæc argumenti, ut ita dicam, præstantia, sicut ipsæ res humanæ, et quæ nunc ob eam præcipue dotem magnopere, si cæteris inferiora sunt, mox eadem minus minusque placebunt, postremo inter neglecta, certe inter mediocria ponentur, quem servabunt honorem, iis dotibus, quibus a suo sæculo non pendent, debitura. A nobilissimo scriptore exemplum repetatur. Gœthei nostri per terrarum orbem lectione, pictura etiam celebratus liber, dubium non est, quin jam perdiderit præ aliis ejus ævi scriptis excellentiam ab ingeniorum, qualis tum erat, conditione ductam: quippe *Wertheriana* illa, ut brevissime dicatur, animorum impulsio jam diu præteriit. An vero simul eximii libri apud sapientes admiratio cessavit? Minime. Nam de laude a sæculo, quo prodiit, pendente pauciores quidem nunc judicare possunt, et olim paucissimi judicabunt. Hi igitur soli illam præstantiam, quanta sit, sentient. At enim, quam uni scriptoris ingenio debet, ea neque nunc imminuta est, et perpetuo durabit; nec ei vetustas alia quam linguæ, quæ hodie prioris ævi Germanorum poetis, nocebit, nisi hanc summam, quam patiatur, perfectionem jam attigisse ponamus.

35. Quænam autem illæ ingenii dotes? Nempe eædem, quibus cuncta et veterum et recentiorum opera et sua ætate et apud posteros nituerunt, non a moribus ævi alicujus, nec a populi fatis, ne ab animorum quidem singulari quadam impulsione pendentes, qualem in Gœthei libro tam egregie expressam ejus populares mirati. Has dotes quum in poemate reperimus large profusas, ut de ejus præstantia constet, quærere aut necesse non putamus, quo tempore quibusve vigentibus moribus scriptum sit, aut, si extra ipsum opus hæc quæramus, id eo consilio fit, ut obscuriora plenius intelligantur: quod si jam adsequi non concedatur, iis, quæ interpretis non indigent, nitentes, de operis laude statuimus. Quidni vetustissimi et principis Græcorum poetæ nota excellentia sententiam hanc planius declaremus? Nam quis in Homero aut nunc aut apud veteres etiam Romanos quæsierit, perfectamne ille an mancam sæculi morumque, quos versibus est complexus, imaginem exhibeat; aut quis quærere sanus potuisset, quum ipse sit unus fere fons in rebus hisce cognoscendis? Neque vero id inquirimus, utrum ad ipsius sæculum trahenda sint, quæ retulit, anne ad antiquiorem Græciæ gentis statum: hæc, inquam, nos jam non, inquirimus de poematum ejus præstantia judicantes; quæ si ex aliis scriptoribus rerum enarratarum interpretationem flagitaret, vix ulla nobis judicandi via facultasque relinqueretur. Itaque hoc maxime agimus, ut, ex ipso, et si quid aliunde ad illustrationem detur, colligentes, poetæ carmina, quantum fieri possit, rite planeque intelligamus, non ut eo de locorum, interpretatione non indigentium, omninoque de poetæ præstantia melius judicemus. Hæc enim quanta sit, neglectis, quæ rerum explicationem flagitant, veluti regionum, morum, allegoriarum, et quæ alia sunt innumera, non minus lucide adparebit; scilicet hæc prorsus in ratione atque arte perspicitur, qua hominem secundum conceptam ipsius animo imaginem poeta exhibuit. Hæc est enim æterna

illa magnorum ingeniorum, hæc poetarum excellentia; contra, quæ a tempore moribusque pendet, fluxa est natura, ob eamque rem sapienti minus ambienda; utpote non tam sollicito, ut in breve tempus et multitudini inprimis, quam, ut summa a mediocribus, hæc a futilibus discernere doctis in omne ævum placeat..

36. Quare argumenti virtus, est illa quidem, si cum cæteris dotibus conjungatur, laudanda, sed sola quam sit parvi facienda, experientia monet. Nam, ut ad proxima recurramus: novimus nostra ætate Gallorum in Germania strages et recuperatam generoso certamine libertatem a multis, sed plerisque exigua aut nulla ingenii vi esse celebratas. Igitur accidit, quod necesse erat; nam in bréve tempus quidem argumenti virtute illa poemata omnium manibus trita sunt, nec sapientibus incuriosis; at quoniam cæteræ illis dotes deerant, post aliquot annos, delusa populorum, quam sibi finxerant, spe liberioris reipublicæ, eadem, paucissimis modo exceptis, perpetuæ oblivioni tradita jam nunc cernimus. Contra Homerus, suo quidem sæculo, dubium non est, quin multis mirifice placuerit, quorum nobis jucunditas sive tota periit, sive imminuta est; sed idem immortali illa ingenii virtute hodie non tam optimis in poetis, quam primus omnium, ponitur. Atque hæc res præsertim magna ingenia movere debeat, ne suam excellentiam in eo potissimum genere ostendere velint, in quo necesse sit illam lapsu temporum et mutata morum vitæque facie, si non penitus obscurari, at minus tamen adparere. * Exemplo inter clarissimos veterum poetas sint Aristophanis comœdiæ, ob ingentem illæ rerum interpretationis difficultatem, quod non leve incommodum, paucissimis lectione notæ, et, quod scriptoris gloriæ nocet, peritissimis etiam et linguæ et antiquitatum græcarum illius præstantiæ, qua olim poetæ popularibus placebant, exiguam partem, si quid et nos judicamus, servantes. Jam, sicut quosdam scriptores, utpote alium velut mundum describentes, nunc argumenti, ita Aristophani similes ingenii ratione quodammodo mortuos non absurde diceres; magna enim ejus ingenii pars interiit: ut jam, quantus poetica facultate fuerit, difficillimum sit judicare, imo satis judicari nequeat; nec vero de ullius auctoris ingenio major controversia inter criticos, aliis mirantibus, aliis vix non irridentibus poetam, cujus animam Gratias, templum non periturum quærentes, reperisse, ingeniose dixit Plato. Scilicet sagacissimus ille pulchri judex, qualis esset Aristophanes, ut civis et fere æqualis, plane intelligebat, nos, quantus popularibus fierit, e veterum laudibus magis quam ex servata ejus præstantia conjicimus.

37. Sunt igitur inter veteres, quos quasi dimidia parte, sunt, quos pæne integros mortuos non inane sit dicere. At ea res nihil impedit, quominus universe ut mortua contemnentes antiqua ingenii humani monumenta non ridiculos modo, sed plane delirantes summo jare adpellemus. Nam qui Homerum, Pindarum, Thucydidem, Platonem, qui Virgilium, Horatium, Sallustium, Ciceronem, quasi mortuos scriptores, spernit, is aut non animadvertit, quid dicat, aut quænam sit ingenii veraque vita, et pæne dicerem, se ipsum vivere, quid sit, ignorare videtur, Atqui frequens est similis veterum scriptorum, et eos colentium incusatio, ac sæpe alias recti judicii homines tam absurda persuasione teneri, quosdam etiam adfectantes magis intelligas; nimirum adeo solenne nostro tempore vocabulis sine sensu et disceptare et temere quidquid pronuntiare, ut ne prudentiores quidem satis sibi cavere ab ea stoliditate inveniantur (*). Quam vero insulsa sit veterum illa contemtio, si, quæ præcedunt, non abundedocerent, vel sic colligeres. Nam, ut constat res ad nostros mores vitamque et facta pertinentes vulgo nos vehementius movere, sic verissimum quoque est, nunquam in animis nostris cessare aliena et tempore et spatio remotissima cognoscendi desiderium. Quin etiam haud raro aliena majorem vim ad delectandum habent, quam nostra, et nostris ipsa comparatione impensius sæpe delectamur; quod ni ita esset; ut Romanos Græcosque mittamus, nec Tassi epico carmine, nec vero Ossianis, vitam ab nostra alienissimam adumbrantibus, tam insigniter plerique delectarentur. Sed enim modus dissertationi nostræ statuendus in hoc fœcundo argumento ulterius morari nos non patitur. Quare satis jam de imaginaria(*)poetarum et veterum et neolatinorum morte; cætera autem quod attinet, neolatini sintne contemnendi et negligendi, deinceps dispiciendum erit.

38. Ac primo quidem, quos hucusque nec lingua, nec omnino, quatenus a veteribus pendent, spernendos, et sua ætate egregios judaca-

(*) Egregie ad hæc, quæ Herder, in *Ideen zur Geschichte u. kritik* etc., n. 56.

(*) Sic olim vir acri pulchri sensu et egregie doctus, quum ab historiæ veteris professore naturæ studium lepidius quam verius contemtum audiisset, posseque hominem justo argumento refellere, scripsit adversario, mirum non esse, si naturam vivam non amet; nam mortua tantum oblectari, non sapientiore scilicet exprobratione, quam si naturæ scientiam veterum litteris præferenti philologus, minorem in muscos, quam in veterum scripta servantibus chartis vim vitæ superare, objiciat.

(*) *Imaginarius* hoc sensu fuit qui carperet: ne latinum esse neges, cf. Sen., *Ep.* 58, ista imaginaria sunt; adde Livii, 3, 4, imaginariis fasicibus.

tos docuimus, cur hodie contemnantur, inquiramus. Hic igitur simplicissima eadem et justissima erit defensio, si, quia non legantur, contemni adfirmemus; cur autem non legantur, paulo prolixius explicandum. Ex quo enim recentiores linguæ impensius excultæ sunt, et ad eum provectæ gradum, ut jam in ipsis impedimentum non esset, quominus egregia iis, et veteres æquantia, aut si quis ita malit, superantia opera componerentur, multis de causis necesse fuit, tum veteres, vulgo scilicet, minori in honore, quam antea haberi, tum vero multo magis neolatinos. Nam veteres, etiamsi minore jam, extra scholas utique, lectorum numero gaudebant, tamen eos recentiori lingua utentes plerique scriptores, et in his primaria ingenia, magni faciebant, et exemplaria quoque sibi patrio sermone æquanda proponebant; deinde in scholis etiam publicis veterum lectio atque interpretatio durabat, et ad hanc diem duravit; quod nisi ita esset, ut ad neolatinos, paucissimi nunc, vel inter linguam latinam græcamque satis callentes, ad auctores classicos legendos sponte ferrentur. Nam et eorum, qui in scholis ejus lectionis initia sub magistro percepere, pauci, exceptis, quos litteratos proprie vocamus, hac animi oblectatione, semel scholis egressi, fruuntur; ac necesse est ita fieri. In veteribus enim vel linguæ jam et rerum etiam cognitione mediocriter instructo operosa manet illa oblectatio, et, diutius interrupta, ægre repetitur; contra in recentioribus et rerum cognitio minor plerumque, ac sæpe nulla, ad plenam jucundamque operis intelligentiam requiritur, et patrius sermo nullam habet difficultatem. Quare vel ideo par est ab iis, qui animi tantum causa legant, vulgo recentiores præferri: nec culpandi sunt plerique Græciæ delicias Latiique linquentes, idque multis de causis, quas hic necesse non est enumerare.

39. Jam vero neolatinos mirumne fuit multo magis, quam veteres, prævalente in litteris patrio sermone, negligi, neque solum a lectoribus oblectationem, aut solam aut præcipue, quærentibus, sed ab litteratis cum omnino, tum vero a scribentibus? Etenim in scholas neolatini, quo tempore maxime florebant, tamen parce et vix introducti, hinc lectores retinere non potuerunt; litteratis autem jam latior campus lectionis patebat, tum patriæ linguæ tum exterarum etiam egregiis ubique operibus vulgatis, quæ cognoscendi studio occupatis multis vix jam veteres, nedum neolatinos simul colendi tempus relinquebatur. Scriptores autem vel ideo, quod multos lectores, indoctos etiam, quam doctos paucos malebant, necesse erat lingua latina et alias rarius, et ad poemata rarissime uti. Ac dolendum sane erat, ni sic fecissent; non enim nunc recentiores populi tot poetis gloriarentur, qui et classicorum optimos æquant, et veterum linguarum rudibus juxta atque gnaris jucundissimi sunt, tantique suis quique nationibus momenti, ut, si alterutris carendum esset, vix dubitare possis, quin sapientioris sit recentiores malle quam veteres servare. Sed illud non prætereundum: nempe homines docti indoctique natura ita sumus plerique comparati, ut, quibus ipsi laudem non quærimus, ea parvi faciamus; quæ culpa eo gravior. quoniam ratio fert, nos eas res fere vel parum nosse, vel prorsus, quales sint, ignorare. Sic in neolatinis accidit. Nam ex quo paucissimos lectores habuere; non minimum temerario scriptorum judicio opinio invaluit, eos nec ante lectione dignos, et litterarum bono jam obliviscendos esse. Neque tamen unquam, damnatos qui defenderent, defuere, neque hodie prorsus desunt, sed raro justas, rarius benigniores aures reperiunt, vulgo infames potius, quasi morten vitæ substituere conantes, ideoque et ipsi eadem, qua neolatini, sepultura quam citissime donandi. Me autem hocce periculum minus movet, quam de illis poetis, quid censeam, fatendi et ingenue declarandi desiderium. Neque enim is sum, qui me, etiamsi a neolatinorum tutum invidia, scriptionibus meis diu victurum esse, confidam. Ergo, ut primum libuerit, me *æstheticus* quidam vel puellus, vel, si fas est, senior terræ munere donet; tamen non pœnitebit neolatinis vitæ particulam pro viribus reddere voluisse. Quanquam cur spinosis tetricisque pulchri criticorum ineptiis tantum tribuam; quum Baldeum nostrum Herderus, summus ingenio (*) vir, non prædicarit modo insigniter, sed magna ejus lyricorum carminum parte germanice versa gratissimo patrias litteras munere ditaverit? Quid, quod Gœthe, quem omnium instar nominasse sufficeret, jam multis abhinc annis hortatus est ad recentiorum latina poemata non respuenda, laudandumque dixit, si quis eam provinciam suscipiat, ut, quid meliores præstiterint, accuratius inquirat? Quippe huic nequaquam persuasum erat, neolatinos nihil egregii, nihil nostræ ætatis hominibus dignum efficere potuisse. Neque prorsus frustra videtur fuisse Gœthei auctoritas; nam et laudatam aliquoties vidimus, et nonnulli exinde carmina latina selecta

(*) Summum judicio quoque, sed non sine multa exceptione dicerem. Neolatinæ autem poesi faventem hic libentius laudamus, quod, quam junior, rixisque litterariis in hanc partem impulsus, acerbe spreverat, eandem senior, neque tum, ne verum diceret, impeditus, sæpius eximieque prædicavit: quæ nos et alias, et in carmine quoque pag. 19, serie 2, attingimus.

ediderunt; neque defuere, qui in germanicis vertendis operam ponerent; quin etiam unus et alter sua vulgavere; ac plures fortasse fecissent; ni eadem illos, quæ Müllerum, ut ipse in *carminum neolatinorum specimine* fatetur, Lubbenatis, conrectoris, ira deterruisset, me quoque fortisan motura, si, qualis illa, nossem. Interim Gœtheum auctorem malo; tametsi, quæ aliquamdiu fuit puerorum in litteris de hoc ingenti viro sententia, non mirer, si quis eorum, hæc legens, et ipsum mortuum clamet, utpote cujus veluti Herculeam apud inferos, in terra umbram modo superstitem ambulare, nugentur.

40. Sed, missis pueris, hoc, in præcedentibus demonstratum, repetimus, neolatinos poetas maxime contemni, quia non, maxime damnari, a quibus non leguntur. Quemadmodum autem veterum quis poetarum, quoniam minus nunc, quam olim leguntur, imminutam præstantiam dicens, ferendus non esset, sic nec neolatinos ob eandem causam contemnens; nec vero video, cur magis feratur, quam, si quis ævi medii, quæ nunc laudantur, quoniam per sæcula neglecta jacuerunt, contemnenda doceat. Quanquam eorum pulchritudinem, penitus mutata patrii sermonis indole et forma, pauci et magno labore, neque hi integram sentire possunt; contra neolatinorum eadem est omnium lingua, ad eadem exemplaria immutabili forma composita. Cæterum, communem cum his quodammodo sortem experti sunt recentiori lingua usi, olim omnium manibus triti, nunc vulgo haud aliam ob causam contemti, quam, quia parum leguntur. Sic inter nostrates post Bürgerum, Schillerum, Gœtheum, multi olim laudati negliguntur; quibus nihilo secius suus apud prudentes honos manebit, magis linguæ mutatione, quam vulgi contemtu de pretio suo perdituris. Sed neolatinorum eo durior est condito, quoniam, quod inter illos fere mediocribus tantum, inter neolatinos bonis quoque et optimis pariter accidit. De his igitur maxime valet hoc: ut non lectos, quasi percognitos, sic, quia non leguntur, spernere scilicet perinde insipientis est. Legantur neolatini, et, quales tum propria præstantia, tum cum aliis comparatione sint, constabit. Quod aliquando futurum equidem augurari non metuam; videturque mihi, apud Germanos, ne de aliis loquar, jam non longe abesse is linguæ et litterarum poesisque status, ut sponte ad ea majorum monumenta sint pulchri amantes reversuri, non, ut patrii sermonis eximia ideo minoris, aut neolatina justo majoris pretii faciant, sed ut, quod sapientis est, pulchra in utroque genere mirentur, inepta contemnant. Enimvero, quod apud alias Europæ gentes evenisse cognovimus, ad summum eorum et linguam et poesin provectas, nunc aut stare, aut degenerare magis quam perfici, id apud Germanos hoc ipso tempore effectum iri, non mirer, si cui videatur, libero scilicet ab *æstheticorum* somniis judicio rem intuenti; *æsthetici* autem primos se se et suis præceptis congruentia nunquam non prædicabunt. Atqui, quo rarius, si jam summa attigimus, in posterum egregia opera prodibunt, eo doctorum animos proniores fieri par est, quoniam præsentia jam minus delectant, ad præterita, non solum in patrio sermone, sed in neolatino etiam diligentius evolvenda; neque probabilis ratio datur, cur hoc in illis minus, imo, cur non magis futurum existimemus, quam in patrii sermonis poesisque medio ex ævo monimentis. Habent enim sua fata, ut diximus, litterarum etiam genera; sed ita, ut, quæ egregia sunt, nisi lingua nimium mutata impediat, post oblivionis quasi mortem lætius resuscitata splendeant.

41. Quo minus verendum, ne perpetuo poetæ neolatini spernantur, quippe queis proprium decus immutata lingua certius conservet, necesse est. Lætiori itaque fato eos, ac, nisi prorsus vana historiæ litterarum testimonio nitentis conjectura, brevi gavisuros esse, graves sunt causæ, cur reputemus. Tum vero lucidius adparebit, quantum desipiant illi, qui magni ingenii homines doluere non patrio potius sermone, quam latino scripsisse, minore illi utique judicii errore, et interdum justa querimonia, quum de scriptoribus patriam linguam jam excultam mortuæ non præferentibus loquuntur; contra nullo modo ferendi eos culpantes, qui latina usi egregii poetæ extitere, quum patria lingua ne mediocres quidem esse potuissent. Cujusmodi in querimoniam incidi * sic serio dicentis: *plures per hanc periodum reperimus Germanos lingua latina, quam germanica poetas; quin etiam multis poeticum ingenium latina utentibus peribat, veluti Baldeo.* Quid hunc hominem velle fingas, nisi, ut patrio sermone omnia poemata sua composuisset sæculi XVII. scriptor? Nempe, quæ latina ejus habemus in præstantissimis recentioris ævi carminibus numeranda, ut hæc tam mala essent, quam quæ germanica ejusdem superant carmina. Videlicet parum valet ingenium ad pulchra poemata, quamdiu linguæ forma, qualis germanicæ vel in principibus, qui tum ea utebantur, poetis cernitur, pulchritudini repugnat. Sed *æstheticus* sive tiro, sive vir, nimio odio neolatinæ, cujus se ignarum monstrat, poesis, non vidit insulsum esse, quasi plumbum tantum ab eo flagitare, qui aurum cum plumbo dederit; quumque recte queri potuerit patriam linguam etiam tum a doctis plerisque neglectam, maluit

---

*) *Conversations-Lexicon* in *deutsche Poesie.*

dolere nos eximia latina ab eo accepisse, a quo germanica ne mediocria quidem exspectare licebat.

42. Nec vero a pravo judicio satis cavent dolentes, Sannazarium, Polizianum, alios quædam aut plurima latine scripsisse, quum poemata eorum latina, sermone et arte vel optimis neolatinorum æquanda, tamen tum Italis, tum exteris etiam multo sint minus grata, quam quæ patrio sermone composita reliquerint. Etenim, quod pulchra sunt hæc poemata et cum voluptate hodie leguntur, gaudendem est, sed ita, ne latina, si bona, propterea contemnamus; deinde, quod hæc parum leguntur, communi neolatinorum fato evenit, neque est justior in his, quam in cæteris contemtus ratio, et, quæ cæteros, illos honori redditura est sanior litteratorum persuasio, qua quidem capti insignes illi viri, licet patrio sermone egregie scriberent, latini multis de causis excellentiam non respuere; non enim tam optabant, ut a multis, quam ut a sapientibus maxime legerentur, eorumque judicio florerent, quæ utraque lingua scripsissent. Et vero apud æquales latinis eorum carminibus nihil nocebat Italorum præstantia; et Tassus, ut hoc uno utar, Vidæ *Christiadem* adeo non sprevit, ut quosdam inde in epos suum locos transtulerit. Igitur et nos, ut de illis neolatinis sani judicemus, non, qua lingua, sed, quam pure, nitide, qua compositionis arte scripserint, dispiciamus. Nam si insulsissimi hominis, linguas recentiores excultas esse et eximiis operibus ditatas, dolere, nec quidquam velle in litteris nisi veteris Latii sermonem vigere, insipientis quoque erit, neolatina, quæ, ut recentiora citius lætiusque florescerent, negligi necesse erat, nunc, quia semel neglecta, contemnere. Quid enim vetat utrisque suum pretium, quin altera alteris officiant, constare? Aut quid iniquius, quam excellentis ingenii homines, si utroque sermone egregia protulerint, lectorum numero, non in singulis præstantia censeri? Enimvero, ne latina lingua ad poesin utentes culpentur, ut olim, nondum excultis recentioribus, causæ manifestæ, ita nunc, post illas excultas, gravissimæ inveniuntur. De quo argumento, etiamsi satis prolixe id tractare nequeam, tamen ad illa, quæ superius dicta, hic conjuncta quædam adjicere juvat.

43. Inter ea, quæ linguæ latinæ ad poesin usum commendant, primo loco ponimus manentem ejus, quam a classicis scriptoribus accepit, formam: quæ neque contingere, nisi mortuæ, potest; neque ad meliorem reverti a corrupta videmus; sed scriptoribus ea, si qui ipsorum sermonem sæculi respuunt, relinquitur; sicut labentis imperii tempore quosdam fecisse latine scribentes constat; quales, ut alibi monuimus, sui ævi sermonis habita ratione, non minus mortua lingua scripsisse, recte dixeris, quam hodie latine scribentes. Scilicet eo usque perierat classicæ latinitatis forma nitorque, ut manifestum esset, vulgari, quo tum loquebantur et scribebant sermone, nihil posse egregium et eruditorum auribus menteque dignum existere. Contra nondum ad fœditatem degenerante loquendi ratione, quamvis jam fracta, adfectata et fucosa, adeo necessarium non videbatur ad aureæ ætatis simplicitatem et masculam venustatem redire, ut multi existimarent, linguam latinam nunc demum tanquam in perfectionis fastigio consistere. Simile autem hodie persuasum diceres Germaniæ scriptoribus, Wielandii, Gœthei, aliorum masculæ simul et nitidæ, in summa perspicuitate, dictioni fucum et nebulas præferentibus. Unde cavendum, ne et nobis accidat, quod Romanis, ut ad exemplaria vere pulchræ orationis in manifestam jam barbariem lapsi demum revertamur. Sed dum lingua viva perficitur adhuc, vel parum a perfectione degeneravit, dubium non est, quin scriptoribus, utique ut magis in vulgus placeant, sit præsenti ejus forma utendum. Multæ enim sive voces sive locutiones a recenti usu decorem trahunt, quem facile planeque sentiunt lectores vel parum eruditi, utpote quasi præsenti e vita desumtum; contra vetustioris linguæ dotes, quamvis eximiæ, tamen eruditiores maxime delectant, cujus rei exemplum sit, quod jam diximus, Statium Virgilio, Senecam summis aureæ ætatis scriptoribus a suo sæculo esse prælatum. Ac licet vulgus prava melioribus præferre in litteris consueverit, tamen id crebrius accidere necesse est, semel præstantissimorum scriptorum sermone in pejus mutato.

44. Jam vero neolatinis, quod præsentis linguæ commodis carent, eo minus dolendum, quoniam eruditis modo scribunt, unum, ut his placeant, quærentes, ob eamque rem ab omni argumento, si sapiunt, abstinentes, quod feliciter tractari nonnisi viva lingua possit; de quo supra nonnulla animadvertimus. Sed iidem neolatini argumenti angustius spatium, lectorum paucitatem, et a præsentis vitæ morumque statu pendentem præstantiam large compensant definito et manente sermone. Nam primum non minus aut arduum aut gloriosum videtur, si eruditis tantum, quam si et his et vulgo placeas; quandoquidem ea, quibus vulgo tantum placeas, prætereuntem habent, ut ita dicam, nitorem, neque his, quod ad dictionem, posteritas scriptorem, sed iis æstimabit, quæ a perfectæ definitæque linguæ usu duxerit: quod quanti sit momenti, non fugit Wielandium, dicentem, nihil scriptori optabilius esse, quam linguam, qua eximium aliquid composuerit, brevissimo

post eum tempore vivere; stare enim diu viva nulla solet. Igitur hoc neolatinis propositum sit, ut perpetua Latii sermone monumenta, veterum instar, relinquant; in quibus jam non quæritur, quam sint vitæ moribusque nostris similia, sed quam sint lingua et ingenii dotibus excellentia, quæ, post innumeros, qui nunc vigent recentiores, æterna nocte involutos, eodem, quo hodie, splendore lucebunt; nisi quis linguæ latinæ scientiam studiumque, prævalente et in ejus locum succedente recentiori, cessaturum, doceat; quod ut fieret, primum necesse foret, hanc linguam emori; deinde ne sic quidem credibile est, recentiores populos unquam aut germanicam aut gallicam, aut aliam quamcunque vivarum nunc linguarum, si emoriatur, communi eruditorum usu latinæ esse prælaturos. Erit igitur hæc lingua litteratis et poetis maxime non modo non contemnenda, sed magnopere etiam laudandi, si qui, persuasione nostra ducti, quid ingenio efficere queant, latina potius experiri velint quam recentiore: quales, sicut verendum jam non est, ne sint justo plures, ita, ut semper sint nonnulli, optandum.

45. Atque hoc quidem hucusque disputata perpendenti, mirer, si non ita videatur; sed gravissima accedit causa linguæ latinæ usum commendans. Enimvero, ut æternæ et immutabilis pulchritudinis opera latino sermone componere recentioribus datur, ita iidem non tam popularibus suis, quam generi humano scribunt, quod præcipuum latinæ præ cunctis recentiorum linguis. Ac ne quis gallicam hic præferre latinæ, imo ne æquare velit, sic reputet. Est sane latissime per Europam diffusa lingua gallica cum cognitione tum loquendi consuetudine; quod cur acciderit, curque necesse sit in posterum jam minus accidere, non est hic rite explicandi locus. Ut tamen de ea re in priore dissertationis parte dictis aliquid addatur, ponamus, post linguam germanicam, quæ multo latius, quam gallica, ut patria lingua, patens, radice per dimidiam fere Europæ partem extenditur: ponamus igitur, post hanc excultam et eximiis operibus in omni litterarum genere nobilitatam, nihilominus gallicam apud exteros frequentiori studio usuque semper prævalere posse; quod collapso aliquot annorum imperio, nunc velut inclytorum in armorum ruinæ solatium vehementius Galli, multi quidem satis ridicula ratione contendunt; nam, quum aliis, melioribus utcunque argumentis niti possent, manente adhuc, licet jam non integro, inter *diplomaticos* homines linguæ illius usu sententiam suam confirmant; quasi linguam Europæam recte dicere aliquam possis, quod ea e singulis nationibus seni aut deni de rebus publicis consultent et fœdera componant. Verum gallica magis etiam, quam hodie, varii inter regiones commercii gratia vigeat: non ideo magis id, quod vulgo jactatum audimus, obtinebunt Galli, ut exteris omnibus ipsorum poetæ, (ne de aliis scriptoribus hic agatur,) juxta placeant, et exemplaria indigenis præferantur, ut denique ab omnibus gentibus avide et eadem, qua a suis, voluptate legantur.

46. Enimvero, ne prolixe rationibus disputetur, ubi brevis et securior experientiæ via: de præstantia, qua exemplaria sint maneantque reliquis nationibus Galli, si de lingua germanica loquentibus, numerosissima incolarum Europæ parte, quærimus, hoc verissimum reperietur. Nam poesis apud nostrates initia, si mittimus ad medium ævum pertinentia, utique ad Gallorum eximia opera composita sunt, et plurimi illos æquare patrii scriptores unum intenderunt, quorum nunc multi prorsus neglecti jacent, pauci, utpote ingenio feliciore imitatores, hodie non contemnuntur quidem; sed tantum abest, ut ipsa imitatio nostra ætate commendetur, ut communi judicio, siquis ad eam hortaretur, omnes eum et mediocres et summi Germanorum scriptores respuerent. Nec vero minus jam Germani eruditi omnes Schillerum suum, Gœtheum, alios, præstantissimis Gallorum poetis anteferunt, quam Galli suos exterorum omnibus. Quanquam, si verum de Gallorum apud Germanos lectione poetarum dicendum est, in hoc plurimi culpandi sunt, quod, sicut Galli vulgo nostros, sicut omnes fere neolatinos, ita et ipsi Gallos non lectos contemnunt, etiam linguæ cognitione ad eam utique rem satis instructi. Itaque sæpe vidi, qui vulgari popularium persuasione occupati, postquam legissent Gallos, ante spretos laudarent, ita tamen, ut etiam tum nostrates præferrent; neque miremur, in summa Molierii, Racinii, et qui his aut pares aut proximi, præstantia, Germanos et criticos et omnino eruditos ita existimare. Nam et regulas, e veterum exemplaribus deductas, sine queis Gallis diu vulgoque persuasum fuit, nihil posse laudabile fieri, sæpe negligunt Germani, minusque religiose, minus anxie colentas, etiam artis poeticæ apud eos magistri præcipiunt, et ipsius Gallorum linguæ, ut operum pulchritudinem penitus perspicias sentiasque, ea cognitio requiritur, quam pauci assequuntur. Sed primaria causa perpetuæ dissensionis indolis ingeniique, vel, si mavis, animi diversitas: quæ quidem tantam vim habet, ut, quæ Gallis in suis præstantissima Germani, quamvis dictionem et artem compositionis mirantes, suæ gentis scriptoribus animum permovendi vi comparata frigescere dicant. Neque justam causam video, cur hic aut Gallos aut Germanos reprehen-

damus potius, quam egregios fateamur summos utrorumque scriptores, quorum præstantiæ hoc, ipsum est justissimum argumentum, quod suæ nationi, et numerosissimæ scilicet, et litteris, ut nulla magis, excultæ, mirifice placent.

47. Sed, ne longius evagemur, quemadmodum neque apud Germanos, neque in ulla Europæ parte Gallorum ingenia summa in litteris et poesi exemplaria, sine quibus, (ut nostrates quidam de Calderone,) nulla salus, habentur, sic neque linguæ gallicæ apud exteros tam vulgaris est perfectior scientia, ut gallica opera eo jure, quo neolatina, terrarum orbi conscripta recte existimentur. An vero, in præsenti litterarum ac disciplinarum conditione, optandum sit, ut ad eam excellentiam aliquando provecta gallica latinæ linguæ substituatur, diversa quæstio est, quam aliis dirimendam relinquimus. Nobis autem ad sententiam nostram tuendam sufficiat hoc animadvertere. Nempe, donec lingua, sive gallica, sive alia, latinæ substituatur, quod quidem neç optandum esse, nec umquam fore persuasum habemus, latinæ illud præcipuum manere, ut præter patriam sit altera rite eruditorum lingua. Hac igitur, non gallica utendum erit iis, qui scribere, præsertim vero, qui poesi non singulis modo gentibus, sed terrarum eruditis placere cupiunt. Hac utentes, quidquid egregii ediderint, cum lingua, tum alias ubique juxta et intelligetur et probabitur; quandoquidem neolatina, quo placeant singulis gentibus, ea esse argumento oportet, ut omnibus fere æque probentur, ab illis videlicet abstinente scriptore, quæ, a præsentis vitæ statu moribusque singularum gentium exhibendis laudem maxime trahentia, latino sermone feliciter tractari nequeunt; de quo et animadvertimus nonnulla, et mox ad eandem quæstionem revertemur. In iis vero, queis linguæ latinæ usus commendetur, hoc nequaquam prætereundum: nam egregia opera, in illam feliciter translata communia cunctis humani ingenii monumenta evadunt: quod quam sit in litteris, inprimis in poesi optandum, sapientes monendi non sunt; cæterum, nos, quæ hic animadvertimus, aliis in scriptis et attigimus sæpius, et aliquatenus etiam tractavimus.

48. Nunc autem, ne nimio latinitatis ad poesin commendandæ studio sententiæ nostræ adversantia obliti, aut aliud quam verum voluisse arguamur, quæ incommoda habeat, vicissim atque ingenue ostendamus. In his igitur occurrit lectorum paucitas, non enim recte legi nisi ab eruditis, neque ab his æque omnibus possunt, sed cum accuratiore linguæ scientia imbutis, tum vero in veterum lectione poetarum diu multumque versatis. Nam quum ex his omnis, ut alio monitam, styli poetici decor repetendus sit, patet, qui hunc non penitus in ipsis hauserit, parum ideoneum esse carminum neolatinorum lectorem, multoque minus, ut alio loco monui, probandum judicem. Relinquuntur itaque, si cum patrio sermone scriptis compares, neolatinis poetis perpauci lectores: cujus licet compensatio quædam sit non singulis populis, sed orbi litterato scribentibus; multo tamen optabilior illa, quod suam servantes intactam præstantiam, non minus in posterum, quam primum vulgati, lectoribus gaudebunt; imo, quod recentioribus quandoque accidere necesse est, ut intra meritum ab æqualibus laudati aut contemti adeo, post linguæ immutatæ culpa magnopere placere nequeant, hoc neolatinis non metuendum. Ipsa porro lectorum paucitas minus offendet sapientem; valet enim hic illud notissimum: *unus Plato instar omnium.* Gravius contra neolatinis incommodum merito dicemus, quod lingua utuntur nec omni carminis generi pariter apta, et quibusdam prorsus repugnante. In his numeranda supra diximus, quæcunque a præsenti linguæ vivæ forma usuque suavitatem et decorem ducunt, cujusmodi est vocabulorum locutionumque singularis ad delectandum vis, quæ singulis linguis, ut sui populis mores et vitæ consuetudo, propria, nec in vivam e viva nisi raro, in latinam autem, et quia mortua hæc, et quia eo genere sermonis manca ad nos litterarum monumentis propagata est, multo minus satis feliciter transferuntur. Sed ne obscura et vaga oratione veritatis speciem quærere videamur, exemplo, quid velimus, quodque aliter paucis verbis nequeat, declaretur.

49. Si quis ergo e Gœthei dramate, quod inscribitur *Faust*, admirabilem illam scenam, qua Valentinus, miles, primum ob sororis, ante castissimæ, amissam virginitatem ita dolorem iramque prodit, ut naturam vatis ore loquentem agnosceres, deinde duello cum sororis corruptore mortali vulnere collapsus, eandem, cum aliis adstantem et fratris sorte gementem, suprema voce respuit dirisque devovet: si quis igitur talem plebejæ et infimæ, ut ita dicam, vitæ et sermonis scenam, latine vel componere, vel vertere conetur, nonne hunc linguæ et litterarum latinarum non plane rudis rem prorsus desperandam agressum, continuo intelligat? Quare poetæ neolatini ab ea vitæ parte exhibenda, quam uno exemplo satis indicatam sapienti putamus, abstineant, et comœdiam inter alia intactam relinquant, in qua, licet tentantes non defuerint, nescio an tolerabile quis composuerit. Neque minus iidem a *romantico*, ut vocant, genere sibi temperent, ideoque a *balladis*, *legendis*, a *sonettis* item, et quæ præterea sunt a recentioribus inventa et exculta, veteribus, sive res, sive versus atque

omnino carminis formam compares, ignota genera; non quasi nihil in his tolerabile fieri aliquando possit, sed quia raro nimis, idque vel unam ob causam; quoniam scilicet illa ho noeoteleutis versibus componuntur, neque aliter placerent; unde, si quis in tali carminum genere velit, quid lingua latina valeat, experiri, ne frustra sit omnis labor, recentiorem formam in eaque ex homoeoteleutis consonantiam retineat: quæ, etiamsi a veterum poesi aliena, tamen integra latinitate servari potest; nemo enim talia, velut *quærebant flavos per nemus omne favos*, ob duorum vocabulorum consonantiam minus latina esse dixerit. Cæterum, carmina ejusmodi neolatina non simpliciter damnantes, quatenus probanda sint, inquirere, quum extra disputationis hujusce fines positum voluissemus, alio hanc quæstionem libello *, aliquot post annis, tractavimus. Jam, ne in singulis recensendis moremur, hoc ante omnia videant neolatini, ut, quæ recte tractare, quæ minus aut nequaquam concedatur, probe perspiciant; sic enim utrumque consequentur, ne operam perdant, neve argumento sint adversariis, nihil nisi mortuum a neolatinis esse exspectandum. Quæ multorum quoque criticorum persuasio quam sit, si nullam exceptionem admittas, insulsa, imo puero, quam viro erudito dignior, tametsi in præcedentibus satis demonstratum arbitramur, plenius tamen fortasse lucidiusque hæc etiam reputanti adparebit..

50. Est sane perquam neolatinis incommodum ab eo genere abstinere, quo, ut vitæ sociatæ, sic poesis non exigua pars, et ea maxime continetur, quæ et artem poetæ non mediocrem requirit, et aptissima omnium est ad quoscunque lectores oblectandos. Namque idem nec doctis displicens et vulgo longe gratissimum cernitur; utpote ad ejus mores sermonemque præsertim accommodatum, ideoque ad rerum intelligentiam minimum eruditos lectores flagitans: qualia inter nostrates Bürger, Langbein, alii quam plurimi composuere, popularium nomine poetarum, nonnulli honoris causa, adpellati: quam laudem si latine scribentes poetæ adfectarent, eo ipso ridiculi jure haberentur. Hunc ergo honorem neolatinus recentiori, et præsenti sermonis, ut ita dicam, forma utenti relinquat; ipse autem, si linguam latinam probe et dictionem poeticam teneat, continuo, quid recte tractare, quid non detur, intelliget, atque omnino videbit in iis sibi versandum esse, quæ necesse est quavis lingua et dite et exculta posse facili lucidaque oratione efferri. Exemplo, quid velim, illustretur. Nemo dubitet, quin germanica, itala, anglicave lingua commode et plene, quamvis non ubique eadem dictionis venustate, exprimi possint, quæ Voltairii *Henriade*, aut J. B. Rousseaui odis, aut Fenelonii *Telemacho* continentur. At si idem de narrationibus La-Fontainii, si de ejus fabulis judices, mea sententia longe a vero abieris. Occurrunt enim in his plurima e Gallorum vitæ consuetudine et moribus, quæ alius populi lingua reddere, servata dictionis simplicitate et facetiarum vi et lepore, nequeas. * Non temere enim dixeris, partem quandam linguæ a gentium moribus ita pendere, ut in qualibet multa sint, quibus congruentia in aliis frustra quæras, eo majore in ea linguæ parte discrepantia, quo major est in gentium vitæ consuetudine. In hoc igitur genere sermonis multa occurrunt, quæ raro satis accurate, et sæpe nonnisi comparatione redduntur, veluti plurima proverbia. Sequitur hinc in Gallorum e. g. more multa esse, quæ vivide et venuste exprimere Germanus frustra laboret. Sed, quod hic, etsi non ubique satis recte, tamen aliquatenus, et quandoque facile datur, id si latina lingua velis, vulgo te videas rem desperandam tentare. Sequitur adeo in populorum omnino more multa esse, a quibus neolatinis temperandum, utpote quæ mortua et dissimillimæ recentioribus gentis lingua vivido colore exhibere non concedatur.

51. Est igitur grave incommodum, quod neolatinus nemo vel Germanis Bürger, vel Gallis La-Fontainius evadere potest, neque aut Theocriteis quibusdam carminibus, aut Vossii nostri *Luisæ* omni ex parte simile,* quod popularibus placeat, componere; ut uno verbo rem repetamus, quod a vitæ haud exigua parte describenda excluditur. Cujus rei compensationem justiorem non reperio supra memoratis. Videlicet, quæ neolatinis tractare cum successu non conceditur, ea recentiore lingua egregie expressa vehementer quidem et omnes lectores delectare solent, sed eadem indigenis fere quam exteris magis ac sæpe illis solis jucunda, tempore etiam, moribus mutatis, sive vigente, qua scripta sunt, lingua, sive mortua, valde adfliguntur. Nam quis non fateatur in Molierii fabulis, quum plurima sint ejusmodi, ut non-

(*) Dissertatione, versuum homœoteleutorum sive consonantiæ in poesi neolatina usum commendante.

(*) Non male hic conferes, quæ illustris de Staël, in de l'Allemagne, vol. 2. cap. 28, edit. Bruxell. p. 79.

(*) Vertit tamen hoc poema, qui alia quoque de germanico multa, B. G. Fischer, si, quantum lingua præstare possit, requiras, non parvam laudem meritus.

nisi major linguæ mutatio illis paulatim aliquid detrahere, quem admiramur, decoris valeat, nonnulla tamen reperiri, haud minori quidem ingenio arteque composita, sed quorum jam nunc minus vel eruditi vim totam et præstantiam sentiant, et pauciores olim sint sensuri. Jam, licet vix ullum detur scripti genus, cui non aliquatenus tempus eo nomine officiat, ingentem tamen hic differentiam, eamque ab argumento pendentem, facile est deprehendere, si Molierio, scriptori ætati nostræ non multo superiori, Romæ Horatium comparemus: qui quum plurima et in lyricis, et magis in satiris atque epitolis, e suæ gentis urbanæque vitæ consuetudine deprompta exhibeat, omnia ita est persecutus, eo sermone, ea arte expressit, ut justam rationem non videam, cur ejus poemata nobis multo minus sint, quam ipsius popularibus fuere, jucunda. Est enim hic exemplum poetæ, cui minimum noceat tempus, eximio tum rerum delectu tum tractandi arte id assecutus, ut jucundissimus eruditorum comes hodieque dicatur.

52. Hunc adeo et simillimum quemvis imitentur neolatini, ut, quemadmodum terrarum orbi communi lingua utuntur, sic humano generi non popularibus suis placere aut solis aut potissimum studuisse videantur: quod quam sit arduum, reputantes, quantumque valeat ad mansuram ingenii famam, haud ita dolebunt, ab aliis abstinentes; quumque Bürgeri aut Molierii esse nequeant, satis habebunt, si patentem ipsis campum percurrentes, Virgilii, Tibulli, Propertii, et, ne quis recentiores a comparatione excludendos existimet, Halleri inter nostrates, Uzii, Klopstochii, Gœthei etiam et Schilleri in nonnullis laudem ferant. Dicam enim, quod sentio, quamvis vulgari, quae nunc est, de neolatinis persuasioni prorsus repugnans, neque linguam, neque vitae nostrae diversam conditionem impedire, quominus Virgilium aut Horatium, omnino Romanorum epicos, elegiacos, didacticos et satiricos poetas æquent, imo, si ingenio, carminum etiam laude superent. (*) Atque hoc si nemini ad nostram ætatem contigit, ideone neolatinos contemnendos sane judicantes reputabunt? Minime vero. Nam si Horatius lyrica poesi adeo eminuit, út ipsius gentis princeps litterarum criticus, post innumeros in eo genere versatos, solum fere legi dignum esse, pronuntiaverit; miremurne, inter neolatinos alterum Horatium etiamnunc desiderari? Quid, quod criticis nonnullis, mea quidem sententia, recte persuasum, recentiorum neminem lyricorum omnes Horatii laudes esse assecutum? Ac si quis nimio veterum studio, quo fere philologi, laborare dicat sic sentientem, cum meo Schilleri, summi poetæ, judicium damnet, videatque, an satis sani hominis sit mirari, si neolatini illius præstantia inferiores reperiantur, quem suo in genere per octodecim sæcula a nullo poeta superatum Schillerus censuerit.

53. Satis declarasse hactenus arbitramur, a quo genere argumenti, et cur abstinendum neolatinis. Diversa quæstio est, quid in concessis ante alia facilius certiusque placituro sit tractandum. Atque hoc loco repellenda primum est neolatinis adversantium inanis opinio, quam profecto vix crederes vulgarem esse, si aut minus vulgare, ea, quæ ignorant, potissimum ab eruditis quoque contemni, aut ignorantiæ alia quam inanis aut nulla ratio esset. Persuaserunt enim isti sibi, certe persuasisse videri volunt, neolatinos de nulla re, nisi de qua veteres, nec aliter, quam veteres, aut lepide aut apte dicturos; quasi scilicet elegia neolatina, quin ad Tibulli, Propertii aut Ovidii aliquam, vel ode placere nequeat, quin ad Horatii exemplar sententiis et dictione componatur. Unde consequitur, quo se iidem jactant, neolatinis, ut ferendi quodammodo sint, unam imitationem relinqui. Quod si verum sit, mea sententia sapientes eos omnino ferendos negent, aut sicubi, in pueris stylo exercendis, non in viris servilem istam imitationem tolerent. Sed enim quam vana, quam futilis illa de neolatina poesi opinio, si nulla alia ratione constaret, unus Baldeus latine doctum abunde doceret. Hunc enim lyricorum neolatinorum quidam principem, omnes pæne inter principes posuere. Atqui idem et ipse, quam alienus a servili sit Horatii imitatione, in carmine quodam fatetur, et vero raro ad eam, et in optimis minimum proclivis invenitur; hinc ut intelligas, magni ingenii virum fugienda imitatione summam poesis laudem, cujus puerilis illa persuasio non imitanti vel particulam aliquam neget, attigisse.

54. Enimvero, ut de imitatione hæc adjiciantur: quod supra dixi, Horatii aliquem aut Virgilii posse inter neolatinos existere laude dignum; nemo reputet, me hoc neolatinis præcipere,

(*) Quod tamen ita intelligi volumus, ne præstantia sive, ut ita loquar, virtus poetica, ne sermonis artisque et ingenii dotes cum iis confundantur, quæ non sibi veteres, sed ætati suæ debent, quæ mundo suo, rebus, queis miscebantur, quæ gentis suæ splendori gloriæque, quæ denique antiquitati debent. In his videlicet causa quærenda, cur in veteribus, nec in aliis magis, quam Romanis augustei ævi poetis, multa sint, quæ ut cognoscendi curiosiores sumus, sic majore cum voluptate legimus, quam plurima a recentioris, a nostri mundi poetis, non minore tamen vel arte vel ingenio composita. Sed hæc quoque longissimæ disputationis materies, neque hic ulterius prosequenda.

ut ad veterum alicujus se exemplar ita componant, quasi egregii, nisi huic simillimi, esse nequeant; quippe ab ea persuasione adeo sum remotus, ut servilem imitationem præcipuam causam semper habuerim, cur tam inferiores veteribus recentiores multi, atque ex iis adeo, quibus nec ingenium nec artem defuisse ipsorum opera declarant. Etenim, quemadmodum nostris poetis legendi quidem ante omnes Gœthe, Schiller, et ut his quisque proximus, neque tamen, ut illis similes, sed, quo sponte ferantur, ut eo in genere eximii evadant, conandum est; sic in veterum quoque exemplaribus existimandum; idemque re vera utrisque imitatoribus evenisse experientia docet: nam, quo plures, ut Schilleri fiant, sudant, eo minor spes est, fore ut simile litteris nostris sidus oriatur; ac, si, quod ratio jubet, dicendum, minus optandum est, ut simile, quam ut ingenii magnitudine par, indole autem et genere diversum prodeat; quemadmodum magis gaudendum est Germanis, quod Schillerum cum Gœtheo, quam si geminos Schilleros sine Gœtheo haberent. Imitandi autem studio, qui, si non prorsus Schilleri esse voluissent, boni fortasse essent, eo nunc magis spernuntur, quoniam nec sinceri Schilleri, et imitando id assecuti sunt, ut nulli esse videantur. Neque vero lætior sors servilibus veterum imitatoribus neolatinis contigit; quos quidem ægerrime fero ob pravam imitationem magnopere a multis olim laudatos esse, aliquatenus tolerandis, si dictionem ad exemplaria anxie exactam satis haberent mirari; in ipsis autem rebus eandem æmulationem prædicantes insulsissimi pulchri æstimatores arguuntur. Mihi sane, ut *Schilleriandi* ultra juvenilem ætatem durans cupido pessimi in nostratibus ominis videtur, ita de neolatino poeta nequeo non male ominari, quem a critico Horatii imitatorem prædicari audio. Quam vulgaris autem hæc de imitatione persuasio, et penitus criticorum animis inhærens, inde egregie intelligitur, quod adeo minime sectati cum veteribus similitudinem tamen plerumque, ut similes, ab ineptis aut temere pronuntiantibus laudantur. Nam et Baldeum ut Horatii felicissimum imitatorem, et, quod maxime miratus sum, Herdero præeunte, prædicavit doctissimus, de Baldeo optime meritus, *Anthologiæ lyricæ* editor, J. C. Orellius; et Müllerum, *Carminum neolatinorum speciminis* auctorem, pari nomine laudavit censor; et alius Bosschæ elegias dixit Tibulli sonos referre: scilicet hæc prona de ignotis aut non intellectis judicandi ratio.

55. Ab nulla igitur re caveant, me auctore, impensius neolatini, quam ab illa servili et vero ingenio inimicissima, neque solum ab argumenti rerumque tractandarum, sed etiam a prava dictionis imitatione; nam hac quoque liberiorem impediri ingenii incessum atque in angustias, saepe in ineptias compelli, necesse est: quæ si quando mirabili nonnullorum sermonis poetici et versuum sponte occurrentium copia vitatur, oratio certe, passim locum aliquem phrasinve Virgilianam aut Hortianam legenti in memoriam revocans, auctorem tanquam pannos e vario vestimentorum genere artificiose consuentem incusat, intolerabilem pulchri sensu imbutis industriam. Hanc igitur servilem dictionis imitationem merito respuent neolatini; sed iisdem summo studio amplectenda est illa, sine qua poetici sermonis facultatem nemo consequetur. Nam si recentiori in lingua, quamvis jam variis carminum generibus diuque exculta, ad poeticæ dictionis summam aliquid adjicere singulis poetis etiamnunc, et vetustis interim aut obsoletis splendorem vel conciliare vel reddere contingit, id in mortua jam non adfectandum, sed ea, quæ veterum operibus continetur, copia acquiescendum erit. Verum aliud est dictione veterum optimos æquare, neque ulla sive locutione sive vocabulo uti, cujus vel significationem vel vim poeticam veteris poetæ exemplo tueri nequeamus, aliud veterum integras ad verbum phrases more centones componentium captare. Porro, sicut a dictionis, ita, et magis etiam ab argumenti servili imitatione cavendum: quod utinam repulassent illi, qui, non expertes poeticæ facultatis, falsam amplexi persuasionem, Delias sibi Lesbiasque Tibullo et Catullo imitandis, et cum his parem atque in exemplaribus amoris cursum, fletus, querelas, perfidiam, lenas, absentiam, mortem denique, urnam, lapidem, epitaphia, aut qui, Horatio imitando, Glyceram, amicos, puerum, villam, villicum, et quæ sunt ejusmodi, omnia sibi similia finxere. His quum animo pectorique libere et sincere explicando sermonis copia non deesset, simiarum laude placere maluerunt; nec aliorum culpæ potius tribuenda est neolatinæ poesis contemtio; nam, multorum quasi ineptiarum nube contecta, paucorum semel neglecta virtus jam ægrius in claram, qua digna est, lucem emergit.

56. Pauca, sed proposito nostro satis dixisse videmur damnantes pravam neolatinorum imitationem: nunc huic argumento conjuncta quædam properantes subjicimus. Ut imitatio aut servilis aut liberior sive sermone sive argumento, sic variæ ejus præterea species haud absurde distinguuntur; quarum an aliæ etiam statuendæ, non curamus, ternas hic attingentes, centones, parodiam, paraphrasin. Centones, cujus ingenii lusus Ausonium auctorem ferunt, nec aliis valde, et neolatinis minime commendem. Est enim his magis timendum, ea versuum memoria comprehenso-

rum copia ad futilia abutantur, in quæ non incidere difficile putamus centonibus gaudentem. Quanquam ipsum genus non prorsus respuimus; habet enim, si bene tractetur, et allegoriæ jucunditatem, et audaci sententiarum nexu, cum summa imaginum varietate, animum attentum tenet, et omnino salibus ac facetiis mirifice favet. Sed neolatino nil æque metuendum, quam, ne invitus vel inscius carminis sive partem, sive integrum centonibus composuisse reperiatur; id quod in servili sermonis imitatione accidere, supra animadvertimus (*). Sed cum insulsa hac centonum specie non confundenda ad classicorum scriptorum locos sive occulta, sive ipsa verba referentis, quam recentoris latinitatis vocabulo vocant, *allusio :* (*) quæ opportune adhibita, quominus quæsita videtur, eo jucundior esse solet. Hujus apud veteres auctores et alias frequentem usum reperimus, et præcipue ridendi jocandique gratia, velut, ut unus nominetur, apud Lucianum, cujus insignis in rebus tractandis et oratione suavitatis non exigua pars alludendo, maxime ad Homericos locos, cernitur. Hunc igitur leporis et facetiarum uberrimum fontem nec neolatinis præclusum velimus, imo hortemur potius, ut abundantius, modo ne quid fiat invita Minerva, inde hauriant. Quippe facilius his quam recentiori lingua utenti putamus in illo genere placere; cujus quidem persuasionis non simplex causa, sed quam gnaris veterum litterarum supervacaneum foret explicare.

57. Parodia, fere gravioribus humiliora, seriis jocosa, interdum castis lasciva, aut lascivis casta imitando opponens, similem centonum quærit jucunditatem, verba ad res diversissimas faceta comparatione exprimendas detorquendo. Cæterum, vel locis, vel integro carmine continetur. Prioris generis plurima opportunitas jocantibus, et, ut alludentis, magna vis, atque ipsum alludere sæpe parodiæ forma involvitur. Alterum genus, nunc dramaticis, ut olim prius Aristophani, usitatissimum, in aliis carminibus neolatino non magis, quam reliquis interdicendum, ac sæpe a piis poetis in veterum lascivia et obscoenitate ad honesta et christianos sensus decentia transferendis adhibitum; in quo genere, ut cætera taceamus, cum difficillimus labor, tum ipsa comparatio, verendum, ne profanationi proxima videatur. Lector autem nec, parodiam esse sciens, abstinere a comparatione potest, nec sine ea sua carmini laus integra constare; si quidem par est poetam velle ipsa comparatione placere; quod si nolit, tamen nec comparationis incommodum effugiet, et imitatione impeditus, ut per se placiturum proferat, incredibilem difficultatem experietur. Exempla ejusmodi parodiarum habes apud Sidronium Hosschium, apud Sarbievium, alios.

58. Restat paraphrasis, vulgari vocabuli usu amplificationis notionem involvens, quæ si propositam locutionem strictius, minimum sensui addens demensve, exprimat, rectius translatio dicetur; sicut contra plurimas classicorum poetarum, nec alias potius quam gallicas versiones rectius paraphrases adpelles: qualis translatio, ideoque paraphrasis, quam proprie vocamus, cur, licet numeris et dictione probanda, archetypo tamen comparata fere displiceat, in aliis hanc causam reperimus. Nemo enim, artis stylique poetici legem tenens, quin verissimum sit, dubitat, quod summum ejus artis, longo sæculorum intervallo, attingentes, Horatius et Gœtheus, ut rem, quæ poetis maximi momenti sit, studiose monuerunt. Nempe nihil a vi poetica magis abhorens, nihil perfectioni magis inimicum, quam sive verborum vel inanium vel otiosorum, sive sententiarum etiam prava abundantia, quæ conjuncta et sponte ex imaginis animo objiciendæ præcipuis veluti lineis adparentia religiose explicans, lectoris imaginanti, ut ita dicam, facultati, et mentis acumini nihil perficiendum relinquens, a fingendi quasi societate exclusum tædio enecat, cujusmodi vim inter nostrates sæpe habent gleimiana, et Bodmeri illa Gœtheo exempli causa reprehensa, diluvii instar redundantia. Huic igitur vitio paraphrasis quodammodo sua natura obnoxia cernitur; nam et in brevitate vividis atque nervosis amplificatione necesse est eam plerumque debilitari, et in prolixis magis languescere. Quæ quidem non temere a nobis adfirmata esse, doctos, opinor, docebunt vel feliciora ex illo genere specimina. Inter neolatinos autem memorabilis

---

(*) Neque tamen propterea minus ridiculi sunt multi ex illis, quos a §. 53. refutavimus: quibus ut semel fixum hæret neolatinos poetas aliter, nisi veterum et verba et res imitando, nil apte, nil suaviter, nil lepide compositum dicere posse, sic, quæ vel optime ab his expressa reperiunt, illa, quo minus alioquin recte reprehendere possent, eo citius ut centones tamen aspernari consueverunt, idque, an vere sint, aut ne quærentes quidem, aut e veteribus, quæ integræ forte occurrunt locutiones, avide arripientes; quasi vero in neolatinis, quantumvis a servili imitatione sibi caventibus, idem accidere necesse non sit, quod in præstantissimis recentiori lingua poetis, ut ab aliis dicta iisdem verbis et ipsi dicant, velut, (uno e mille exemplis utor,) Voltairii illud *accablé sous le fardeau des ans*: qualia si, ne contemnantur, poetis anxie vitanda essent, multo abhinc tempore, me quidem judice, sapientius a versibus pangendis abstinuissent. Cæterum, quæ in hacce dissertatione de imitatione neolatinorum, his similia habes in libro meo *réflexions sur l'usage du latin moderne en poésie.*

(*) *Alludere* quoque, eo, quo *allusio*, sensu usurpatum, sunt qui jurent non esse latinum. Ego tamen hoc loco me illo verbo ita usum puto, ut habeam quo me defendam.

merito celebrata Buchanani Psalmorum paraphrasis, qua et J. B. Rousseau magnam laudem adeptus. In cæteris Commirii *paraphrases sacræ*, et Wallii odarum Horatii aliquot paraphrasis, e quibus unam tanquam optimæ exemplum, Morhofius *Polyhistoris* capiti *de exercitationibus in oratione ligata instituendis* inseruit. Contrarium paraphrasi est prolixiora, recisis abundantibus aut otiosis, compendio exhibendi industria, meo judicio magnopere commendanda. Nam quod in paraphrasi vix vitaveris, ne bona minus, mala pejora fiant, idem in contrahendo haud perinde timendum, si sola prolixitate languentia brevitatis virtute perficere coneris. Cujus laudis si quis avidus, habeat sane uberrimam emendationis materiem, sive ad neolatinos, sive, quod magis suadeam, ad recentiores, inter nostrates ad Gleimium, Uzium etiam atque alios bene multos vertatur. In Uzio quidem ipse languentem prolixitatem cæterum probandis nocere existimans, num quid illa, quam dixi, contractione efficere lingua latina non ineptum possem, carminis imitatione periclitatus sum, quod ipse inscripsit *die frœhliche Dichtkunst*. (*) Hæc de imitatione.

59. Ad quæstionem vero de materie præferenda non minimum pertinet illud poetis neolatinis sæpissime et plurimis merito exprobratum, scilicet eos animi sermone (ut sic exprimatur Germanorum *Gemüthssprache*) loqui nescire. Hoc quid velit, fateor, sentire facilius esse, quam verbis explicare; vera tamen vocabuli vis a sequentibus (**) repetenda. Sunt enim hominum in animis stabilia quidem multa et immutata, quæ singulis propria esse, non rectius diceres, quam caput, pedes et manus, hoc tantum discrimine, quod ea in aliis minus, in aliis vehementius eminent. Jam, quod in ejusdem gentis, eodem coelo fruentibus moreque et institutis, evenit, ut alii aliis sint ad superstitionem, ad iram, ad amorem, ad misericordiam proniores, idem in gentium comparatione cernitur, discrepantia sive a regionis natura, sive ab institutis potissimum cum aliis tum religione derivanda. Quibus omnibus de causis maximum inter Asiæ et Europæ homines discrimen, neque minus, tametsi genere diversum, inter veteres Graecos Romanosque et recentioris mundi populos, ortum animadvertimus. Sed in eo latissime patet pars a christiana religione pendens. Huic nempe tribuendum, quod familiares, ut diceres, nobis profundi quidam ac teneri sunt animi motus sensusque a veteribus alieni, certe rarius in his leviusque, et velut tenuissima adumbratione adparentes: ut eo nomine recte quis diceret, et non unus, opinor, dixerit, cum nova inter hominem deumque ratione nova recentioribus pectora religionem christianam dedisse. Atque hoc nescio an ulla res vehementius manifestiusque declaret, quam amor. Etenim, in hac animi perturbatione, ut multa necesse est in omnis temporis morisque et indolis hominibus eadem reperiri, sic negari nequit, quin illa inter christianas gentes quosdam modo tenerrimos, modo, quos sanctissimos vocare amant, animi motus sensusque gignat a veterum amoris ratione aut, aliena aut parcius utique eminentia. Ad ejusmodi igitur adfectus sive amoris sive alios exprimendos pertinet, quem diximus animi sermonem, quorum natura inprimis capaces nos vocabulo *gefühlvoll* aliisque adpellamus, quibus plane respondentia difficile fuerit in aliorum populorum lingua reperire. Nec mirum; nam et inter recentiores haud levis est, quam inter hos atque veteres maximam diximus, differentia; et quod neolatinis exprobratur, a Germanis non raro et in Gallorum singulis scriptoribus, et in eorum lingua universe reprehensum videas; ac revera Germani in Gallorum poetis nihil tam desiderant, quam quod ipsi vocant *Gemüth;* nam alia mirantes, hanc quasi propriam suæ gentis dotem (*) deesse, aut parum eminere queruntur; quod quam recte faciant, intactum nos relinquimus; sed, si vere scriptoribus, quod volunt, deest, hinc colligendum, non iis magis, quam universæ Gallorum genti deesse; atque sic justam rationem haberes, cur in lingua Gallica vocabulum, cujus eadem, quæ Germanici vis sit, frustra quæratur.

60. Quodsi igitur recentiores animi illum sermonem alii in aliis, si Germani in Gallis desiderant, mireturne quis eum in veteribus Græcis Romanisque vulgo magis desiderari, quos ob causas modo memoratas necesse est certis animi adfectibus ab recentioribus vehementius, quam hos inter se, discrepare? Nam, ne vaga nimis sit tota hæc quæstio et imaginariæ potius quam

---

* Vide pag. 44.

** *Sequens* et *sequentia* ea, qua hic dictum volo significatione, latinum sive bonæ latinitatis esse, quamvis Krebsio non uno repugnante, ut nuper in præfatione libri mei de antiquitatibus romanis, sic hoc loco adfirmandum putavi. Cæterum, non plane eadem ratio est, quum vox illa ad subjicienda quæcunque refertur; velut quum, ut vulgo recentiores multi, *locos*, *verba*, *versus sequentes* dicimus, ubi memet inter peccantes, si tamen vere peccatum, sero deprehendi.

* Ad quæ Herderi hæc verba (vol. 33, p. 383, edit. Carlsruhe): *In allen Liedern-in Clodius, Hœlty, Stolberg, Jacobi, Voss, Schiller, ist der Character unserer Nation, Gemüth, kennbar.*

verae speciem induat, ita jam accuratius distinguimus : scilicet animi sermonem quum linguæ deesse dicimus, comparatione inter duas pluresve facta, hoc vere volumus : vocabulorum et locutionum adfectibus illis, quibus animi sermo continetur, exprimendis aliam alia majorem copiam suppeditare ; absurdum enim foret ullam linguam ab aliquo adfectuum genere prorsus excludere. Jam, ut sine ambagibus de vetusta latinitate verum fateamur, dubium non est, quin bonæ ætatis sermonem non transgredienti angusta illa et manca debeat videri christiano (non enim alio magis vocabulo utendum) pectori propriis quodammodo motibus adumbrandis, essetque ad ecclesiasticos potius scriptores, ad Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, et in corruptissima latinitate ad Thomam a Kempis, aliosque plurimos recurrendum, quam ad auream argenteamve ætatatem. Atque hoc in singulis vocibus, si ipsa forma non offendat, cur neolatinis interdicamus, probabilem rationem non video. Etenim nec aliæ voces novis rebus designandis inventæ sermonis aut indolem aut venustatem quidquam mutant corrumpuntve, nec novos animi adfectus exprimentes simpliciter tanquam barbaræ respuendæ sunt, imo, me suadente, bonæ ætatis vocabulis rem male exhibentibus præferendæ. Sed de hoc argumento fortasse præstet nihil, quam non satis, dicere. Est igitur manetque hic novum incommodum poetis neolatinis, ab eo diversum, quod supra exposuimus, a quadam vitæ parte ut abstineant, monentes. Videmus adeo neolatinos et arctioribus materiæ limitibus, quam recentiores circumscriptos, et in concesso campo sermonis insuper vitio impeditos. Ne tamen posterius incommodum justo gravius fingamus, sic maxime cavebimus.

61. Nam primo genus illud sermonis non minimum pertinet ad eam poesis partem, qua neolatinos fere exclusos volumus ; idque facile intelligent disputationis nostrae summam sequentes. Deinde nec vetusta probaque latinitatem animi, quem diximus, sermoni repugnat, ut, salva dictionis sinceræ forma rectoque vocabulorum usu, ad eam flecti nequeat. Atque hoc ut facilius credamus, non vana ratio suadet. Videmus enim quorundam scriptorum singularem in linguis temperandis vim fuisse, ut peritorum etiam exspectationem superasse ea in re dicantur, de quibus hoc prædicare consuevimus, e sua eos lingua, quidquid vellent, fecisse (*). Sic autem prædicantes nequaquam ab iis aut legem sermonis indolemque neglectam, aut insolentes loquendi formulas esse introductas, volumus ; neque enim hoc laudabile foret ; sed in illis scriptoribus eam linguæ et scientiam et elocutionis copiam, eam facilitatem et decoris acerrimum in legendis jungendisque vocibus sensum fuisse, ut linguae suis legibus integræ quasi novum colorem induerint. Atque hoc magnis veterum scriptorum ingeniis, velut, quid efficere lingua possit, experientibus, perinde atque recentioribus contigisse, non opus est eorum gnaros litterarum docere.

Quod si ergo sic vere statuimus, illud jam manifestius erit, quæ veteribus in lingua ad ipsorum ingenium, mentem adfectusque temperanda, salva lege, concessa, eadem neolatinis juxta concedenda esse. Nimirum, duplex est dictionis in quavis lingua ratio, altera vocabulorum recto usu et locutionum ad grammatices regulas compositione atque inter se nexu definita, altera a scribentis ingenio pendens : illa probam a vitiosa orationem discernit, ab hac scriptores diversum styli colorem ducunt ; qui sicut alius est in Cicerone, alius in Cæsare, alius in Tacito, ita in neolatinis diversus a veterum omnium esse potest, quin ideo, illos aut alterum altero, aut veteribus minus latinos esse, recte existimetur (*).

62. Quæ cum ita sint, nihil obstare video, quominus recentiores proba aureaque latinitate, quam novis vocabulis novæ rei inventis non corrumpi, modo animadvertimus, ad familiares magis nobis aut proprios animi adfectus exprimendos, alii aliis felicius, et quidam pleno successu utantur. Ac ne forte experientia refutata pronuntiare existimemur, ad Sarbievium et Baldeum, nobilissimos in lyrico genere poetas, provocamus, non vetantes, si quis alios, velut in lyricis Wallium, magis idoneos testes reputet, neque vero ad prosæ exempla hic, velut Mureti orationem XX., in funere Pii V., aliaque plurima recurrentes. Nobis enim vel illa ingenia, quid in animi sermone efficere

* Huc trahendus locus Delillii, in *discours préliminaire* ad Virg. georgicorum versionem.

* His sententia congruentem habes Mosheimium, qui, in præf. ad Folietæ *de linguæ lat. usu et præstantia* libellum, postquam veteres haud dubie imitandos dixit, anxiam servilemque imitationem damnans, inter alia sic monet :" Infinitis prope modis homines cogitare solere de rebus suis et alienis, ac totidem fere ingeniorum esse genera, quot mortales vivant, nemo est, quin intelligat. Ut vero notiones in animis informantur, aut ingenii se se habet indoles, ita plerumque styli quoque et dictionis ratio componi solet. Quapropter tot fere videas orationis genera, quot ingeniorum, ac orationem animi esse indicem, dudum a sapientibus judicatum est. Hinc ipso illo Ciceronis sæculo tot dicendi rationes erant, quot homines, qui aut publice dicebant aut scribebant.

possint neolatini, abunde ostendere videntur: quorum alter, sæpe quidem sublimis, sed tum quoque venustatis et exquisitæ dictionis memor, nihil insolens, nihil inconcinnum asperumve, omnia quasi gratiarum manibus efficta miti e pectore fundit; Balde autem, inæquali plerumque dictione, et pulchri sensu minus exculto, quum sublimis incalescit, elegantiæ et venustatis incuriosior abripitur. Sed in magno styli discrimine uterque christiani pectoris adfectus tam vivido colore tantaque ad permovendum vi exhibent, ut docilem eos, non repugnantem linguam expertos diceres. Igitur, hi quod potuere, quidni et alii præstent? At difficillimum esse in latina lingua, libenter fatemur, id, quod ne patria quidem utentibus facile putandum; nam et nostrates plurimos eodem, qno vulgus omnes neolatinos, crimine damnamus, quos sine animo esse, eo, quem interpretati sumus, sensu dicere consuevimus. Hæc de altero neolatinis incommodo, magno quidem, sed minore tamen, quam volgo existimant, id quod demonstrare propositum habuimus, multis omissis, præcipua adferentes.

63. Sed illa quæstione occupatum in aliam conjunctam incidere consentaneum fuit, de discrimine scilicet inter antiqnam et recentiorem poesin, gravem sane et *æstheticorum* sapientibus dignam: a qua tractanda nos hic abstinentes, unum cum præcedentibus cohærens animadvertimus. Nam, quum poesis recentioris ab eodem fonte sit derivanda, quo linguæ in animi sermone, quem diximus, diversitas, vel eo, exceptionem tamen aliquam concedens, recte colliges, linguam latinam antiquæ poesi quam recentiori aptiorem esse judicandam. Tametsi hanc sententiam quodammodo hic repetimus potius, quam primum proferimus. Quum enim *romanticum* genus contineatur recentiore poesi, ab eo neolatinis abstinendum dicentes, quid aliud volumus, nisi huic minus convenire vetustam latinitatem? Sed quod de *ramantico*, latissimo vocis sensu de omni recentioris poesis genere dicimus, sive quis *romantico* comprehendi quædam, sive diversi facere maluerit. Obtinet enim nunc subtilissima in hac re, nec omnibus eadem placens distinctio: in qua magnopere cavendum, ne quid inane adfirmetur. Nam ipsa quidem in antiquam et recentiorem poesin divisio non vana ratione nititur; at in singulis fieri nequit, quin ambiguo discrimine sæpe hæreamus; atque eo magis, quoniam nihil vetat, quædam occurrere mixtæ inter antiquam et recentiorem indolis: Cæterum, quod aptiorem antiquæ poesi dicimus linguam latinam, nequaquam a recentiore exclusos neolatinos volumus, neque majore difficultate deterreri, quominus in quacunque specie non desperanda, quid ingenio valeant, periclitentur. Sed desperanda maxime judicamus ea carmina, quæ ipsa forma ab antiqua poesi aliena, illa pereunte, vix placere possint. Hæc igitur, me auctore, mittentes, ubicunque successus justior spes, laborent, majorem a difficultate laudem laturi. Nec vero iis deerunt neolatini, quorum vestigiis insistant, exemplo fiduciam colligant. In his autem haud dubie ponendi modo memorati Baldeus et Sarbievius: quorum carminum alia sunt sententiis, sensu, adfectibus antiqua, ut *ethnica* haud absurde diceres, alia prorsus christiani pectoris; denique nonnulla mediam quasi adfectuum viam tenent. In his igitur, nisi, quod, ut sæpe licentius a veterum consuetudine discedit Baldeus, sic interdum in tumorem proclivior sarbievii sublimitas, neque dictionis candorem, neque veterum vim, ut vocare solemus, plasticam, neque vero recentioris indolem poesis desiderabis; quo magis eorum exemplum intueantur, qui in utroque genere eminere, id est, summum poesis latinae attingere student; multo enim facilius videtur in antiqua, quam in recentiori, et minoris tamen ingenii in recentiore, quam in utroque excellere. Quam quidem laudem nostrates multi nostro ævo adfectavere, in iis summo ingenio viri. Videmus enim ipsum Gœtheum, quum in recentiori poesi jam nulli secundus esset, id egisse, ut antiqua pariter eminens hoc utique nomine sine controversia inter populares palmam ferret. Neque sane nobiliorem eo testem adversus antiquam poesin contemnentes flagito. Nam quum in ea quasi alteram laudis poeticae partem quaesierit, hinc abunde discimus, quantam ejus prætantiam, quam arduum in ea excellere et cum veteribus decertare, quam eos æquaro aut vincere gloriosum judicaverit.

64. Atque, ut hoc opportuna occasione moneamus, qui de veterum praestandia aliorum judicio quam suo malit æstimare, is, si sapiat, summorum in litteris et ingenio virorum auctoritate magis moveatur, quam adolescentum de antiqua poesi garrientium turba, inter quos, hanc dissertationem scribens librum legi hominis, quem singulae pagellae ultra aetatem non sapere, sed velle loquuntur. Enimvero, quid tandem sapiat, qui circa septemdecim annos natus, et recentiorum omnium, quorum aliqua fama est, se judicem jactat, et Græcos Latinosque juxta et eorum imitationem damnat? Nonne luce clarius est, talem non ex scientia, sed e fasciculis academicis judicare? Ita autem si posueris, nec multum quaeres, qui tandem idem criticus modo non spernenda, multa quidem docto et sagaci digna, sive de veteribus sive de recentioribus, proferat, modo

autem, ut ultra nequeat, ridiculus in utroque genere deliret? Diceres eum virorum, et adolescentum extra modum sapientium, effata incredibili quadam levitate farragine fasciculorum contexentem, quod juvenilis ætatis est, audacissima, paradoxa, specie splendidissima quæque amplexum, saniora fortuito hic illic inspersisse. Cujus equidem *æsthetica* somnia intuens, mirabar, hunc ipsum, quem pæne unum laudare, imo in cœlum extollere voluit, non satis puerilis præconis sui futilitatem perspexisse, aut, si perspexit, non satis candide in declarasse: quæ res, incredibile dictu est, quantum critici arrogantiæ adjecerit. Rectius utique fecisset, hortans hominem, ne de recentioribus adeo fidenter pronuntiaret, donec criticæ ætatis initia attigisset, veteres autem, ut legere et intelligere ante disceret, quam aut contemneret, aut, an imitandi sint, judicaret; legere enim eos potuisse septendecim annorum juvenem, simul per omnium Europae gentium litteras vagantem, quis tandem crediderit? Hæc si immaturum summorum poetarum artis laudisque arbitrum monuisset, laudasset ille fortasse alium potius quam monitorem; sed levius peccatum fuisset mediocri in ingenio quam in summo admirando delirare. Neolatinos tamen imberbis criticus non attigit, quoniam, puto, ne dignos quidem sua censura ducebat. Quid enim de his non dixisset, qui in Gœtheo antiquæ poesis imitationem reprehenderit? At cur tantum de puero? Neolatinos, ut in utraque poesi excellere conentur, hortatus sum: qui altera acquiescere malunt, difficiliorem in recentiore cum majori artis laude operam experientur, faciliorem quidem in antiqua, sed nec mediocri ingenio bene cessuram, et magno dignissimam. Enimuero, quod Gœthei gloriæ non parum addidit, cur in neolatinis idem studium reprehendamus, nullam, cur vero impensius commendemus, plures inter causas hanc non levissimam invenio.

65. Nam antiquæ poesis æmulum, par est, formam quoque carminum antiquam, quatenus metro numerisque continetur, servare. Quamvis enim, si accurate loquendum, non in formæ, sed in pectoris diversitate ponenda sit verum intimumque recentioris ab antiqua poesi discrimen: tamen, ut recentior, sic illa versu numerisque indoli suæ convenientibus usa est, quibus temerarium foret alios substituere*: Igitur in hoc ipso causam video, cur antiqua poesis, per se minime, nec magis nunc, quam antiquo in mundo spernenda, neolatinis præsertim commendetur. Nam quum necesse sit, servatam carminum forman non levem vim ad augendam pulchritudinem habere, patet hic neolatinos recentiore lingua utentibus prævalere. Etenim recentiorum linguarum ea est indoles, ut aut prorsus recusent antiquas versuum formas, aut ægre ad eas, nec nisi magna cum difficultate flectantur. Ne Germanica quidem, post summum in ea re poetarum nostrorum studium, prorsus excipienda est. Quot enim hexametro vel in melioribus invenias veterum præstantiam assecutos? Quem Propertio, nedum Tibullo numerorum in distichis suavitate conferas? Nec Schillerum, opinor, nec Gœtheum, nec, quibus major in versu fingendo cura fuit; et vero novimus eo nomine magis laudandos; neque tamen veterum præstantiam æquavere; nimirum hucusque ne potuere quidem, docili quidem satis lingua, sed prosodia nondum accurate definita: quæ ubi certis jam legibus et universe probatis adstricta tenebitur, licebit demum videre, quid Germani efficere, quam prope ad veterum exemplaria accedere valeant. Tametsi in multis Horatii lyricis metris semper claudicabunt, spondeorum inopiæ male contortis vocabulis, medentes, asperi, lenti gravatique incessu, ut frustra sub sermonis difficultate anhelasse intelligas. Facilior in choriambico et anapæstico laus, sed ubique officit monosyllaborum infelix abundantia. Hinc mirandam Horatii cum gravitate celeritatem, nitidam lenitatem, et rara impeditam facilitatem in Germanicis ejusdem metri versibus frustra quæsieris; atque hæc præcipua ratio, cur poeta ad omnis generis lectores delectandos, quasi id meditata natura, compositus, germanice versus adeo sui dissimilis reperiatur, ut nec alii ejus jucunditatis præter umbram e translatione percipiant, et latinum mirati Germanicum fastidiant. Sed nusquam suavitatis tanta jactura quam in Sapphica strophe: quæ latina summam rhythmi in recentioribus linguis vim concentumque æquiparans, in nostram

* Iidem tamen, § 66., in recentioris etiam indolis poesi, antiquos versus retinendos esse, docemus. Nimirum hic, e duobus incommodis minus eligentes, veterem formam, quamvis aliis minus idoneam, potius tamen servabimus, quam recentiorem male imitantes offendamus; a quo cavere vix satis usquam poterimus, nisi cum metro numerisque consonantiam quoque homœoteleutis scilicet versibus imitemur, velut, ut exemplo clarius, quid velimus, adpareat, carmen quale est Schilleri, quod strophis alcaicis ipsi vertimus inscriptum *die Ideale*: tale igitur latine antiquis potius versibus, et lyricis maxime metris, quam Germanorum sive trochæo, sive, quo Schillerus usus est, iambo, componeremus, nisi forte versus germanicis omni ex parte similes, id est, ad accentum factos simulque homœoteleutos, tentare placeret; quales ipsi carmina germanica Schilleri pleraque, vertentes, facere, quam mutata archetypi forma, frustra laborare, maluimus.

translata, impedita, operosa, comparatione denique ipsa minus ferenda cernitur. Quæ cum ita sint, quis non fateatur in antiqua poesi, pari ingenio, citius latina quam patria lingua utentes, tum alias, tum maxime in lyricis laudem esse inventuros?

66. De forma autem poesis neolatinæ, hoc porro quæri possit, utrum in iis recentioris generibus, quæ nil vetat latino sermone nitescere, pariter antiqua forma sit servanda, anne nova præferenda, velut iamborum aut trochæorum usitatissima apud nostrates variaque, sive ad strophas sive alia conjunctio, aut quæ sunt dactylica, præmissa anacrusi, ut vocant, aut antipæstica metra. De quibus singulis longum est disputare, sed universe quid statuamus, si pronuntiandum; multo optabilius censemus neolatinis ab hisce carminum formis abstinere, idque hac potissimum de causa. Auget enim in hoc genere mirifice numerorum sive metri suavitatem ex homœoteleuto consonantia, ita quidem, ut sine ea parum placeat; unde colliges, quatenus ea, ut a florentis latinæ poesis numeris aliena, aut quamcunque aliam ab causam vitanda existimetur, illorum imitationem metrorum cur neolatinis suadeamus, idoneam causam non reperiri. Nam neque recentioris linguæ rhythmi concentum, neque vero antiquorum vim numerosque æquabunt. Quis enim, si a consonantia abstinendum, * dubitet, quin alcaicum, e. g., aut sapphicum metra iambico aut trochaico recentiorum longe præferenda? Servandam itaque antiquam formam putamus; quo quidem neolatini id consequentur, ut in recentioris indolis poesi patrio sermone et versu antiquo utentibus rhythmica suavitate facile præstent. Enimvero, ut uno exemplo defungar: nemo utriusque linguæ peritus et metri scientia sensuque pollens negabit, Schilleri *Ambulationem*, adfectibus, ut ego judico, recentiori poesi propiorem, latino sermone numeris facile superari posse. Mihi utique illam elegiam vertenti res adeo persuasa erat, ut egregium hoc, si felix opera, exemplum numeri elegiaci inter patriam et latinam linguam comparationis reputaverim.

67. Quidni hoc potissimum loco neolatinos, quod operæ pretium videtur, moneamus? Nam quum nostra ætate rhythmicæ artis studium, præeunte celeberrimo Hermanno, cum bonis multis non pauca audaciora, futilia etiam docuerit, partim ab auctoribus jam damnata, partim etiamnunc utcunque defensa: nos, cætera hic mittentes, neolatinis suademus, primum, ne *theorias* potius metricas de numerorum vi et suavitate, quam poetas, in epico quidem genere Virgilium maxime, in elegiaco Tibullum, Propertium et Ovidium, in lyrico Horatium assidua lectione et meditatione consulant; deinde, ne *theorias* facile usquam probent, quum exemplaria repugnant; id quod non raro accidere, ipse cognovi. Itaque, si quæratur, e. g., quarta versus sapphici syllaba sitne brevis an longa facienda, gravem causam neolatinis esse ducimus, ne quis Hermannum quam Horatium magistrum malit. Nec enim credibile est, quidquid metrici adferant, Horatio judicium acerrimum in versuum lyricorum numeris defuisse, et ridiculum, si quis græca exemplaria assidue versanti minorem copiam fuisse dicat, quid in græcis maxime placuerit, cognoscendi, quam Hermanno e grammatico quodam et male adfectis sive Catulli sive Sapphus reliquiis. Quanquam Catullum præferendæ brevis syllabæ perperam auctorem prædicaverat vir summus, ipse in *Epitome doctrinæ metricæ* Horatium jam non carpere sed laudare visus. Quem quidem, ego haud facile adducar ut credam, longa syllaba non Græcorum exemplo usum, sed, tanquam latino sermoni convenientem, sua auctoritate longam fecisse, severum scilicet Græcorum in numeris imitatorem semet profitentem, atque, ut ejus verba habeas, timentem *mutare modos et carminis artem*. Sed jam satis de his, ne justo brevius quædam dicentes faciliorem aliter sentientibus reprehensionem præbeamus. Illud maneat, neolatinis lectione assidua poetarum et meditatione, ut ad summam dictionis, sic ad numeros nihil prius esse oportere. Ad metri autem leges a bonæ ætatis poetis observatas pertinet pentametri versus post secundum pedem syllabæ quantitas, quam nos aliquoties brevem malo exemplo fecimus in *Ambulationis* versione, nunc in repetita editione ubique produximus. Pertinet eodem quæ dicitur positio dura, vocali brevi duas consonantes mutas sequentis vocabuli præcedente. Quam positionem apud veteres quosdam fortasse vix semel occurrentem in neolatinis reprehendunt severiores judices **, me-

*Quæstionem autem, an et quatenus a versibus homœoteleutis neolatino abstinendum, quibusque eorum, præsertim in recentioris linguæ carminibus vertendis, usum commendemus, quidque in iis, ut numeris placeant, maxime præstandum, hæc omnia in dissertatione, jam memorata, de versibus homœoteleutis attigimus.

** Cf. Santenii *notas prosodicas in Mureti carmina*, in operum Mureti ed. Ruhnk. t. IV.; D'Orville ad Charit. pag. 184., Burm. ad Calp. Sic. *Ecl.* II. v. 32., et ante alios, quem sero legi, Hier. De Bosch in præf. ad ipsius poemata.

rito quidem, si vitandam monent, justo severius, si vitiosam volunt, ut *Romæ* versionis meæ censor in fine pentametri damnavit *nobile struxit opus*, ubi emendavi *posuit*. In quibus duram positionem ab eo reprehendi, sero perspexi; eaque res me hortata est, ut, lectis recentiorum, quæ dabatur, animadversionibus, ipse, e veteribus quid statuendum, quærerem. Reperi igitur, locos haud dubiæ integritatis comparans, vitiosam illam positionem non esse, sed adeo tamen raram apud bonæ ætatis auctores *, ut neolatinis pæne interdicendam existimem, nisi sicubi necessitas flagitet, cni veteres etiam simili in re obtemperasse constat. Ipse quidem, aliquoties admissam, ubi nimis difficilis mutatio, invitus servavi. At enim hic monitore post alios multos minus opus est. Nescio, an idem dicam de quantitate imperativorum *memento*, caveto, teneto, esto etc., in quibus ultimam ancipitem faciunt grammatici; ipse autem brevis paucissima in aureæ ætatis poetis exempla reperi **. Non ad quantitatem, sed ad numeros tamen trahendus pentameter sine commate finitus; de quo vide notam ad *Romæ* Schlegelianæ versum XVI. Cæterum omnino neolatinis id magnopere præcipiendum censeo, ut quam minime licentia veterum, paucorum exemplorum auctoritate, ut in locutionbus, sic in metro utantur; sunt enim, quæ semel opportuno loco parum aut nihil, sæpius autem et nullo discrimine usurpata vehementer offendunt. Quare, ne consuetudine magis obnoxii simus doctorum reprehensioni, a licentiæ, quo nonnulli laborant, amore cavendum, omnino abstinendum est, quoties suspecta auctoritate nititur, ut acri decori judicio et sermonis cognitione nil nisi et usu probatum et indubitatæ integritatis, optima vero et exquisita etiam e veteribus sine servili imitatione adferamus. Huc usque de forma.

DE POETIS NEOLATINIS.

63. Ad quaestionem de poesi neolatina sive laudanda sive spernenda præcipua copiosius me tractaturum esse, dixi, reliqua delibaturum, prolata magis sententia, quam argumentis rite confirmata. Itaque non aliter faciemus in operæ, quæ restat, parte, de ipsis poetis latinis et universe, et de singulis notioribus scilicet, quædam dicturi *, Ac primum quidem de imitatione,

* Cf. Lucret. VI, 943, *manantibu' stillent*; Horat. *saepe stylum vertas* et *fornice stantem*; Ovid. A. A. III, 289, *inamabile stridet*, 726, *fervida spargit aqua*; Claud. in Ruf. lib. L. *flumina stare coegi*; Virgilii *ponite spes*; Propertii IV, 4, 48, *tu cape spinosi*, 4, 1, 41, *bene spondebant*, 1, 5, 17, *consuluitque striges*. Quae omnia, non dubito, quin ab aliis notata. Cf. inprimis Juven. *occulta spolia*.

** Apud Propertium *cædito saxis*, ubi tamen sunt, qui malint *cædite*, Lemairio quoque probatum; apud Senecam *removeto*, apud Juvenalen *sumito libro*. His alia nunc addere possem, quin ad Calpurnii Siculi *mittito clausos* aut Serenum Sammonicum recurram, qui, sæpissime præcipiens, corripiendæ vocalis licentia, quo citius versum conficeret, large usus. Quid alii ejus ætatis fecerint, hic prætermimus; unum etiam monentes, scilicet argenteæ poetas certe plerosque, quædam in aurea ætate rara multo etiam rarius aut prorsus non usurpasse; eoque trahenda, quam in §. præced. attigimus, positio dura, et magis syllaba brevis, ante vocalem sequentis vocabuli, in ictu versus producta, quæ sæpius etiam apud Virgilium, multo rarius apud Ovidium occurrens, a principibus posterioris ævi poetis, quantum memini, ita vitata est, ut pateat, hos priorum, in re scilicet displicente, licentia atque auctoritate negligentiores esse noluisse.

* In hac dissertationis parte ad priorem editionem multum addere, eo minus placuit, quoniam aliquot post eam vulgatam annis idem argumentum gallico sermone, in libro jam memorato, tractantes, de principibus inter neolatinos poetis aliquanto copiosius, quam hic concedebatur, disputavimus, cui volumini specimina quoque singulorum dictionis, ex ipsorum operibus selecta, integra carmina aut partes, inseruimus. Sermone in nonnullis eorum, quæ una cum græcis pauca vulgavit (Lipsiæ, 1833), valde probandus Chr. Henr. Schumann; in minutis ille quibusdam Flaminii in *lusibus pastoralibus* molle et suave, nescio, an imitator, referens. Idem ob græca laudem a criticis non versificatoris sed poetæ sortitus, quibus non est, cur refragemur; neque vero hic accurate dispicere libet, quatenus, aut de Fischero interprete, aut omnino de germanica poesi latine reddita, recte Schumannus secusve judicaverit, in præfatione libelli sui, venusta sane justaque comparatione, sic monens: " difficillime enim in his germanica libertas romana urbanitate mutatur. Amittere videntur carmina naturalem suum vigorem ingenuumque animi colorem, ita, ut non puellas referant, sub dio viventes et magna cum alacritate animi cœlesti aura fruentes, sed statuas immoto vultu in atrio sedentes. Nec Fischeri, Suevi, viri in hoc poesis genere versatissimi, exemplum, quin ita statuerem, fecit. » Nempe ex uno, etsi non contemnendo, cavendum, ne, de omni interprete idem statuentes, ipsam linguam latinam immeritam incusemus: qua equidem Schumannum in vertendo Hœltyi carmine ita usum invenio, ut non majorem in propriis, quam interpres, vim, magisve vividum colorem prodidisse, sicque ipse sententiam suam impugnasse quodammodo videatur. Ipse autem, ut justiore hanc, si possem, argumento refellerem, eandem Hœltyi oden sive cantilenam (v. not. ad pag. 101), et elegis, et, servata metri forma versibusque homœoteleutis, reddidi; ita tamen, ut secundi strophæ versus cum quarto consonantia contentus fuerim; quum in archetypo primus quoque et tertius consonent. Eodem anno, quo Schumann, *carmina* sua *omnia* (Altenburgi) edidit F. C. F. Hauschild: quæ quum et satis multa sint, et quinquaginta pæne annorum spatio composita, vel hinc conjiceres hominis ea esse, qui non tam poesis latinæ amantem se, quam vulgatis versibus famam quæsisse, si non verbis, re certe, profiteatur. Cæterum de carminibus ejus quid alii censuerint, ignorans, ipse, si sermonem numerosque species, cum in aliis tum in ode *ad Lucilium suum*, inque elegia septima, (de Napoleone devicto,) non spernenda reperi; neque vero minus in his aliisque placet viri sive patriam amantis animus, sive amabilis quædam simplicitas, qualis inprimis est in elegia octava; in qua tamen, ut in cæteris pæne omnibus, sæpe poetam requiro. A. 1826. carmina latina (Lipsiæ) vulgavit Jul. Conrad, Frid. Dietrich, veterano, ut ipse vocat, poetæ dedicata, sermone illa et facili suavique numero,

in præcedentibus non semel memorata, eorum, quos multos legimus, alios lingua, alios tractandi arte, alios utraque nimios, quosdam serviles imitatores invenimus; in quibus quid minus, quid maxime reprehendamus, non repetendum. Linguæ justam imitationem servantes, et simul ingenium animumque libere sequentes paucissimi occurrunt, plures tamen stylo sive dictione, quam tractandi arte et poetica virtute commendandi. * Plurimos imitatione servili, quominus, quantum ingenium valuisset, præstarent, impeditos esse, alio loco monuimus. Cæterum præstantioribus, quos infra nec multos et plerosque paucis verbis attin-

---

melioribus nostræ ætatis adscribenda; cui laudi addere possis, neque res in aliquot carminibus gravitate carere, et par interdum rebus ingenium cerni. Scilicet, quos hic ternos conjungere Germanos placuit, bonos, in carminum utique parte, docti judices, sed ita, opinor, dicerent, ut vetustioribus tamen multis, velut Sabino, nedum Lotichio, non comparandos faterentur. Quanquam, de Conradio, dubito sane, an dignum adolescentem, qui vel Lotichium æmuletur, habeam; quo impensius eum, si quid in me esset auctoritatis, ut a felicibus auspiciis ad majora enitatur, hortarer; quod an, quatenusve fecerit, ignoro. Propositum certe hoc ei fuisse, sicut singularem poesis latinæ amorem, declarat cultissimi juvenis præfatio, Dietrichio, quem magistrum veneratur, tanquam sacramento confirmantis, omnes se vitæ animique vires in eo consumturum, ut juvenilis musa pubuisse cum ipso et consenuisse aliquando dicatur.

* Quo majoris momenti est, ut poesin neolatinam a contemtu, quo nunc vulgo premitur, vindicemus, demonstrare, recentiores posse non apte, non copiose modo et suaviter animi sensa motusque latine exprimere, sed veterum adeo optimos dictione æquare, et, quod hinc consequitur, quæ ab illis minus egregie dicta, facile superare: quo majoris igitur hoc momenti, eo impensius nos in illo quasi cardine causæ evincendo contendere oportuit. Verum in iis, quæ, recentiorum latinitatem, quæ poesin neolatinam tuentes, sive in hacce dissertatione, sive alias sæpiusque disputavimus, nusquam tamen, ad quam hæc adtinimus, quæstionem copiose satis explicare potuimus; quippe quum aut, aliud agentes, in illam incideremus, aut, ipsam tractantes, angustis spatiis nimium complexi, breviores esse, quam res suaderet, cogeremur. Quo quidem ægrius hoc ipso in loco a longiore disceptatione abstinemus, cæterum minime ignorantes, neolatinorum contemtores, alios inscitiæ culpa, alios, quia meliora se doceri nollent, tales plerosque inveniri, ut nihil intersit, quid quantumve ad eos refellendos proferatur. Neque vero cum istis nos quidquam, sed cum illis disceptare adversariis volumus, qui neque rudes essent latinarum litterarum, et aliorum expendere sententiam non dedignarentur. Tametsi, qui ex his latine egregie docti, quo citius se a vulgari neolatinos spernentium persuasione liberent, non tam, ut argumentando, quam, ut experientia, nonnullos scilicet dictione insignes legendo, litem dirimant, rogandi nobis videntur. Quod si facere animum inducant, equidem, inventuros esse, confido, qui sic lingua latina usi sint, ut, cur ipsis veteribus eos hoc nomine inferiores reputent, ratio prorsus non cernatur, nisi scilicet veteres, quod veteres sunt, ideo quolibet recentiorum meliores judicandi: quod quam sit errantis, ac, pæne dixerim, puerilis judicii, quis est, qui non intelligat? Enimvero veterum nemo, quod ad rectum linguæ usum attinet; non enim hic, quæ a scriptoris ingenio pendent, dotes nobis considerandæ: nemo veterum bonus, nisi, quatenus ab aliis nihil aut minimum differat, recte habetur, adeo quidem, ut ipsum Ciceronem aut Virgilium dictione bonum dicere non possis, si verborum locutionumque usu et junctura a cæteris bonæ ætatis scriptoribus discreparet; neque vero non jure conjiceres, ipsos veteres in eximiis illis ingeniis non probasse, certe recentiores imitari nolles, quæ illis propria prorsus esse, reperires. Ut autem veteres, nisi alii cum aliis, sic neolatini, nisi cum veteribus recto linguæ usu conveniant, boni non sunt existimandi: cæterum, in linguis quoque nunc florentibus non alia ratione nos, qui boni olim, neque posteros nostros, qui boni hodie fuerint, discernere posse, manifestum est. Atqui hoc ipsum volumus, hoc latine doctos inventuros adfirmamus, recentiores multos ita cum veteribus, quos optimos dictione judicamus, recto linguæ usu congruere, ut, cur inferiores illis habeantur, justam rationem frustra quæreremus.

Quibus hoc adeo addere non temere videmur, veteres poetas, ut prosam hinc jam mittamus, si unum alterumve, inprimis autem Virgilium, excipias, a neolatinis dictione ita æquari, imo superari, ut, quum in illis, in locis etiam non dubiæ integritatis, multa offendant, apud neolatinos quosdam, ut pote optimæ dictionis longe, quam veteres illi, studiosiores, talia rarius inveniantur. Etenim apud veteres sane, velut apud Ovidium et Propertium, quamvis eximios utrosque poetas, verissimum tamen est, non pauca occurrere sic expressa, ut, qui melius illa dicere nequeat, sapientius poesin latinam mitteret; quippe dictione, quod illis nonnunquam accidit, passim displicentem eo etiam minus ferendum videri, necesse est, quoniam veteribus, idque non unam ob causam, interdum dormitare benignius multo, quam recentioribus, condonare consuevimus. At enim, tantum neolatinorum dictioni tribuentes, nequaquam multos inter eos Cicerones aut Virgilios, multos Tibullos aut Horatios esse contendimus; nec enim ridiculos præbere nos, sed hoc unum volumus: quum boni poetæ duabus dotibus, dictione et ingenio, quatenus duo hæc separari possunt, censeantur; neolatinos quosdam dictione ita probandos esse, ut, ne boni, ne magni poetæ essent, non lingua illis, sed alia defuerint. Atque ut hoc verissimum iudicamus, sic illud quoque non veriti sumus adfirmare, inter neolatinos videlicet poetas nonnullos ad optimorum inter veteres præstantiam prope accessisse: quod adeo, si non contigisset, simul, linguam illis impedimento non fuisse, concedas, jure possis mirari. Neque enim sic alia ratio ulla suppeteret, quare, quum tot excellentes doctrina atque ingenio viri versus latinos vulgaverint, nemo id adsequi potuerit, quod patria lingua utentes poetas paucissimos sane, sed tamen apud omnes perinde gentes aliquos adsecutos videamus. Sunt igitur inter neolatinos quoque poetæ boni, neque ii, si aliis comparentur multo rariores, sunt etiam nonnulli, in iisque Sarbievius, Lotichius et Buchananus, quos equidem egregiis cum veteribus, tum recentiori lingua usis, non indignos, qui conferantur, ausim reputare; ita tamen, ut idem nequeam non ingenue hoc simul fateri: sicut enim in recentiorum gentium poesi pars quædam eminet, qua veteres longe antecellant, ita in neolatinis, quos constat ante omnia, ut veteribus simillimi viderentur, contendisse, mirum non esse diceres, etiam nunc eum desiderari, quem summis in patria lingua poetis, velut Germanorum Schillero aut Goetheo satis idonee sive poetica, ut ita dicam, ingenii præstantia æquari posse existimes, sive argumento adeo carminum et tractandi arte comparari; quo magis mihi quidem in iis, qui, ad poesin nati, famam suam Latii camœnis committere non fugiant, optandum videretur, si, liberius incedentes, majoremque veteribus patente vitæ humanæ scenam amplexi, non tam cum illis similitudine, quam sua virtute mirabiles esse

gimus, malos pessimosque opponere inutile quidem non esset; sed servanda nobis brevitas, ne id faciamus, vetat. In malis, qui nostræ ætati propiores, I. Henr. Hadermann, cujus carmina Hanoviæ, a. 1789, prodierunt. Eo non multo meliores, quosdam adeo pejores habes inter Germanos hodie versus latinos facientes; quo etiam trahendi germanicorum carminum interpretes illi, de quibus quid censendum, in notis hujus voluminis non semel exemplis monstravimus.

69. In causis autem, præter vitiosam imitationem, cur multi neolatini minus placeant, ponenda est carminum eorum argumenti sanctitas: quippe, explosa majorum religione, et simplici, quasi infantum in patrem, in deum amore, sapientibus nostris nequeunt non sordere ejusmodi angustorum animorum cum precibus votisque et piis desideriis adfectus. Quanquam hæc culpa ad catholicos fere solos pertinet; ac facile credes, ante alia vehementer displicere sanctorum laudes et invocationem. De quibus ipse, cætera quid sentiam, hujus loci non duco declarare, sed poeticam piis in argumentis rationem intuens, sic statuo. Primum, non est, cur illa in neolatinis magis quam in aliis poetis despiciantur; deinde, si quis in omnibus juxta despecta velit, non videmus, quomodo recte in poesi fastidiamus, quæ in sculptura et pictura vel ab omni pietate alienissimi mirantur. Quodsi porro summorum ingeniorum in hac re sententia quærenda, equidem dignissimos quosque poetæ nomine pia argumenta alios tractasse video, alos certe tractata non contemsisse: quippe hos ita censuisse, in artis opere, ut de præstantia constet, nec de auctore, nec vero de judice, inquirendum esse, qualis indole, religione, pietate, castitate, æquitate fuerit; * sed, de illo, qualem se artificem probaverit, de judice autem, quam sit, sive natura sive studio etiam et exercitatione, critica facultate et pulchri sensu instructus. Neque enim, ut pium castumve argumentum bene tractes, te piissimum aut castissimum esse mortalium, aut satis, aut necesse est, neque, ut in utroque recte judices. Sed, ut summum in poeta omnes vitæ species ingenio conceptas speculi instar exhibere, ita in judice summum imaginis cujusvis formam intueri et ad pulchri legem exigere. Aliud scilicet effingere et nosse sive pietatem sive castitatem, aliud pium castumve esse; nisi forte vir *æstheticus* hic quoque *subjectivi* et *objectivi*, aut *realis* et *idealis identitatem*, vel simile delirium objiciat. Sed faciat sane, si cui animus: nos autem, quæ universe, sicque dicta experientia abunde confirmata diximus, tenentes, Deo flagrantium animarum adfectus, errores etiam, somnia et superstionem piis mentibus poetico sermone effusa, si per se pietatem in sublimi, quo nos jactamus, *pseudoioannitarum* et *calocagathophagorum* humanitatis gradu contemnendam ponamus, ne sic quidem magis reprobanda quam diversi generis argumenta existimemus, neque vero *Schellingicanticrcposophos* potius poetas, quam pectora religioni obnoxia, terram et humanam sapientiam despicientia, animo oblectando unquam optabimus.

70. Itaque de sanctis quoque catholicorum, non est profecto nostri propositi meliora hic docere has credulitatis meras ineptias reputantem; sed ad poesin tamen quod attinet, mirer equidem, cur illos inter puerilia et fastidiosa argumenta ponat, qui non Græcorum Romanorumque omnis generis Deorum invocationem laudesque pariter damnandas judicet. Nam quæ tandem justa ratio dabitur, cur Pelopis apud Pindarum aut Herculis gloriam, vel apud Horatium Mercurii amemus; catholicæ contra ecclesiæ heroas heroinasque celebratos invocatosque fastidiamus? Profecto, si sapimus, non ipsum genus, sed quæ insulsa occurrunt, hic quoque reprobemus, et multa, fortasse plura, quam in quocunque alio, occurrere, libens fateor; tamen dubito, an neolatinorum ineptias recentiori lingua usi superaverint. Quis autem puerilia piis in argumentis et ridicula multa, bona rarissima esse miretur, quum omnis poesis eadem sit conditio, neque vero, ut equidem statuo, minoris ingenii sit precibus et piis desideriis sanctorumque laudibus, quam vel amore vel res gestas celebrando egregium quiddam componere? Sit adeo satis, ne neolatinos hac causa contemnamus, sit satis, nonnulla ex eo genere summopere probanda exstare. Quamquam non inficior, vel in optimis esse, quæ displiceant, veluti veterum nomina Deorum ad Christianorum numen sanctosque, loca etiam et alia e profana in sanctam pietatem et religionem male translata; a quo vitio non satis cavens ipse Sarbievius carminum aliquot insigni cæterum pulchritudini multum detraxit; nec simili culpa in *Partu Virginis* caret Sannazarius, a criticis tamen interdum utcunque defensus, et sunt, quæ tueri, excusare certe potes. Quo magis monendi in hoc genere versantes, ut, quid deceat, quid non, reliogiose perpendant; ne Beatam Virginem Dianam, ne Dei Patris sedem vulgo Olympum adpellent, ne Avernum, Stygem animæ

nitantur. Sed, a neolatinorum dictione digressi, quasi novam quæstionem induximus, quam alias quoque paucis tantum attigimus, hic autem si vel paulum explicare placeret, ne in librum nota extenderetur, jure metueremus. Quare de his nil amplius.

* Bene hic quoque, quem non semel laudavimus, Herder, in *krit. Wælder*, sylva 3, n. 5.

christianæ adeant, ne mythologiam sancti *ethnicam* sapiant, et quæ sunt ejusmodi innumera peccata magnam partem a perversa vetusti sermonis imitatione profecta, atque impensius notanda; quoniam ea vitare facillimum fuisset. Quid enim velat, ne de christianis rebus christiane et tamen latine loquamur? Atque hæc quidem de materia neolationæ poesis ad ea, quæ aliis locis anidmadversa, adjecimus. Nempe, quod, primarias duas argumenti nostri partes persequens prorsus vitare non poteram, id operam quoque dedi, ut præcipua quædam dissertationi insererem neolatinis, quo placeant, sive cavenda sive studiose præstanda. Restat, ut de ipsis poetis deinceps peragamus.

71. Quod de latinitate recentiorum universe diximus, male scribentium turbam non impedire, quin multi probabiliter, quidam egregie scripserint: idem hic de poetis neolatinis concedendum; ne malorum copia obsit, quominus de bonis æqui judicemus. Ac ne quis miretur, rem a me flagitari, quam negare absurdum, reputet ille secum, non eandem esse nelotinæ et ceteræ, recentiorum poesis conditionem. Nam postquam semel temporum culpa linguæ latinæ usus contemni cœpit, poetæ autem neolatini, tanquam perpetua digni oblivione, vulgo rejecti sunt, necesse est malorum multitudinem, ne bonorum paucitati suus honos reddatur, vehementer obstare. Quippe, omnibus fere juxta neglectis, consentaneum fuit, paulatim bonos malosque eodem numero apud utrosque ignorantes haberi. Itaque hoc non fictum discrimem cernitur: inter alios enim poetas, mali, sicut inter neolatinos, si non statim nati, paulatim certe respuuntur, boni autem et optimi sperni quidem ab indoctis, aut infra meritum aliquamdiu a doctis laudari, at vulgo tam negligi, quam neolatinis accidit; non potuerunt, vigente scilicet, quo scripserunt, sermone, contra latinitate recentiorum contemta. Est adeo justa ratio, cur de neolatinis judicaturos hoc rogemus, ne laude dignos, ne principes una cum pravis, cum pessimis, tanquam nullo aut parvo discrimine præstantes, contemtos velint; et vero par est proniores in eam partem inveniri, quibus persuasum, nec alias satis recte et jucunde quemquam latino sermone scribere, et poetice nequaquam posse: quod si posueris, consequens est, ut omnes fere pariter spernas neolatinos poetas. Quæ enim poesis sine dictione poetica jucunditas? Aut quis non videat, hoc neolatinis negato, supervacaneum esse de eorum in poesi laudibus disputare? Neque nos absurda illa persuasione occupatos docere conamur, esse nonnullos haud contemnendos; sed cum illis agimus, qui linguæ et veterum poetarum, si non egregia, mediocri saltem cognitione imbuti, per se judicare aliquatenus valeant, quæ vere nos et recte secusve contendamus. Tametsi his ipsis non dubito; quin primum intolerabilis sit visura, quam de poetis neolatinis sententiam tuemur. Doctis enim, et quibus operæ pretium, de ea re occuratius, quid censendum, cognoscere, hoc adfirmare non veremur, neolatinorum poetarum plurimos sane merito sepultos, neque eos tantum, qui quasi ipso partu mortui, sed ex illis etiam, qui aliquamdiu una, quidam pluribus editionibus floruere, multos perpetuo recte quieturos; sed inter reliquos tamen occurrere, nec dubitamus plures, quam inter recentiori lingua usos, pro scribentium scilicet numero, dicere, non probandos modo, quod æquiores arbitri facile concesserint, sed quosdam ita præstantes, ita variis, queis poesis continetur, dotibus splendentes, ut et veterum principibus, et recentiori lingua usis vix inferiores, suo qnisque in genere sive dictione, sive ingenio, sive utroque videantur,

72. Sic igitur existimans, novi quidem fore, si quos dissertatio mea lectores sortiatur, fore, qui me ignarum poesis, rudem patrii sermonis, et litterarum, stolide latinis addictum, quoniam in his aliquid mihi fortasse tribuerem, denique ineptum et respuendum dicant. Sed doctos quid hic maxime rogemus? Nam pueris propiores, in syntaxi addiscenda omnem latine scribendi artem comprehensam putantes, quales vix non omnibus horis occurrunt, merito ridemus; qui quum dictionis latinæ sinceram formam ignorent, mirum non est, cur coquinaria, ut vocant, latinitate et ipsi utantur, et, cur alii aliis magis latini barbarive sint, discernere nequeant; satis enim illis vocabula, quorum fere aut propriam significationem aut in singulis locutionibus variantem ignorant, esse latina, verbis suum cuique casum et nominibus jungi, et quæ sunt ejusmodi; constructionis et brevitatis vim, et numerum periodorum, membra sententiæ, et orationis longiores partes apte ligandi artem, conjunctionum exquisitiorem usum, alia ad styli perfectionem gravissima ne suspicantur quidem. Quid igitur isti in poetis neolatinis judicabunt, in quibus, ut probentur, non de ingenio, (nam eo carentes neque latini neque ulli boni sunt,) sed an lingua probandi, quantumque præstiterint, quæritur? Verum, quid maxime faciendum, ut docti mitius de nobis statuant? Quid, nisi ut hortemur eos, neglectos ut legere et sedulo velint, lectosque cum recentioris linguæ poetis camparare? Sic enim, quales omnino, qualesque ad recentiori lingua sive patria sive alia usos sint, intelligent. Quam comparationem instituere ut legenti facilis est utriusque linguæ perito labor, ita pertractare cupienti pæne immensa disputationis materies, dignis-

sima sane, in qua non mediocre ingenium doctrinaque eluceant.

73. Me autem neque tractare pro dignitate atque amplitudine hoc argumentum intra præscriptos fines continenda dissertatio, neque intactum relinquere patitur justus metus, ne puerili quadam vanitate tam vulgari opinioni contraria, non vera persuasione jactasse credar; qualis est solennis nostro tempore et præcipue juniorum, non explorata sive prædicantium sive damnantium arrogantia. Itaque, a justa comparatione abstinens, tantum utique dicam, ut adpareat, me, antequam ad scribendum de neolatinis accesserim, id fecisse, quod alios, antequam de iis iudicent, ut faciant, hortatus sum. Cæterum, quemadmodum in præcedentibus comparationis gratia præcipue, sic in hac disputationis parte ad patrias solum litteras scriptoresque recurram, idque plures ob causas, quas longum nec necesse sit referre.

74. Sunt igitur inter neolatina poemata, ut hinc ordiamur, quæ argumenti vitio laborant, ob eam rem, ut alibi diximus, non imitanda; quo libentius nos illa hic præterimus, etiamsi in iis quædam non contemnenda invenias; neque adeo quæremus, quem recentioribus comicis neolatinum poetam opponamus, nec, quem Bürgero nostro, et si qui sunt alii popularis poesis palma donati. Tragicos etiam mittimus, in quibus tamen olim laudata, veluti Hugonis Grotii *Christus patiens*, quem non legi, Buchanani, quem non laudo, *Jephtes*, alia. Nec vero in idylliis longioribus, qualia nunc huic generi adnumerant, quod commode conferam nostratibus, habeo; nil, quod Gœthei sive epico, sive, ut alius vocat *æstheticus*, urbano (*Stadtidylle*) idyllio *Hermann et Dorothea*, nil, quod Vossii *Luisæ*. In minoribus contra, qualia sunt veterum, comparationem minus verear. Tametsi rarissima sunt neolatinorum in hoc genere probanda, utpote non alias magis nocente servili imitatione a veteribus et res et sermonem mutuantium, (*) quod, ut Vidæ, sic Broukhusio aliisque necesse fuit accidere, e Virgilio potius quam Theocrito bucolicæ poesis notionem indolemque et argumentum æstimantibus. Cæterum, in paucis laudatur, cujus ipse eclogas non sine voluptate legi, Sannazarius. Nostrates autem idylliorum auctores, pravam imitationem vitantes, quidam vitio non leviori peccant. Nam infimæ, certe humilis conditionis hominum sermonem moresque exhibentes, in minutis, et quæ quomodo fiant, nemo aut ignorat aut audiendi curiosus est, ad fastidium morari videas. Quis enim vel in Vossii idyllio, *der Siebzigste Geburtstag*, locum de matre familias ad focum fabas arabicas torrente, deinde tostas molente, valde laudet, simili prope descriptione, ac si avide edentem dicamus os aperuisse, deinde offam inseruisse, tum dentibus subegisse, postremo per gulam stomacho immisisse? Cui idyllio latina e Cevæ *Jesu puero*, una cum illo chrestomathiæ ab *æsthetico* doctore, Jos. Loreye, inserta, comparans, equidem Jesuitam nec dictione, cujus et candorem, et magis facilitatem miratus sum, nec tractandi arte inferiorem, idque imprimis idoneum exemplum judicavi cognoscere cupienti, quid neolatini vel in eo carminum genere efficere queant, quod in difficillimis mortua lingua utenti ponimus. Cæterum nec Vossii, eximii viri, nec aliorum, quos in sequentibus memorabo, laudi quidquam cum homine nunc obscuro comparatione detractum volo. Sed optimis prorsus necesse est neolatinos conferre; quid enim profecero, si vulgaribus eos patriæ, quales quotannis innumeri, non obstante ephemeridum litterariarum præconio, simul oriuntur caduntque, aut si mediocribus etiam non inferiores esse doceam? Verum satis de idylliis; ad satyras transeo.

75. Satyricæ poesis artem vimque universe spectans, qui aut Horatium aut Juvenalem æquaverit, recentiorum poetarum novi neminem; neque multos vel alterum vel utrumque imitatos; sunt enim tam carminum specie, quam a tragicis comici, discrepantes, satyræ quasi campum partiti, vix aut raro limitem transgredientes; et periculosa est generum mixtio. Ab illis autem exemplaribus discedenti latissime patet satyrica poesis, sive tractandi arte, sive carminis forma, sive argumento; et frequens recentioribus morale et satyricum conjungere. In neolatinis ad Horatii et Juvenalis exemplar satyras scripsit J. Douza, quas non contemnendas Morhofius (*) dixit. Ipse eo utique laudandum invenio, quod ab argumenti servili imitatione cavit, multus in doctis, in ecclesiasticis ridendis, multus in patriæ, bello adflictæ, rebus inimicisque memorandis. Sed, quod in argumento, non satis in sermone vitavit, nimis quandoque a veterum ore pendens, facilis tamen dictione et in-

(*) De quo plura nos in *réflexions sur les poëtes latins modernes*, p. 39.

(*) Dignus ille, quem de poetis neolatinis, in *Polyhist.* suo, agentem legas. Quod quum ego judicarem, mirum non erat, gravem a me auctorem sæpius laudari. Anonymus autem ille, quem pag. v. dixi dissertationem meam infamatam voluisse, me de poetis, quia ipse non legerim, ad Morhofii judicium provocare, adfirmavit; non tantum scilicet ille hic quoque mendax, sed idem turpiter ignarus, neque animadvertens, inter poetas a me memoratos plures occurrere, quos Morhofius, utpote ejus ætate posteriores, attingere non potuerit.

citatus, sale etiam et felle, interdum justo profusior, vulgari non neolatinorum magis quam aliorum poetarum in satyris culpa. Arctiore limite continentur singulas personas diris persequentes, cujus generis multa apud J. C. Scaligerum, et longiora in Danielis Heinsii *Hipponacte;* quem, dictione neque hic reprehendendum, prolixitate *Ibidis* Ovidianæ fastidium æmulari crederes. Scaliger epigrammaticis plerumque salibus et argutiis, nec semper feliciter, ludit. Est enim hic de numero eorum, ad quos pertinet Horatii *in hora sæpe ducentos - stans pede in uno*, bona malorum et mediocrium copia obruens. Parte carminum suorum, velut *Capnione* et plus, quam satis, laudato *Nemine*, ad satyricos trahendus Ulricus ab Hutten, ingeniose mordacissimus, sermone autem non tam ubique sincero, quam dite, nitido et vividissimo commendatus. Sunt etiam, qui in rebus detestandis versati: ejus generis Baldei *in abusum tabaci* satyra, a quo mire vetustæ dictionis satyricæ genium in his aliisque expressum laudat Morhofius. Ego, ut de aliis taceam, in *tabaci abusu*, puriorem, ut interdum in primariis Baldei odis, venustatis sensum desidero; occurrunt enim, queis vel parum delicatus lector offendatur. Est omnino hic poeta in plautinos sales justo proclivior; quo vitio laborant multi ejus ævi neolatini, sermonem etiam Plauti nimium aucupantes, eoque in satyris quidem minus, in lyricis autem vehementer offendentes. Nostræ ætati propior Klotzius, merito poetica facultate, et a nonnullis ultra, quod satis, laudatus. De tribus ejus satyris nec displicuit secunda, sed tertiam malò. Inter cæteros neolatinos hic nominandus Palingenius, vitia interdum acerbe insectans, inprimis monachis infensus, idem dictione facilior quam venustior. Nec omittendus Baudius, et alias et iambis laudem adeptus; sed utrique præstans Buchananus, in epigrammatis, in *fratribus fraterrimis*, et magis in *Franciscano* sale et acumine nitens, ubi, eximia dictione, reperias recentiorum celebratis in satyrico genere poetis digna. Cæterum, in tanta carminum varietate, a singulorum comparatione abstinens, hoc universe dicere non verear; videlicet inter neolatinos, ne multos nominem, Hagedornio nostro et Gleimio, nescio, an Hallero etiam, aut stylo aut arte non inferiores facile reperiri.

76. De epico autem genere, ne neolatinorum mediocritate nimium offendamur, reputemus, quam pauci boni apud veteres, quam rari vel tolerabiles apud recentiores exstiterint. Sic non mirabimur, nullum inter neolatinos ad Virgilii aut recentioris linguæ celebrium epicorum præstantiam prope accessisse; neque hic rectius quam in alio genere linguam mortuam accusabimus. Aliud enim lingua egregie uti, aliud ingenio et compositionis arte id efficere, quod difficillimum esse in poesi fatentur omnes; citius enim in dramatica decem, quam in epica singulos probandos invenies; ac si qui, præter eximios omnium consensu judicatos, ferendi videntur, hoc non tam universi carminis laude, quam inspersis pulchrioribus locis assequuntur; nec alia dote Gallorum criticis probatur Voltairii *Henriade*; et sunt, qui ipsum Virgilium operis summa infelicem dicant, cum quibus hic non est luctandum. In neolatinorum autem carminibus epicis qui pulchra, imo pulcherrima quærat, non pauca reperiet in vidæ *Christiade*, unde diximus Tassum, sicut plurima ex Homero et Virgilio, quædam in *Hierosolymam liberatam* transtulisse. Nec egregia deerunt apud Sannazarium, in Masenii *Sarcotide*, in Petrarcæ Africa, in aliis. Vidæ nimium Virgilii studium reprehendunt, neque nos commendamus; sermonis tamen in eo mira passim cum elegantia suavitas et facilitas, ut aurea ætate dignum fatearis; et *Christiadis* jucunda est in multis tum alias lectio, tum pii purique animi quasi liquidissimo fonte per omnia diffuso: qualem jucunditatem in Klopstockio etiam illi mirati sunt, qui *Messiadem* sive argumenti vitio reprehendunt, sive poetam in singulis exhibendis desiderant. Multa utique non humanæ, sed cœlitum naturæ scripta diceres, ob eamque rem altiora, quam quæ humanos mulceant sensus. In heroico-comico, ut vocant, genere reperi, quibus placeret Baldei *Batrachomyomachia*. Cæterum, cum epico non confundenda, quæ cujuscunque argumenti a versu heroica adpellantur, veluti Baudii et Wallii; quem equidem pœne principibus neolatinorum poetarum adnumerarem, a Morhofio etiam, et egregie a Peerlkampio laudatum. In heroicis ejus maxime placent, quibus, jesuita, sui ordinis patrem in Paraquariam proficiscentem celebrat.

77. In didactica autem poesi insignis est Fracastorii a J. C. Scaligero adorati *Syphilis*, quam alii quoque summi in litteris latinis viri merito sunt mirati. In eodem genere magnopere probatus Vida, cujus *Bombyces* haud facile quisquam recentiorum simili in argumento superaverit; *poeticorum* vero libri multa habent tum præceptis optima, quod facilius erat Horatii vestigiis insistenti, tum dictione numerisque ita eximia, ut videatur, quid lingua latina efficere possit, in ipsis de ea re præceptis ostendere voluisse. Hos libros legant, si qui veteris latinitatis periti persuasum habent, neolatinos sermone poetico nitere non posse. Minus placent *Scacchia*, non poetæ tamen, sed argumenti potius culpa. Quid enim hoc tractaturo præter parodiæ, ut ita dicam, aut allegoriæ oblectationem relinquebatur; quandoquidem regularum et casuum nuda

expositio placere prorsus non potuisset? Scilicet multo facilior opera de aliis, velut de hortis aut agricultura, quam de ejusmodi lusu didacticum carmen componenti. *Hortis* magnam laudem meruisse Rapinum, multorum certe doctorum sententia; agriculturæ autem latiorem campum non minori peragravit Vanierius *Prædio rustico*, de quo vellem sapientius judicasset De-Lille, tot editionibus vulgato, ut vel hinc classicorum honore haud indignum esse colligeres; et vero nihil fere, quo similis materia, natura sua poesi repugnans, in singulis nitescat, suavissime in poemate desideres; longumque sit omnes pulchritudine insignes locos, veluti sylvam exstirpatam dolentis, aut paganalia et rusticorum choreas, aut cervi mores fugamque, aut diram hiemem describentis, aut canum mores fidemque mirantis, indicare: quorum ego locorum jucunditatem in memoriam revocans, non facile credam magis laudandum pari in argumento carmen recentiori lingua scriptum exstare: tanta est cum poetæ ingenii artisque, tum latini sermonis ad similes res tractandas præstantia. Cum memoratis aliisque inter probata neolatinorum didactica Calvidii læti *Callipædia*, Marsyi *de pictura* et Buchanani *de sphæra* carmen. Diversa species magis ad mores virtutemque et vitæ sapientiam pertinens; cujusmodi inter nostrates Hagedornio, Uzio, aliis multis, eximia Schillero debemus. E neolatinis autem præter alia non pauca hic memorandi Meyeri, minime vulgaris poetæ, *de ira*, ejusdemque *de institutione principis* libri, nec alio potius referendus Palingenii, inter satyricos modo laudati, *Zodiacus vitæ*. Sed hæc, et quæ proprie moralia dicuntur, cumque iis fabulas, describentia item, in quo genere insignis Polizianus, et narrantia, et si qua est præterea distinctio, mittentes, de lyrica etiam et elegiaca poesi explicabimus, postremo de epigrammate paucis verbis defuncturi.

78. In lyricis, mea sententia, singulorum excellentia pares inter recentiores habet Horatius, fortasse etiam superatus; at si eximiorum carminum ejus numerum, argumenti varietatem, et eandem ferme in omnibus tractandis felicitatem respicias, non dubito, quin omnes post se longeque reliquerit. Nam in patriis quidem quis ad Horatium aut Gleimius, aut Uzius, in morali argumento non semel bonus, in jocosis plerumque claudicans? quis Kleistius, in his semel iterumque felicior, aut Ramlerus, aut Hœltyus? quis Schubartius, aut alii denique non contemnendi? Enimvero ipse, poesis nostræ lumen, Klopstockius nonnullis sane Horatium carminibus æquat, et sanctitate quadam, in illo non quærenda, ita eminet, ut præstantissima lyrici latini superasse, non mirer, si doctis videatur. Quamquam Horatium in religiosa illa, ut ita dicatur, majestate summum, quo se attollere Romanus posset, attigisse existimo; ut, a recentioribus hic victum, non jam ingenio quoque inferiorem esse concederem. Inter Klopstockii autem eximias palmam, me non repugnante, tulerit *Die Frühlingsfeyer*, qua ode fateor me nullam recentioris poetæ pulchriorem nosse. Est enim illa non sententiis modo, et compositione, sed rhythmica vi conspicua, sic, accedente, quæ languere non sinat, varietate, summum assecuta, sublimis, sed ut hominem homini loqui sentias, numeris, ut quæque flagitant, tarda vel incitata, eadem sermone perspicua, vivida, gravis et nervosa, omnia ut conspirent ad lectorem sancte penitusque movendum. Ad hujus pulchritudinem paucæ, et e juniori maxime auctoris ætate, prope accedunt. In cæteris plurimæ sunt non magnopere laudandæ, non sententiarum vitio, nisi quod sæpe obscuritate, vel in lyricis nimia, laborant; sed magis offendit cum dictionis et numerorum, a multis inepte laudata, asperitas, tum vero nimia ad sublimia in quocunque argumento tendentis animi, pereunte gratia et facilitate, æqualitas. Quæ reputans, non verear Horatium Klopstockio egregiorum carminum summa et in omni argumento sibi constante et dictionis et compositionis arte anteferre. Nec dubito, quin mecum sentiant Horatium, quantus, et quam omnibus dotibus cumulatus sit, intelligentes. In vulgus autem piaculi instar ejusmodi sententiam fore, non opus est me doceri. (*).

79. Sed quales ad Horatium, quales ad principem inter nostra lingua usos lyrici neolatini? In his cæteros, quos ipse legi, longe præstant Buchananus, et, nostra ætate notiores, Balde et Sarbievius; quibus Buchananus inferior imitatione, quatenus lyrica ejus laus fere psalmorum paraphrasi continetur; nam præterea odas paucas, nec omnes bonas composuit. At in psalmis idem magnopere probandus; nec minus, opinor, quam J. B. Rousseau laudaretur, si, qui

(*) *Conversationis*, quod vocant, *Lexicon* Klopstockium super omnes omnium temporum et populorum lyricos simpliciter extollit, facillima laudandi via. Scilicet in hoc opere bona malis, ut nusquam abundantius mixta: in quo ego novum quandoque *æstheticum* delirium quærens, majus nondum reperi hac de Uzio sententia: *Er war næmlich der falschen Meinung, dass der correcte Frost der alten Dichter auch eine Norm für die Poesie der Neuern seyn müsse.* O puellorum sapientiam! Ego, quo magis Klopstockium poetam miror, eo minus possum non fateri, in secundo odarum ejus volumine plures occurrere cum numeris asperas, tum prosæ et incessu et dictione contorta, nec minus obscuritate et vago sive sensu sive imagine offendentes, adeo denique ab omni lyrica dote alienas, ut vix credibile sit, pejora umquam ab homine esse composita, qui et bona et egregia multa, et admiranda quædam in lyrica poesi protulerit.

sæculo decimo sexto latine, decimo octavo gallice scripsisset. Morhofio quidem tam egregius visus est nunc pæne ignotus poeta, ut eum omnibus lyricis neolatinis anteponere non dubitaverit, idem tamen Baldeum et Sarbievium magni æstimans. Nos Baldei dictionis et versus asperitatem jam notavimus, item, quem majorem carminum ejus pars arguit, non satis castigatum pulchri sensum, eximiis et excelsis disparia et humilia miscentem. His igitur Sarbievio inferior existimandus est, cujus ut mira styli et numerorum suavitas, sermonisque cum candore nitor, sic insignis sententiarum, interdum tamen rerum gravitatem superans, majestas. Cæterum, ingenio, quatenus inventione et tractandi arte cernitur, Sarbievius fere, Baldeus sæpe excellens, uterque argumento ita, ut ab amatoriis, utpote Jesuitæ, abstinuerint, varii satis inveniuntur. Baldeus tamen et varietate vincit, et Germanis merito carior est, multis carminibus parentum mores, et temporum, quæ vidit, calamitates excelso pectore et flagrante erga patriam amore persecutus. Atque hac potissimum ratione motum Herderum crederem, ut Baldeum potius, quam alium quemquam neolatinorum poetarum, quasi secunda vita donaret. Non enim potuit non intelligere summus pulchri judex, Sarbievium nec ingenio Baldeo cedere, et arte multum præstare.

80. De comparatione autem eorundem poetarum, si, criticorum, sive ætate sive doctrina et judicio ineptorum, risus contemnenti, libere atque ingenue loquendum, sic censeo. Ut enim summam carminum intuenti uterque Horatio et longe, sic neuter Klopstockio inferior lyricus videtur. Rideant ita pronuntiantem isti, quantum velint; sapientes autem, ne et ipsi rideant, quid potius rogem, quam, ut singulorum præstantissima, sicut ipse feci, conferant. Ac si quis, me duce, non quæsita argumenti similitudine, in serio tamen aut sublimi comparationem instituere velit, ut de singulorum vi poetica, et quo alius alium in summis præstiterint, possit aliquatenus judicare, cum Klopstockii supra laudata conferat, quas in Sarbievii optimis ponimus, sive de poesi Davidica oden, qua nihil novi aut sententiis sublimius, aut rhythmo præstantius; sive malit inscriptam *Regnum sapientis*, e Baldei autem eximiis ante alias comparet *Enthusiasmum in cœmeterio*, quæ ode, licet occurrant, quibus ipse offendor, universa tamen animum permovendi vi excelsum quidquid æquare videtur. Conferat deinde, quas in singulis summis proximas dicerem, scilicet in Klopstockio, ut parvas nonnullas prætereamus, *die Erbarmung; Bardale; der Zürchersee; Wingolf*, (cui confer Sarbievii *ad amicos Belgas*;) *an Gleim*, et, quas ternas a me translatas in hoc volumine habes, *der Rheinwein; Friedrich der Fünfte*; longeque pulcherrimam *an Ebert*, et, si quæ præterea his non inferiores; in Baldeo autem, quæ inscribitur *ad Petrum Altenhovium*, epitaphiorum curam et pompam irridens; quæ *ad Phil. Brevanum* de antiquis numismatibus; quæ *enthusiasmus*, romanas statuas contemplantis; quæ *de spinulo suo*; quæ *felix status veteris Germaniæ*, cui præstantia pares nonnullæ Germanorum aut mores castigantes aut calamitatem deflentes; in Sarbievio denique compositionis arte, simplicitate et nitore Horatii similis argumenti odas æquiparantes, IV. libri III. et XI. libri IV., omnibus numeris absolutas, XII. ejusdem libri, XXIII. libri III. de animi bonorum præstantia, rhythmica suavitate et rerum comparatione longe jucundissimam, XXXVI. libri IV. de civitate bene ordinanda, prorsus divinam. Adde, si vis, XXVII. libri II., gravissimam, qua sepulcra regum scholam sibi esse canit, XVI. libri III. ad se ipsum, suavissimam illam numeris, et cujus citato incessu te cum poeta abreptum diceres; ea nempe est vis rhythmica, quam vix Horatius attigisse videatur. Omittimus alias memoratis dotibus insignes.

81. Diutius in primariis neolatinorum lyricis morati sumus, insignes ingenio viros sincere prædicantes, dignos, qui summis recentioris ævi in suo genere poetis adscribantur. Ac sane operæ pretium foret vel linguæ latinæ scientiam aut nullam aut exiguam habentes docere, quam jaceant sordeantque cum Sarbievio et Baldeo compositi, quos hodie, non bonos, sed putidorum immensa e turba aliqua dote eminentes toleramus. Verum, ut vulgo clara rara dicuntur, sic cæteris e lyricis, quos quidem legerim, nemo vel Buchanani præstantiam attingit summam scilicet carminum si intuemur. Nec quidquam magis plerisque nocet quam materia male lecta, et, quo vitio et Sarbievius quandoque, et sæpius Balde laborat, sive stylus redundans, sive modum excedens carminum longitudo. Invenias insignes aliquot, dictione quidem Horatio dignas, inter Broukhusii lyrica, invenias, præter *Basia*, laudandam oden unam, vix alteram in Joanne Secundo; fortasssis et quædam in J. C. Scaligero, verbosissimo poetarum, nec non in D. Baudio; invenias non spernenda in numerosis Commirii lyricis, et plura, opinor, in Wallii lyricorum libris tribus; pauca in J. Douzæ sive epodorum ternis, sive odarum libro singulari. Cui viro ab æqualibus, ut fieri amat, nimium laudato, et alios vicissim laudanti officit infelix in mediocribus, certe in lyricis, fœcunditas, nullo materiæ aut formæ delectu, obvia quævis, utcunque vestita; et, quod in nostratibus quibusdam claris viris a Gœtheo reprehensum video, levissima, qualia inter amicos forte semel

lecta placeant. celerem Lucinam testantia proponens. In paucis Sannazarii odis eminet inscripta *ad villam Mergillinam*; J. B. et Corn. Amaltheorum bonis non facile, certe una plures non adnumerem; nec multas composuerunt. Beroaldum tribus carminum libris Horatio comparatum, quin etiam a Paulo Jovio festivitatis dote prælatum esse, testem habeo Ginguené (vol. 7. p. 203.); quo magis illos a me lectos vellem. Tametsi, de Horatio, non dubito, nimium Jovio Beroaldum placuisse. Ego, ut alias me declarasse memini, si quis Horatio comparandus, etiamnunc Sarbievium cæteris, quos novi, lyricis neolatinis anteponerem. Inter ætate recentiores Klotzii et Helvetii quædam non contemnenda.

82. Hæc de lyrico genere universe; neque servanda brevitas patitur me in partibus morari. In anacreonteis, quæ vocant, aut amatoriis omnino, etsi ludenti quæsitæ venustatis acumine non carent, eximia tamen merito habentur Joannis Secundi *Basia*. In hymnis Sanctolium * mirantur; me multa laudantibus satis sit adscribi, Vidæ etiam pauca, Sarbievii et Baldei quædam valde probantem. In canticis, ut proprie vocant, qualia, in iisque hymni, in catholicorum ecclesiis cantantur, pleraque cum alias, tum forma etiam et homœoteleutis versibus recentioris sunt poesis; in eodemque genere, ut multa inepta, sic egregia etiam reperiunt ingeniorum æqui æstimatores. Quo magis laudandus Silbertius, vulgata (Viennæ, 1820) piorum carminum, maximam partem latinorum, germanica versione, inscripto titulo *Dom Heiliger Sænger*, difficile sane interpretis munere, nec male functus, præsertim ubi versus non consonantes (sic liceat homœoteleutos adpellare) consonantibus reddidit. De qua re non alieno loco hoc animadvertimus. Nam consonantia illa quum mirifice augeatur numerorum vis, hinc fit, ut multa apud nostrates occurrant, quæ, cæterum inferiora, rhythmica utique suavitate aut æquent aut superent lyrica latina. Hæc igitur si reliquis dotibus non careant, facilius jam Horatii pulcherrimis paria, aut præferenda adeo invenias, quæ quidem ego in nullo nostratium citius, quam in Schillero, quærerem. Cur autem non huic potius, quam Klopstockio neolatinos opposuerim, ratio est tum consonantiæ usus in his hucusque non probatus, tum, quæ in multis Schilleri lyricis eminet a sæculi ejus, si ita dicere fas est, philosophia veniens excellentia, quam in memoratis neolatinis quærere ridiculum foret. Scilicet eos maxime comparandos duximus, qui et forma carminum et argumento minus discreparent.

83. Hucusque de Lyrica; æque gravis poesis neolatinæ pars elegiaca: quam si *theoreticus* quis homo lyrica comprehensam velit, nos, nihil contra luctantes, elegiaca hic intelligi distichis ad Græcorum et Romanorum exemplum composita volumus. In his palmam Ovidio dedit Morhofius; Gœtheus, melior sane pulchri judex, Propertii maluit cognominis honorem; ego, ut omnino in Ovidio, sic in ejus elegiacis multa laudans, multa carpens, Propertium, si totum spectes, Tibullo, in amore tamen hunc utrisque præfero. Neolatinos autem par erat ex omnibus juxta sermonis copiam, ideoque plurimam ex Ovidio petere; sed pro argumenti varietate alii alium magis expressere, in nullo fortasse carminum genere ad servilem imitationem æque proclives; de quo alibi dicta sufficiant. Cæterum primas deferri invenio a nonnullis Sabino, quem laudes, sane non indigno, a plurimis Lotichio, cujus multa ita sunt eximia, ut non dubitem ea celebratis Gœthei nostri elegiis, quas, quatuor tantum omissis, a me translatas hoc volumen continet, arte æquare, dictione autem et numeris anteponere, exceptis, si quæ sunt arte prorsus excipiendæ, longioribus duabus, *Alexis et Dora*, et *Euphrosyne*, tanto ingenio dignis; in cæteris enim paucæ, quæ Tibulli aut Propertii meliores superent. Verum hoc, ut multa hujus dissertationis, illis dictum sit, qui nonnisi de cognitis pronuntiant, nec præoccupati opinionibus, quominus rectum videant, impediuntur. Nempe non quæritur hic, quis, quantus ad Gœtheum Lotichius; unum quæritur, quid in elegiis hic neolatinus; ille patrio sermone effecerit. Lotichio par aut proximus, quamvis vicesimo quinto ætatis anno extinctus, Joannes Secundus, neque hic tam contendens, ut veteribus simillima, quam ut ipsa animi sensa eodem, quo illi, sermonis nitore, eadem numerorum suavitate, eadem vel arte vel simplicitate exprimat. Idem argumento varius, prorsus idoneus, quem magnis, ut omnino, sic elegiacis poetis conferas. In cæteris Heinsium utrumque mire felices laudat Morhofius; ego Nicolai elegias probatas mihi memini, quæ in Italiæ, in Romæ memorandis versantur, quarum argumento similes plurimæ sunt recentiorum, sive neolatinorum sive aliorum poetarum; quibus an, quove præstent latini, hic non inquirimus. Danielis autem Heinsii elegias exquisita latinitate, facilitate mirabili, sententiis etiam venustas, sed a servilis labe imitationis non omnes integras judicamus.

* Dictio ejus fere perspicua et facilis, sed sæpe argumento humilior, immistis etiam parum sinceris aut adeo vitiosis. Compositionis plerumque nulla ars, narrante poeta, non graphice describente. Sunt tamen et vivide et ingeniose dicta multa, rariora nervosa et gravia.

In Buchanani, quas paucas composuit, præstantior inscripta *Majæ Calendæ*; in Mureti non spernendis eminet inscripta *ad J. B. Amaltheum.* Douzæ elegias horridulas vocat Morhofius; mihi quædam non displicent, multa frigent a veteribus ita pendentia, ut veros animi adfectus desideres. Inter Meyeri, Belgæ, elegiaca sunt, quæ laude dignissima; in his carmen *de veterum poetarum laudibus, qui elegias scripserunt.* Simonis Simonidæ, Poloni, elegias viris doctis placuisse, scio; sed ipse nondum legi. Nec minus celebratis addendi sunt Molsa et, inter lyricos quoque, catulliano præsertim genere, probatus Ant. Flaminius. Nos de utroque in *réflexions sur l'usage du latin moderne*, etc. hic non repetenda.

84. In iis vero, qui, uti Meyerus quoque modo memoratus, ab amoribus prorsus abstinentes, in pio maxime argumento versati sunt, Hosschius et Wallius, Belgæ, omnem, Morhofio judice, elagiaci carminis laudem, meriti, latinissimi item et facillimi sunt nec elegiacis argutiis destituti. Et profecto in iis egregia, et magnis poetis haud indigna; at vereor, ut nostra ætate multos reperiant præter dictionem in ipsis quidquam laudaturos. Nocet enim his et nomen Jesuitæ et pietas. Æqualis illis Becanus ejusdem ordinis; cujus decem elegiæ de *Jesu pucro* memorato Silbertii libro insertæ. Eximiis dictione elegiacis, sed argumento sæpe imitationis vitio displicentibus addendus Broukhusius, haud vulgaris ingenii poeta, idem in aliis quoque generibus non spernendus, et supra inter lyricos laudatus. Nostro denique tempore, contemta vulgo neolatina poesi, non defuere tamen in elegiaco genere laudem quærentes, eamque vel ab invitis criticis interdum consecuti. In his Batavi Burmannus secundus, de Bosch, Hœuft, Santen, quorum omnium legi non mala, quædam in amatorio, plura in didactico genere, velut Burmanni *de enthusiasmo poetico* carmen, valde probanda. Ejusdem gentis Bosscha, junior in amatorio honeste, post in vario argumento versatus, interdum compositionis non vulgari arte, velut in venustissima elegia *de reditu veris*, laudandus; ea tamen potissimum amplexum crederes, in quibus, dictione perspicuus, nitidus, numeris suavis, simplicitate facilius quam arte placeret. * Sed satis de elegiaco genere.

85. Inter epigrammaticos autem neolatinos multis editionibus notissimus Audoenus, acumine, rarius facilitate probandus, sæpe etiam obscuritate offendens. In reliquis J.-C. Scaliger, natura mordacissimus, sed, si Morhofio credis, interdum hebetes figens aculeos. Nos, quod supra de illo universe, hic de epigrammatis dictum volumus. Hugonis Grotii in epigrammate elegantiam miratur Morhofius, quam certe nec in ejus *Anthologiæ Græcæ* nostra demum ætate vulgata versione desideres. Multis laudandus Douza in epigrammatum libris v, venustus idem græcorum ex anthologia interpres. Habent suavissima Hier. et J. B. Amalthei, habent non contemnenda Sannazarius, Joannes Secundus, Buchananus, Daniel Heinsius et Broukhusius; nec non Sarbievii multa sunt bona; divina tamen nolim cum Morhofio dicere. In multis nimiæ argutiæ, in nonnullis frigens vocabulorum lusus. Omitto, quos præterea legi, et quos ignotos mihi plurimos laudat Morhofius.

86. Jamque de linguæ latinæ ad scribendum usu, deque poesi et poetis neolatinis quid censeremus, proposito, initio disputationis hujusce declarato, satis, certe ea nos disseruisse arbitramur: quæ legens neutrum miretur, aut me operæ pretium duxisse, huic argumento relicti a consuetis officiis otii partem tribuere, aut ipsum ab industria non abstinuisse, quam nunc, a veterum rudibus litterarum irrisam, docti etiam plerique nec ipsi curant, et in aliis ut puerilem, aut, quum molliore verbo utuntur, ut superfluam industriam damnare solent; unde merito jam mireris, pæne probrosum videri id cœpisse, quo olim summi in litteris viri magnam multi sint gloriam adepti. Ego vero, quantumvis neglectos contemtosque, tamen nec magis nunc, quam olim, ridendos, et nonnullos, qui cum præstantibus recentiorum linguarum poetis hodie legantur, tum ingenio, tum aliis de causis dignissimos existimo; atque utinam meipsum, qui eorum aut sermonis artisque monumenta prædicarem, aut vestigiis insisterem, digniorem illi reperissent! Verum, utcunque tueri munus hoc potuerim, si quis idem eo, quo oporteret, quemque mihi sperare non licet, successu impleret, hunc ego non de neolatinis tantum poetis, sed de veterum quoque, atque, ut, quod res jubet, dicatur, de litteris omnino bene meritum arbitrarer; neque vero sapienti ideo ineptus jure videar, quod in litterarum genere, cui non parvam vitæ partem consecraverim, meum judicium, quam eorum, qui de illo rite cognoscendo numquam cogitarint, sequi maluerim. Sic adeo persuasum habens, ut cæteros neolatinæ poesis contemtores risoresque, ita eos patienter feram, qui illius studium sive philologiam nolint, sive catholicam, quam protestanticam, nempe veram, adpellare malint. Scilicet, si quid pulchre com-

---

* Idem *disputatione de male neglecto poesis latinæ studio* (Amstelod. 1817.) versus latinos facientes ideoque se ipsum tuetur, eandem nobiscum quæstionem, sed obiter tractans, neque vero cætera aut copiose aut, qua decebat, argumentorum gravitate persecutus; quod vel ideo notandum ducimus, quoniam in ineptum levis libelli in ephemeride litteraria laudatorem incidimus.

positum, libenter et lego et laudo; Tros Rutulusne fecerit, pueri quærant. Quanquam, si philologi sinceri, qui versus faciant, non adpellandi, Scaligeros, Hugonem Grotium, Heinsios, alia Batavorum, nec minus Germanorum celebrata nomina nunc demum a Luthero aut Calvino ad catholicos natura sua pseudophilologos transferamus. Sed, missis nugis, non, ut vere pureque philologicum, (quod quale sit, nunc pæne desperanda explicatio,) si quid scribimus, dicatur, sed, ne sanum hominem dedeceat, curandum putamus.

87. Sic igitur statuens, cupiensque ad neolatinos quasi a mortuis revocandos, simulque ad præclaros patriæ linguæ poetas exteris commendandos, quantulumcunque pro viribus conferre, viginti abhinc annis, initio facto a Schlegelis *Roma*, multa exinde complurium auctorum, in his Schilleri, Gœthei, Klopstockii, quin etiam De-Lamartinii, carmina, pleraque metro antiquo, nonnulla, in iisque Schilleri *campanam* aliaque, versibus homœoteleutis latine reddidi: quæ, alia aliis in libris a me ante vulgata, hocce volumine primum collecta, ineditis quoque aucta, continentur. Eadem vero, ut duplici, quem modo diximus, fini maxime idonea essent, pulcherrima simul et talia elegimus, in quibus, si vertenti res satis succederet, egregie cerneres, quid cum recentioribus comparata lingua latina, sive omnino sive in recentioris quodam poesis genere valeat, a quo alienior non temere possit existimari; eamque rationem sequentes, nonnulla adeo vertimus, quæ non tam aliæ dotes, quam lingua, quid latina possit, experienti commendaret. Illa enim comparatione, ut alias non semel diximus, nullum validius argumentum ad opinionem de poetis neolatinis confutandam censemus; quæ quam sit a vero remota, quam etiam in plerisque adversariis ridicula, in hacce dissertatione demonstrare, præcipue propositum habuimus. Enimvero aptius multo ad eam rem videbatur alieni carminis probanda translatione linguam latinam recentioribus non imparem, aut præstantem ostendere, quam vel ipsa cum recentioris linguæ poetis neolatinorum comparatione. Aliorum autem eximia carmina summo studio, ac difficillima sæpe opera reddens, quum poesis latinæ, quam semper amassem, hinc amantior etiam factus, simul elocutionis copiam, certe facilitatem augerem; quasi necesse fuit, crebrius jam mihi, quod ante raro, valdiusque placere, num quid ex meo quoque ingenio doctorum judicio non prorsus respuendum componere possem, tentare: quo postremum eo deveni, ut jam non interpretis modo, sed poetæ sua tractantis, partes agens, neolatinorum poetarum innumero olim gregi ea me tempestate adjungerem, qua litteratis vix non omnibus versus latinos pangere non sanius, quam in sylvam ligna ferre, judicatur. Cæterum, in meis quoque carminibus latinitatis potius laudem quam poetæ spectavi, quippe non ignorans, tam paucis ingenio et in rebus tractandis arte placere contigisse, ut puerilis vanitatis sit, in iis sibi locum paratum suspicari. Minus dissertationis hujus dictione neolatinos tueri laboravi, idonea potius ad rem argumenta adferens; nempe non id potissimum hic agebatur, ut ipse dicerer bene scribere; nec quidquam impedit, ne idem et male scripserim, et, neolatinos posse bene scribere, probabili ratione docuerim. Sed, in quacunque lingua, aliud bene, quod ingenii magis, quam curæ et diligentiæ, aliud pure sive recte scribere; quod ego quum hic quoque præstare cuperem, quæ mihi minus placebant, his ut meliora nunc substituerem, sedulam operam navavi. De cæteris, quæ vereor ne sint etiam nunc non pauca, eo sane possim venia dignior videri, quoniam, a vulgari auctorum consuetudine abhorrens, librum meum, ut solus composui, sic solus emendavi.

88. Sed de latinitate parum, magis sollicitus sum, ne quem mihi, sive bonis sive malis versibus inimicum reddam; atque eo impensius, experientia monente, de carminum meorum argumento sic declarandum puto. Est omnino, quo nulli mortalium caremus, sui amor pronus ad sinistra quæcunque ex aliorum dictis scriptisque in se torquenda: quod si cui sub ovis pelle lupo, si homini a capite ad calcem nequam placeat, levius ferendum; sin doctis, bonis, modestis, minime ventosis idem accidat, justior reprehensio, nisi quis se manifesto petitum intelligat. Nam bonus, quem suam personam aggressum fingit, necesse est, eumdem calumniatorem judicet. Atqui, talem vel suspicionem ne temere foveant, sapientibus viris vehementer cavendum: periculum enim, ne, dum se calumnia læsos clamant, ipsi calumniantis partes agant. Quæ reputans mecum, ne Ruhnkenii, in *Doctorem umbraticum* agmina doctorum concitantis, quasi pro se quoque, ut umbra tegeretur, nitente: ne igitur, homunculus præ tanti ingenii viro, hujus tamen simile quid sortis patiar, qui melius cavebo, quam in hæc jurando? Scilicet in carminibus satyrici argumenti, ubi non aut res aut nomina aperte, ad quem singula trahenda sint, indicant, non magis Petri alicujus, ut ajunt, quam Pauli, aut Rinaldi, aut cujuscunque demum viventis sive viri sive adolescentis imaginem propriam adumbravimus, neque ad quenquam referri quidquam, quasi proprium ei, volumus, neque

ficto quenquam nomine, sed in omnibus res, nusquam personam persequi. Cur autem doctos fere et docentes rideam, duplex ratio est; memet enim, et mei ordinis mores, par est, me melius, quam aliorum, nosse; et ventosis, ne cætera hic attingam, hominibus, quorum inter litteratos longe uberrima seges, ita sum natura infensissimus, ut vitæ citius amorem, quam eos exagitandi cupiditatem exuerem. Sic confitenti si quis nihilominus inimicus fuerit, Phædro suadente, jam suam ipse vanitatem moresque aut nimis suspicacem animum, meos quidem versus non magis incuset, quam alios quoscunque, ubi quid ad se pertinere reputaverit. Hoc viris. Pueris autem sive ætate sive more propiores satius nihil monere; cum his enim altercanti oleum et opera perduntur.

FINIS.

UTRAMQUE AMANTIBUS MUSAM.

ARMIPOTENS OLIM CECIDIT MAVORTIA ROMA;
LINGUA SED ÆTERNIS FLORET IN INGENIIS:

QUA, PULCHRUM, DOCTOS MUNDUM PER FUNDERE, SERIS
INCLYTA QUÆ POPULIS MUNERA MUSA TULIT;

SEU VETERUM REFERAT VATUM SENSUSQUE MODOSQUE,
SIVE NOVIS MOVEAT PECTORA CHRISTICOLUM.

J. D. FUSS CARMINUM

PARS I,

DISTICHIS COMPOSITA,

PLERAQUE ARGUMENTO QUOQUE ELEGIACA, CONTINENS.

ROMA.

(*Guil. a Schlegel Rom. Ad Ann. Lod. Germ. Baronessam a Staël-Holstein.*)

ARGUMENTUM.

Poeta ad Cestii pyramidem, inter tumulos, ipso adeo invitante loco, urbis æternæ fata animo volvens, diversas historiæ Romanæ ætates, præcipua in singulis momenta exhibendo, adumbrat v. 3—258. Igitur, præmissis nonnullis cum de antiquissimo terræ, ubi Roma condita, statu, tum de gentis Romanæ origine, primam ætatem, quam possis dimicantis Romæ adpellare, exponit ad v. 65. Sequitur secunda, sive victricis Romæ ætas, cujus binis quodammodo partibus constitutis, priorem, integris etiam tunc civitatis moribus, paucissimis indicare contentus poeta, in posteriori degenerem ab avorum virtute et in semet sævientem gentium dominam graviter vividisque coloribus expressam repræsentat ad v. 121. Tum tertiam ætatem, quæ est servientis ruentisque Romæ, ipsasque ruinas non minori spiritu persecutus ad v. 219, deinceps præsentem recentioris Romæ conditionem, nulla pristinæ virtutis spe relicta, deplorat ad v. 258. Denique in extrema pulcherrimi carminis parte ad eam, quam initio alloquitur, illustrissimam feminam oratione conversa, hujus excelsas dotes ingeniumque mirans, simul patrem ejus, inclytæ memoriæ virum, merita laude extollit.

Pleno Parthenopes ducebas ubere vitam:
  In tumulo mundi nunc quoque disce mori.
Læta quidem Latii ridente sub æthere terra:
  Candida cærulei funditur ora poli,
Septenis qua Roma suum de collibus æquor,
  Qua spectat pontum, quaque Sabina juga;
Tristis at incedit perculsa mente viator,
  Per confusa morans rudera sæpe gradum.
Hic vetus, hic primi sonat irrevocabilis ævi
  Echo, cui faciunt conscia saxa fidem.
Rebus vix ortis, profugus Saturnus Olympo
  Aureus hic felix condidit imperium.
Post te, Jane bifrons, cepit trans Thybrida sedes,
  Multa tuum collis sæcula nomen habens.
Inde lares transfert heros Evander eodem,
  Arcadius pastor; stramineamque casam
Alcides Pallantei subit hospes, Iberis
  A terris rediens: vindice latro cadit
Ignivomus clava, vicini terror, in antro.
  Cyclopum veluti sic loca vasta jacent.
Tandem vela Phrygum subeunt, quæ Thybris ab ore
  Introrsum pronis molle recepit aquis,
Nempe tuos norat vectantem, Troja, penates,
  Et mundi fœtas imperio cineres.
Sed Lavina prius, post Albæ mœnia surgunt:
  Nam Romæ nondum nomen in orbe fuit.
Tarda subit lucem soboles, tentataque multa
  Sunt fatis: majus sæcla tulere nihil.
Martem flamma prius domitet, pariatque sacerdos,
  Fas est, et mitis sit lupa dira parens,
Quam possit sulcos circum Pallatia, fines
  Urbis Romuleæ, vomer arare sacros.
Sed velut in cunis heros eliserat angues,
  Infans et tenuis grandia fata probat;
Quasque Jovis dextra bis senas, Romule, cernis,
  Olim alas tendent, qua patet orbis, aves.
Nec fera vis placuit: mortem quæ spernere fortis,
  More simul vitam legeque Roma tegit.
Prædonum socius qui pandis asyla Lupercal,
  Constituis patres, ipse Quirine pater.
Tum solers, arcana docet quem nympha sodalem,
  Cuncta sacræ lustrat relligionis ope.
Ac casa dum civi satis est, jam cura nepotum
  Fervida moliri publica multa monet.
Saxis in quadrum Tuscam sectis ad amussim,
  (Nam calx consertum nulla ligabat opus,)
Attollunt muros, cameras tellure recondunt;
  Cincta Jovis rupes molibus alta riget.
Plurima regna jacent; durant quæ cœperat Ancus
  Mœnia, quæ jussis structa, Superbe, tuis.
Mox animi venere Decî, Brutique secures.
  A stiva veniunt sæpe focove duces;

Qui servant cives, hostem delentve domantve,
Et tacito repetunt tecta bovesque gradu.
Firma viget sudore ætas, tum fronte nitescant
Rugæ sub niveis ut diadema comis.
Hinc et amavit eos hominum sator et mundi rex;
Dignior effigies nec fuit ulla Jovis.
Sæpius adflictis virus infracta manebat;
Namque sacer timidos non sinit esse pudor;
Attolluntque vices animos: occumbere cunctis
Simplex et sanctum rustica corda vocant.
Grajorum sophiam, virtus cui dicta voluptas,
Horret, vasta jocus cui fera, Fabricius.
Casta, vigil morem, servato, Roma! Feroces
Tempora post Vejos jam graviora manent.
Mox unum pandent longum tua facta triumphum;
Nec facile est oculis regna subacta sequi.
Gloria parta tibi; Pœnus tibi colligit aurum;
Ebrius eoo vincit ut orbe deus.
Gentibus arbitrium data tu, formidoque regum,
Justa si cures sceptra tenere manu,
Æternum Jove fors teneas moderamen ab æquo;
Sed Fortuna tui crimen amoris habet.
Non Samnis Brennusve domat, non Hannibal ipse:
Soli Roma tibi, sic tua fata, cadis.
Intrepidus ferro voltus avertat ab auro:
Splendet, at insidias, quas basiliscus, alit.
Desuetus caruisse, pave, ne copia lædat!
Parendum cunctis, ni dominere tibi.
Insatiata cupido furit; mala comparat artis
Immensum pretium quæ probra pontus agit.
Publica res venit, tibi, Crasse, luto Pactoli;
Fastus regna, cibum plebs cupit et caveas.
Nomine sunt Scauri, Fabii; sed imago parentum
Vestibulo erubuit; degener inque dies
Stirps profert infecta genus. Prudentia vana!
Quæ male tabificas mole coercet aquas.
Torrens cuncta rapit: periit jus fraude; libido
Fit fera libertas, larvaque relligio.
Quæ mores animis casti sculpsere parentum,
Vanescunt, scriptæ sint licet ære notæ.
Roma, tuæ virtus si libertasque ruere,
Humani generis quid stet in orbe diu!
Sic quoque magna cadis: civili sæva cruore
Dum tua tela madent, indomiti stupuit
Horrescens tellus pectus sublime Catonis:
Servitii probrum libera fata cavent.
Servat relliquias has virtus naufraga: nusquam
Zeno formavit robora tanta virum.
Usque ingens se vis virtutis prodere tentat,
Immodicum patrans, prodigiosa petens.
Mirari desueta ætas hiat ista stupendis:
Majestas Romæ, pectore pulsa, fugit
In fora nunc arcusque, theatra, peristyla, circos,
Quodcunque ars Grajum nobile ponit opus.
Stant tecto lapides miracula perque columnas;
Capta vehunt altæ vivida signa rates.
Nempe quod ornabat populos urbs colligit una:
Quæ manibus finxit gratia Graja suis;

Quæ gravis Aegypti mens mystica: cæsa Syene,
Sphinx cum basalte ad templa leone cubat;
Quemque eadem procul Aethiopum de rupe Sesostri
Miserat urbs, Solis nunc obeliscus arat,
Cum Nilo mutans Tiberim, freta; jamque salutat
Externi radiis æmulus astra poli.
Arcanas hodie frustra fert ille figuras;
Nosse tamen cui fas, hunc docuisse potest,
Mutantes annos, humanæ exordia mentis,
Clara ut regna ruant, ipseque nil sit homo.
Tollit at immensum nihil hoc vesana libido:
Ausa tyrannorum fine modoque carent.
Ad sua plaudentem qui Romam flagra domabant.
Nullum horrere nefas dira cupido sinit.
Quæ tulit ira deum, fumant altaria monstris:
Calcandum numen cæde repente jacet.
Plebs infanda quidem sua sævum in corda tyranni
Mucronem exacuit moribus ipsa suis.
Sæpe dies mensemque terens sedet amphitheatro:
Densa tenet junctos nubibus, ecce, gradus!
Quos supra fluitat fragrantis purpura veli;
Phœbi ne lædat mollia membra jubar.
At subter furor et gemitus; avidosque cruore
Plaudentum voltus mors fremebunda beat.
Indignans scena pugnat leo: vilior actor
Est illo servi servus ab ense cadens.
Deficiunt Libyæ deserta arentia fœtus:
Lynx et hyæna, tigris; turriger ipse gemit,
Proditus, et lacerum corpus miserabile torquet
Olim qui Romæ sævus in arma ruit.
Lusus atrox! sese nescit sub imagine turba:
Non Libertatem jam sociosve tegunt,
Nec tumulos patrum, sed nutu gesta tyranni
In circi turpes bella abiere jocos.
Ut quondam ludi pugiles, certante magistro,
Oppositi, legio sic legione perit.
Imperium frustra vendunt prætoria probra;
Permutant emto sanguine servitium.
Illi, sub vastis olim queis finibus orbis
Barbaricas gentes laus domuisse fuit,
Montanis ut aprum venator suscitat antris,
Nunc vallo timidum pectus ab hoste tegunt.
Et quam Parthus equis mittit geminantibus alas,
Dissipat in veram sæpe sagitta fugam.
Ast, stimulante fame, thos noto lætus odore
Noctem ululat, signum qua dat arena, sequens.
Hercynias quem sæpe lacessivere per umbras,
(Ingenti cornu nec doluere semel,)
Tandem cuncta ruens per retia prodiit urus,
Et regnis hostem jam petit ipse suis:
Non circi par ille feris, facilisque triumpho,
Ut patrii saltus asper ad arma vocat.
Jamque novi supra volvuntur Teutones Alpem:
Heu, ubi nunc Marius! Agmine, Vare, tuum
Extremo spectrum pallens ad tesqua Cheruscum
Nutat, Romuleis exitiosa minis.
Roma cadat; superum sic stant decreta deorum:

Judicium peragens Teutonus ensis adest.
Expugnare procul dedignans attila terret :
Teutones huic socii; Roma tributa tulit.
Wandalicæ at Tibri veniunt Carthagine classes :
Volventi tantas sors dedit orbe vices.
Scipio quæ, Tyrias olim quum verteret arces,
Dum flammæ horrendum nocte ruina fremit,
Et rubras fertur clamor gemitusque sub auras,
Præsagus cecinit carmine Mæonidæ :
Olim lux veniet, qua Pergama sacra peribunt,
Insignisque hasta cum populo Priamus :
Jam fiunt. Mundi, heu! squallens regina stupensque
Rudera vix timidum fert super atra caput.
Roma comes similisque hastam clypeumque Minervæ,
More levi zona præpes Amazonio,
Jussa Jovis quondam cristata casside vibrans,
Luget, sola super fracta tropæa sedens.
Vix tandem, quum vasta jacent spoliataque cuncta,
Horrendas noctes excipit orba quies.
Semirutis taciturna jugis ciet illa querelas,
Gramine quæ Tellus busta decente tegit.
Nunc placida extremæ labantur pace ruinæ :
Ad tectum vergunt pila trabesque suum.
Huc quondam surgens flexit Via Sacra : Capena
Victores porta quot tulit illa duces,
Agmina, per turbamque trahentes vincula reges,
Ad fremitus niveo sæpe pavente jugo;
Dum Capitolini sacros victoriæ honores
Ex voto condant aurea tecta Jovis!
Nunc deserta via est, merces ubi rure ferendo
Ductorem pascit languida mula suum.
En ibi quæ cunctis fecere Palacia nomen,
Uno sub domino, qua unius aucta domus
Romulea veteres Roma jubet ire penates;
Luxum, insane Nero, nec capit illa tuum!
Nunc hederæ pallent circum fulgentia quondam,
Et supra frutices, vitis olusque tegunt.
Nunc frondatoris proles per balnea ludit;
Fornice cultoris rustica tela jacent.
Carpite, plena deo clamat Cumæa Sibylla,
Dardanio pandens inclyta fata duci,
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet : hic magnæ jam locus urbis erit.
Jam licet, en, iterum : semper volventibus annis,
Primævam faciem sæcula rettulerunt.
Per depressa illic Velabra calente quiescunt
Sole greges, ipso bos boat inque Foro.
En, sub Aventini pendente ut rupe virentes
Nil colles Caci pascere ad antra timent!
Geryonis dicas pecudes : hac corpora mole
Instar et hastarum cornua celsa ferunt.
Quo magis humanum pudeat genus. Hine Quirites?
Nec pali; frænum nec tenuisse memor,
Se velut illudat, miseræ commercia vitæ
Per Campum trepidans pallida turba facit;
Quo res cunque cadat, patiens spectare futurum;
Mendici prisci temporis atque sui.
Virginei recreet ni fontis Agrippa liquore,
Arcubus aerias per properante vias;
Urat tabentes sitientum Sirius artus,
Aut, ulvis circum quæ tepet unda, petant.
Fragmentis renovata nitent si templa vetustis;
Urna sepulchralis si stupet ara coli;
Marmore si viridi dederunt Pœnoque columnas;
Quid juvat? Augustum dent quoque pectus avi.
Sic Apennino quondam stetit arida quercus,
Bacchica quam stringens frons sociata, suo
Velavit frustra ramos mentita decore :
Non radicis alit vis reparata caput.
Sic donis natura libens hic ludit amœnis;
Sed cor iners refugit fortia facta patrum.
Ausa tamen priscis contendere plastica sæclis,
Condita Grajorum quum charis illa diu
Surrexit noctis gremio : mens ardua finxit,
Illis ne tellus fertilis una foret.
Finxit amans Raphael, Bonarotti prophetica volvens;
Intulit æthereis Pantheon ille plagis.
Læta sed hæc pariter lux est extincta : fuisse,
Heu, præter, magnum quid tibi, Roma, manet?
Ac, veluti nil speret, hians elabitur ætas,
Ceu tortis asinum funibus Ocnus alit.
Principii deus hic mutilus stat Claviger ipse :
Horrida caligo prospiciente sedet
Ore, juventutis quæ spem delevit; at alti
Aversam frontem ruga doloris arat.
Quæ dabit augurium volucris? torpore sepultis
Quæ nunc Romulidis fata Sibylla canet?
Num senio mundi labat inter somnia nostra
Lethes horriferis machina mersa vadis?
Æterna non urbe locus sit dignior, æqua
Si rerum finem cernere mente velis.
Sic prope pyramidem, Cestî monumenta, canebam,
Dum latuit sensim busta per umbra natans.
Arva super pallam stravere crepuscula : circum
Tristia volventem funditur alta quies.
Tantum atræ longe mœstum gemuere cupressi,
Et mœstum pinus visa movere caput.
Non fremitus usquam; vitæ siluere tumultus;
Naturæ venam vix micuisse putes.
Ac pæne horrebam, vivorum sede relicta,
Umbrarum vanos per loca ferre gradus.
Fax mœroris amica cadens regina diei!
Quum alma luce simul forma colorque perit.
Pallida cuncta silent, vitæ fugientis imago :
Non terræ gremium spes super ulla levat.
Ac veluti vitam, nondum radiantibus astris,
Inter mortalis perpetuamque mora est;
Sacra sed ut mœstum fulgens Nox spectat ab æthra,
Trans tumulum lætas mens videt alta vices.

Tale mihi, generosa comes, tua lumina quondam
Vibrabant lætum, sidera bina, jubar.
Candor inest illis; dii micat æstus amoris
Ipsis in lacrymis, quem videt itque dolor.
Nunquam desperet, dextram cui tendis amicam;
Insultet cordis turba profana fidem.
Alto animo teneroque bonum pulchrumque colentem,
Ut te majestas, sic decet alma charis;
Illecebrisque tuum perfundens mille poetam,
Quæ gentes cohibent, transvolat ingenium.
Ergo avido divina reponam pectore dicta,
Quum fluit a labris ipsa Suada tuis.
Excelsos veteris nostri referemus et ævi,
Et sua quos virtus abstulit ipsa viros.
Ac pura in patriam subeat quum mente flagrantum
Quis sapiens, teneri dulcis imago patris,
Erranti, ingrato lenis, sibi durior uni;
Cui velut humanum credita cura genus:
Sit sanctum meminisse viri, mihi nosse negatum
Quem fuit; ah! fletu quem gemis usque novo.

DULCIS, SANCTA, TUO, NATURA, IN TRAMITE TENDAM.

Naturæ multi laudarunt gaudia, dignis
Divinam pauci sed cecinere modis.
Qui laudas, quam pulchra, prius, mirandaque, disce,
Quam dulcis, variis quam sit amanda bonis.
Sic digne prisci, digne cecinere recentes,
Quos musæ decorant ingeniumque viros.
Namque eadem natura homini fuit omnibus ævis,
Solis uti lumen sidereusque polus;
Usque omnes æquo sibi natos fovit amore,
Inque omnes teneræ corda parentis habet;
Usque eadem, servatque manu redditque fideli,
Infans crediderat quæ juvenisque, viro.
Hanc misero quondam vitæ lassata tumultu,
Aut repetit falsis lusa senecta bonis;
Fascibus hanc positis repetebant ruris amantes,
Victrici sceptrum qui tenuere manu:
Quales Romulidum memoravit fama, coronæ
Qualis das nato, Carole, lassus onus.
Ah, mihi sint regum titulis potioraque gazis,
Quæ natura oculis subjicis alma meis!
Hic cœlo surgunt rupes, molesque minantur,
Et cava perpetuis roribus antra madent;
Illic nunc vasto scopulos ferit unda fragore,
Sub placidis auris nunc freta plana silent.
Parte alia impendet sylvis excelsa coruscis,
Parte alia vallis scena reducta patet.
Illic labuntur latis vaga flumina ripis,
Hic inter rupes gurgite pressa fremunt.
Hic rivus tacite sinuosus prata pererrat,
Præcipites illic murmure volvit aquas.
Parte alia nullis funduntur finibus arva,
Arbor ubi et gramen luxuriatque seges.
Scilicet, innumeris dives natura figuris,
Mille modis varias, mille placesque modis.
Ipsis frigoribus, quum jam requiescit arator,
Agrestes socio dum tenet igne focus;
Quum nudis hærens ramis nix cana nitescit,
Perque jacet campos, spem Cererisque fovet;
Quum nemus omne riget, glacies quum flumina durat;
Formosam speciem quis neget esse tuam?
Sed lepidum brumas mox ver excepit inertes:
Jam mutata novo gramine terra viret;
Jam sepi redeunt frondes, redeuntque salicto,
Jam quercus teneras explicat alta comas.
En, Zephyri mollis flatu, mortalibus alma
Fœcundo tellus dat sua dona sinu.
En, tumidas florum ruperunt germina gemmas,
Germina conjugiis poma datura suis.
Jam vario rident viridantia prata colore,
Et pecori gratos præbuit herba toros;
Ac prope gelsimino clymenus fragratque ligustrum,
Fragrant purpureis lilia mista rosis.
Ecce, hominum tectis nidum suspendit hirundo;
Ecce, amat, et teneros dat philomela sonos;
Et læto ingeminat strepitu genus omne volucrum
Per vastos campos frondiferumque nemus.
Jamque æstas venit: fruges crevere, gravata
Flavescens granis nutat arista suis.
Atque æstus crevere simul: ferit æthere ab alto
Sol, longo tepidos orbe trahitque dies.
Arenti sudat lassatus messor in arvo,
Vixque trahens durum taurus anhelat onus.
At spissis sylvæ defendunt frondibus ignem,
Defendit pecudum vallis opaca gregem;
Textaque dant ramis vites umbracula; molles
Consociant tiliæ, tegmina grata, comas.
Nec rivi deest quæ pubentes irriget herbas,
Nec gelidi fontis quæ levet unda sitim.
Rupta sed immenso descendunt nubila nimbo,
Fulmina nigrantes per micuere polos,
Horrida concussos percurrunt murmura: magno
Gens humana silet contremuitque deo.
At gremio tellus suscepit dona tepente,
Et recreata novo læta decore viget.
Tempestas camposque rigat minuitque calores,
Et minuit prono mitior aura die.
O placidæ noctes leni sub lumine lunæ,
Blanda quies late rura nemusque tegens!
Non ego naturæ quid dicam pulchrius esse,
Non, animo quidquam dulcius esse meo.
Ecce, auctumnus adest: jam condunt horrea fruges;
Jam curvant ramos mitia poma suos;
Purpureo turget jam mollior uva colore;
Sub sole agricolis ingeminatque labor:
Gaudentes carpunt communis munera matris,

Et, sterilis, servant, quo toleretur hiems :
Festaque per pagos celebrant genialia : jamque
Frigidior nox est, it breviorque dies.
In brumam vergente anno rediere pruinæ,
Et foliis arbor stat viduata suis :
Vergentis species vitæ, gelidæque senectæ :
Jam Boreæ tellus flatibus horret iners.
Sic varians annus, varians quoque grata diei
Est facies ; croceo mane colore redit,
Et suavi sylvas pingit montesque nitore,
Sparsaque gemmanti gramina rore vigent.
Liquit humum, lætoque vibrans melos ore, renatam,
Aere se librans, cantat alauda diem.
At duro gnavus strato se tollit arator,
Et dociles veniunt sub juga panda boves.
Lenior adscendit, medio sol orbe calorem
Duplicat : erranti quæritur umbra gregi ;
Lassaque, ferventes excludens sepibus ictus,
Accubat ad viles rustica turba dapes.
Sol ruit, et seros obliquus temperat ignes,
Et roseo mitis lumine vesper adest.
Flammea tum rutilant per noctes signa silentes,
Et fulget certas luna novatque vices.
Scilicet, æternis juvenis natura figuris,
Legibus æternum stat variata suis.
Nil adeo par est humana mente repertum :
Misceat ac ludat, fertilis ipsa licet,
Illius ars mirans formas, simulansque leporem,
Par tamen ingenium ponere nescit opus.
Fingere namque ejus solers simulacra laborat,
Quoque minus differt, ars magis ipsa placet,
Mentis et arcanæ divinæque æmula normæ,
Vult, sua naturæ sint quasi facta manu :
Sic rivos, colles, cum rupibus antraque fingit,
Sic fontesque suum disposuitque nemus.
Quid vanum tentasse juvat ? Nempe altior arte
Est natura suis prodiga deliciis ;
Grandior est species, sua quum miracula pandit,
Dulcius ad scenas cor movet alma suas.
Æterno quare illius castoque decore
Nil excelsa vident pulchrius ingenia ;
Sensus qua penitus, penitus qua pectora mulcet,
Hanc magnam in sancta simplicitate colunt.
Scilicet ante omnes vatum, quos musa sacravit,
Naturam sequitur concelebratque chorus.
Suavibus ipsa etenim gaudet sociata Camœnis
Divitias omnes explicuisse suas.
Illa animum æterni vastum percussit Homeri ;
Quæ canit heroas, hanc decet illa lyram.
Nec minus ausonias adflavit numine musas :
Illa sonis spirat, dic poeta, tuis,
Qui rerum causas ortumque obitumque canebas,
Et nullos hominum rebus inesse deos.
Illa etiam magni formaverat ora Maronis,
Ut voces numeros exprimeretque suos :
Seu, vento freta quum subito surgente tumescunt,
Ex alto celeres littora tuta petunt,
Clamoremque ferunt mergi, stagnisque relictis
Ardea se campis intulit æthereis ;
Sive grues imis fugiunt sub vallibus imbres,
Atque avida humorem bucula nare trahit,
Dum pluviam cornixque vocat, pelagique volucres
Certantes largo colla liquore lavant ;
Strix mala seu cantus iterat redeunte sereno,
Et repetens nidum gutture corvus ovat.
Nec minor ingenio, dulci Maro nec minor ore,
Natura ut moveat rustica corda, canit,
Queis virides campique placent sylvæque silentes,
Pascentes curæ queis amor inter oves :
Quum sacros pastor prope fontes frigora captat,
Cui placido somnos murmure suadet apis,
Aut querulis misero resonant arbusta cicadis,
Aut legit ardori florea serta suo.
En, strepitum Romæ Flaccus molemque reliquit,
Tædia qua Thuscus pellere nescit eques.
Nempe tuos quærit, vates, natura, recessus,
Cum lautis mensis deseruitque Chloen ;
Tiburnique vagus colles miratur et umbras,
Et sacra Albuneæ quæ sonat unda domo ;
Humida miratur trepidis pomaria rivis,
Et quæ de saxis lympha anienа ruit.
Ecce, mari lassusque viis, di blanda senectæ
Dent, orat, sedem Tiburis arva meæ !
Quid memorem, mundi quos musa recentis amavit ?
Naturæ cunctis nonne flagrabat amor ?
Quid, tempestates anni quam mente profunda
Thomsonus, aut, terræ qua Vanierus opes,
Qua normam, mores, operam complexus agrestum ;
Quid memorem versus, culte De Lille, tuos,
Qui ruris, suavi pingens vivoque colore,
Deliciasque doces, deliciisque frui ?
Quid tenerum dicam divina mente Petrarcam,
Quique pias acies Erminiamque canit ;
Aut magicis, Arioste, tuis natura figuris
Ut mille, ut miris ludat imaginibus ?
Quo patriæ me musa meæ, quo pectus amore,
Defixum in magnis quo rapis ingeniis ?
Non ego, sublimes animæ, miracula tentem
Vestra per exiguos attenuare modos.
Non ego naturæ referam te, Schillere, in ulnis,
Et quos amplexus mutua flamma dedit ;
Non mihi fas sævæ fugientem ab imagine vitæ
Naturæ in gremium voce referre mea.
Felix, quem musas, naturæ gaudia, felix,
Pectore quem puro jussit amare deus !
Veris ille bonis fruitur, fugisse potentum
Limina quæ nimias divitiasque solent.
Illa dedit lasso requiem, solatia mœsto,
Et leni sanat vulnera quæque manu ;
Illa animi mala castigat tenebrasque serenat :
Illa odium et miseram sopiit invidiam ;
Et tumidos domuit fastus, atque unius omnes

Cum parvis magnos nos monet esse patris.
Nec satiem metuunt naturæ gaudia, qualis
Sceptra gravis suevit luxuriamque sequi;
Nec, quæ delicias vulgi comitantur ovantis
Tædia, quæ circos, quæque theatra tenent;
Nec miseros, norunt, quæ cura perurit amantes,
Nec norunt, languet qua mala tabe Venus.
Scilicet innocua est, quam dat natura, voluptas
Mitisque, et placidæ simplicitatis amans:
Qualis primorum fuit incorrupta parentum,
Serpentis capti dum cecidere dolo:
Edenis quare propior felicibus hortis,
Quo magis illius gaudia quærit homo.
Illa docet, pulchra quo tendat origine lapsus;
Illa creatorem monstrat adesse deum;
Illa opibus nimium studiisque incumbere vulgi,
Et nimis in terris alta petisse vetat.
Ah, dulcis quum sis, quum sis, natura, beata,
Deliciæ multis cur periere tuæ?
Qui potis exculta quisquam te spernere mente;
Qui torpere tuas pectus ad illecebras?
Cur quenquam nec prata movent, nec murmure rivi,
Nec sata, nec montes umbriferumque nemus?
Chartarum, ecce, petunt lusum, fumumque tabernæ,
Sermone aut tristi tædia lenta trahunt:
Usque adeo adspectum naturæ odisse videntur.
Vano, quid, fastu queis simulare placet,
Quæ nunquam miseri noverunt, gaudia amare?
Raros qui flores, gramina rara colunt,
Vel fonte, umbrosis aut ornant collibus hortos,
Muscosisve toris, stramineave casa;
Scilicet ut propria dominus sub nauseet ulmo,
Ut vacuus musco langueat ipse suo.
Sic libros quondam, numosve, leguntve metalla,
Diptera vel capsis, stamina dantve rosæ;
Quippe juvat lapidem aut raram monstrare locustam,
Ut vestem, ut gemmas magnificasque domos.
Hæc placeant aliis; mihi tu, natura, supremos,
Ut puero fueras, sis ad amata dies!
Pergere, sancta, tuo da tramite, dux sit, alumno
Ut dulcis nutrix, sic mihi dextra tua.
Ad tua cœlestis lasso mihi corda voluptas
Ceu teneræ spiret matris ab uberibus.
Tu luctus solata, meis tu conscia curis,
Et fueras lacrymis conscia, cara, meis.
Tu nullis mihi non ridebas dulcis in oris;
Ah, reducem gremio me mea terra tuo,
Me videat, pulchræ quondam ut sub flore juventæ,
Utque puer colui, te coluisse senem!

AMBULATIO.

(*Schilleri der Spaziergang.*)

O salve mihi mons radianti vertice, salve
Sol, placido cujus suave nitore rubet!
Et vos, spirantes campi, tiliæque susurræ,
Et tremula lætum fronde saluto chorum!
Teque, immensa, jugum placide, plaga cærula, circum
Quæ nigrum, viridans fusa superque nemus,
Me quoque, nunc tandem sermonis tædia tristis,
Arctaque gaudentem linquere claustra domus,
Nectareo irrorans aurarum flumine mulces,
Et viva pascens lumina luce juvas!
Luxuriant nitidis variata coloribus arva,
Ipsaque certantes gratia composuit.
En viridi late strato mihi prata patescunt,
Blanda per agrestum gramina serpit iter.
Fervet apis circum stridens, dubiis tremit alis
Florentem libans papilio cythisum.
Urit me solis telum; zephyri siluere;
Sola melos puro vibrat alauda polo.
Ecce autem, prope sylva fremit, nutatque cacumen
Alnorum, candens flatibus herba natat.
Ambrosiam subeo noctem, mihi frigus odorum
Sublimi tecto fagus opaca dedit.
Arcano nemoris regio subducta recessit,
Et flexo scandens tramite figo pedem.
Furtim parca modo, cœli qua cærula rident,
Lux per ramorum frondea texta micat.
Rumpitur at subito tegmen, solisque coruscum
Miranti reddit sylva reclusa jubar.
Effugiunt acies circum longinqua tuentis,
Et nebulis mundi livet ad ima jugum.
Præcipitis sub me montis radice sub alta
Cæruleas pellit vitreus amnis aquas.
Immensus supraque æther, immensus et infra:
Suspicio titubans, horreo despiciens.
Ast inter vastumque altum vastumque profundum
Errantem tuto fert via septa gradu.
Ditia me præter ridentia littora tendunt,
Jactat se lætus valle nitente labor.
Agricolis en ducta soli discrimina, sulcos,
Strata per agrorum quos arat alma Ceres.
Legis amica, dei mortalem signa tuentis,
Aerea quum fugiens sæcla reliquit amor!
Liberiore sinu dimensa per arva nitescit,
Nunc sylvis latitans, nunc juga nixa super
Fascia, terrarum via quæ commercia nectit.
Labuntur placide per vada plana rates.
Tinnitu ingeminant vivos armenta per agros,
Echo pastoris sola refertque melos.
Hic flumen læti cingunt, hic sylva recondit
Pagos, præcipites hic male saxa tenent.

Cum fundis homines etiam junguntur amice,
Circumdantque suos rura quieta lares.
Exiguæ gaudet vitis sociata fenestræ,
Et fovet amplectens arboris umbra casam.
Libertatis adhuc felix gens inscia! legem
Læta colis, campos quæ regit arcta tuos.
Tranquillis pendent messis vicibus tua vota;
Æquali gyro vita laborque meant.
At subito dulcem mihi quis speciem rapit? Ecce
Discordans facies ut nova rura tenet!
Quæ malo vix miscebat amor, nunc aspera distant,
Junctaque lætantur cum pare quæque suo.
Distincti cives! Procerum se jectat imago
Fastus, Populeum, pompa superba, genus.
Omnia lex ratioque regunt, est vis sua cunctis;
Regnantem monstrat turba ministra mihi,
Regales monstrantque tholi lateque micantes;
Turrigeras, rupis viscera, cerno domos.
Sylvestres Fauni procul in deserta repulsi,
Celsius at numen dat lapidi pietas.
Ac homini stat homo propior, vehementius instans
Vita agitat, celeres per rapiturque vices;
Ecce, inflammato fervent certamine vires;
Grandia discordes, fœdere summa parant.
Mille ciet mens una manus, unum micat uno,
Cor quatit impulsu pectora mille flagrans.
Pro patria pulsat, pro moribus ardet avorum;
Hic caro recubant, ossa verenda, solo.
De cœlo superi descendunt, festaque tecta
Sacratis capiunt turba beata locis.
Cum donis adsunt almis: fert munus aratri
Prima Ceres, dentem navis Atlantiades;
Fert uvam Bacchus, frondem fert Pallas olivæ;
Belligerum pelagi rex quoque ducit equum.
Hospita, frænatos agitans turrita leones,
Invehitur civis mœnia magna parens.
Humanæ o sancti lapides cunabula gentis!
Ars unde et mores sparsa per alta vigent.
Jura dabant socias sapientes has prope portas,
Hic ruit heroum pro lare sæva manus.
In muris matres, pendentibus ubere natis,
Spectabant, acies qua potuere, viros.
Tum pronæ ante aras divum jacuere, precantes,
Ut reditum, victo dent ut ab hoste decus.
Palma decusque datum; redit at laus sola; dat altæ
Virtutis pretium corda columna movens:
» Sis memor o Spartæ, nos hic jacuisse; viator,
Et patriæ leges nos coluisse refer. »
Blanda quies vobis! Caro frondescit oliva,
Et pretiosa viret tincta cruore seges.
Libera, læta bonis propriis commercia fervent;
Annuit ex ulva cærulus ore deus.
In robur dryas ingemuit stridente bipenni,
De celsoque tonat vertice montis onus.
Rupe cava saxum se librat vectibus alis,
De styge fert fossor sub juga mersus opes.

Adducta sonat in numerum tude Lemnias incus,
Scintillis duro verbere massa vibrat.
Aurea saltantes devolvunt stamina fusi;
Texens per telæ fila gemit radius.
Longe nauta vocat; classis statione tenetur,
Externis patrio parta labore vehens.
Hic hilares subeunt peregrini munere cœli,
Et supra fluitat festa corona ratem.
En lætos circumque grues fora perque tumultus!
Miranti varius sermo sub aure fremit.
Mercator terræ segetes per littora fundit:
Quæ Libyæ gignit torrida sole plaga,
Quæ Nabathæa coquit, quæ nutriit ultima Thule;
Turgenti graditur Copia blanda sinu
Florens libertas, animus quas flagitat artes,
Divinos fœtus parturit ingenium.
Lumina delectat vitam mentita tabella,
Sub cælo spirat sensa refertque lapis;
Pendet Joniacis cœli domus alta columnis;
Pantheon includit quidquid Olympus habet;
Iris uti per inane salit, nervove sagitta,
Pons facili superat flumina sæva jugo.
At sapiens mentem solus defigit in orbes,
Secretis mundi vim sequiturque viis,
Materiæ nexus, magnetis amorem odiumque,
Aethera per radios, aëra perque sonos;
Horrida quid casus societ miracula, quærit,
Quis rerum facie stet fugiente polus.
Dat vocem calamus mutæ, dat corpora menti,
Aevi perque fugam charta diserta feret.
Attonito cadit, en, errorum lumine nimbus,
Et subiens noctis lux simulacra fugat.
Vincula frangis homo, felix! Heu, fræna pudoris
Cur simul atque metus vincula rupta jacis!
Libertas! ratioque, ferox clamatque libido;
Rumpere naturæ fœdera sancta juvat.
Heu male linquebas oram! Nunc fracta procellis
Anchora, nunc tumidi te rapit ira sali,
Fertque per immensum: vanescunt littora, malum
Perdidit undosis cymba labatque jugis.
Constantis stellas extinguunt nubila plaustri;
Cuncta ruunt, errat pectoris ipse deus.
Fallit sermo, fugit vita candorque fidesque,
Perfida mens ipsis pejerat inque labris.
Insidiæ rumpunt Theseo fœdere junctos,
Et quæ celatus corda beavit amor.
Proditor insontem ore tuetur limus hianti;
Nigra venenata cuspide lingua necat.
Pectore fœdato mens est venalis amorque,
Non jam cœlesti nobilis igne flagrans.
Fraus sanctis veri signis fucata nitescit,
Et quæ lætitia cor superante levant,
Dulces naturæ voces infanda profanat;
Vix animi testis muta querela manet.
Suggestu se jura, casis concordia jactat
Regales spectrum lex cubat ante thronos:
Mumia per longos annos, per sæcula duret,

Florentis vitæ mors specie lateat,
Natura molem donec surgente cavatam
Aerata ferient sorsque diesque manu,
Ac veluti, caveæ fregit quæ clathra, repente
Quum subit horrendam sylva Libyssa tigrin,
Aerumnæ se tollet homo sceleris que furore,
Naturæ repetens urbe flagrante bona.
Tunc muri rupti, tunc o emittite captum!
Materno reducem rura tegant gremio.
Ast ubi sum? Latuit trames. Prærupta vorago
Ante retroque premit fauce minante gradum.
Septa retro grati comites hortique relicti,
Et nota mortalis quæque relicta manus.
Materiæ moles, vitæ modo germina cerno;
Crudus basaltes sperat ab arte decus.
Cum fremitu fertur torrens per rupis hiatum,
Sub radice ferox ilicis ire viam.
Vastam o horriferamque plagam! Cum nubibus orbem
Solo fixa polo regia nectit avis.
Non huc lætantum, non huc pernicibus alis
Ulla laborantum pertulit aura sonos.
Num vere, natura, tuis sum solus in ulnis,
In gremioque tuo? Mene tremenda modo
Horrentem, ah! nigro vitæ percussit imago
Somno, valle simul præcipitante ruens?
Puris, alma, tuis mihi vitaque purior aris,
Speque animisque vigens læta juventa redit.
Aeternum mutat finem normamque voluntas,
Aeternum solita facta meantque vice:
Tu juvenis semperque novis, natura, figuris
Pulchra, pie legem casta colis veterem;
Usque eadem, fidis servas manibus, tibi nugans
Infans crediderat quæ juvenisque, viro
Usque uno varias ætates ubere lactans:
Quæ distant longe, junctave sæcla fluunt,
Cæruleum spectantque polum camposque virentes,
Solque etiam, en, nobis ridet, Homere tuus!

HÆC PLACEANT PATRIÆ QUÆ PIA DONA FERO.

(Ad amicum. A. 1830.)

Felix Bilbilitani interpres, docte, Thelander,
Germanis Rhodii dum grave vertis epos,
Perfectum prælo mox mandaturus ad unguem,
Victurum sera posteritate librum:
Munere me dudum consueto blanda vacantem
Otia, naturæ deliciæque beant;
Et caram patriam juvat et vidisse propinquos,
Et primæ quantum restat amicitiæ.
Ergo iterum dictam de Grano venimus urbem,
Sulphure oletentes qua bibit æger aquas;
Queque eadem recte sic est jucunda valenti,
Vix queat ut vacuo suavior esse locus.
Scilicet et tectis et amœna est hospite multo,
Et miro circum cuncta lepore placent:
Mœnia qua claudunt, qua mons, pulcherrimus ipse,
Vasto florentem despicit orbe plagam;
Qua Borcetta tholo per colles sparsa nitescit,
Mœstum qua stagnis cincta ruina silet:
Arx Caroli quondam, cordi loca grata dolenti,
Et menti musis et loca nota meis.
Sed pulchra me Dura vocat regione morantem:
Huc iter, huc gaudet filius ire comes.
Namque lavans uxor ferro prægnantibus undis,
Caraque cum dulci filia matre manet.
Nos Duram, divæque ad festum tendimus Annæ,
Patronam merito quam colit illa suam.
Prodidit advectus sanctus miracula vertex;
Nam lis, templa parens utra teneret, erat:
Ecce, volente deo, Martini fana repente
Manni, non ullo fræna regente, petunt.
Illa nec, Austriadem cecidit quum Dura lacessens,
Militis ultrici sunt sacra læsa manu.
Antiquæ turres etiam nunc vulnera monstrant,
Fulmineis remanent quæ cava facta tubis.
Ferro Dura suos tum flevit vastaque flammis:
Servatos paucos fama vetusta refert.
At sanctum fragmen veneratus victor Iberus,
In franciscanam ex æde flagrante tulit.
Dura tuum laribus parvis eduxit amicum:
Hic egit vitæ lustra quaterna suæ.
Hic mihi nulla licet superent monumenta parentum,
Nulla licet superent prædia, nulla domus;
Tam mea Dura mihi, Arpini quam dulcis alumno
Natali mansit villa paterna solo.
Ingenium teneris hic cultum crevit ab annis,
Hic schola sunt parvo templaque nota mihi;
Hic Bramerus ludi querula de nare magister,
Dum nugæ pueros vel sua pensa tenent,
Solenni psalmos recitabat more sacerdos;
Nam pius, ingenii nec nimis acris erat;
Interdum tamen ille pigri nimiumve protervi
In tergum duro fune manumque ferus.
At portam supra leo tum volucrisque Tonantis,
Signa palatinæ sculpta fuere domus;
Queis non invita legi subjecta Minerva:
Fixa hærent animo nunc quoque verba meo:
UNGUE LEO STIMULAT SEGNES, TE PROTEGIT ILLA,
GRESSIBUS ASSIDUIS SI PETIS ALTA PUER.
Quippe movent gravius quædam juvenilibus annis,
Et pectus scriptas servat ut ære notas.
Me quoque sic, patriæ quum tecta revisoque rura,
Multa monent, juvenis quis fuerimve puer.
Et subit innocuæ quondam quæ semita vitæ,
Et subit amissis ingemuisse bonis;

Vanaque quod placuit cœcis sapientia, lucem
Quæ tenebris jactat se reperisse novam.
Parvo mortales quantum mutamur in ævo!
Sensus ut est omni judiciumque suum!
Quam mihi sunt, olim fuerunt quæ magna, minuta,
Quam leve, quam nihil est, quod fuit ante grave!
Ipsa docent Annæ sic me solemnia, quondam,
Ah, nimium votis tempora tarda meis!
Condensas populi mirabar ut undique turbas,
Templaque per pompam in plateisque sacram,
Osculaque in sancto figentes fragmine divæ,
Cujus stat florens Dura patrocinio:
Affixus varia gaudebam ut merce tabernis,
Utque peregrinos aure bibisse sonos;
Æris ut incisi multa oblectabat imago;
Cantus ut et resonæ me tenuere fides;
Postque vitrum quæ mille patent miracula rerum,
In mentem redeunt qualia sæpe mihi;
Monstrantis memini ut gestus, videoque rotantem
Talia defessis carmina rauca labris:
Turcarum regni, domini dominæque, videte
Nunc caput: hic medio multa ubi porta loco,
Regia Sultani sedes; Mahometica celsa
Ad lævam versi cernite templa manum;
Incedit juxta solemnis pompa, camelis
Sultanum circum turba ministra vehens.
Plurima miramur, licuit dum pauca videre,
Dum vitæ gyrus volvitur exiguus.
Arrectus stupui sic olim, carmina seu quem
Ajebant, doctos edere sive libros.
Agmina post vidi scribentum atque agmina vatum,
Parsque levis factus sum miser ipse gregis.
Sic neque me festis olim quæ pompa diebus,
Nec merces, nec me turba moratur hians,
Quæ plateas ingens, quæ templa repletque popinas:
Quid multa? Anna parum, quo moveamur, habes.
At gratum mansit caros vidisse propinquos,
Quique annos juvenem sex aluere lares.
Gaude, si quid adhuc curas terrestria rerum,
Cœlicolum gaude, meque tuere choris,
Inter bella mihi sub quo, ceu patre secundo,
Artibus institui contigit ingenuis.
Cognatos præter parva est quoque turba superstes,
Cara mihi juveni cara manensque viro,
Quos ætas nobis, schola quos et lusus amicos,
Candida sed mage mens ingeniumque dedit;
In patriam reducem qui me excipiuntque foventque,
Absentis memores quos juvat esse mei.
Parva quidem es, nec, Dura, tibi memorabile quidquam;
Parva tamen natos, queis decoreris, habes.
Actorem Rheni quis castum nescit in oris,
Quo bona causa viro nulla tuente cadit?
Est etiam multos qui judex eminet inter;
Est cathedram rara non sine laude tenens.
Ecce, alii magnæ moderamen creditur urbis. —
Salvete, o, decori quos sibi Dura tulit!
Vos popularis amo, vobis ego gaudeo, musam
Immemorem vestri non decet esse meam;
Teutonicæ monumenta lyræ qui celsa latino
Ore, suisque ausus sum retulisse modis.
Hoc mihi sit parvo laudis, majora secutis
Hæc placeant, patriæ quæ pia dona fero.
Non illic statuas raras pictasve tabellas,
Sed tamen invenias, quod peregrinus ames.
Namque hominum mores, et laudes nescia fuci
Pectora, non ullo candidiora loco.
Præcipue propriis sed patria dulcis alumnis,
Multaque, queis alius non teneatur, habet.
Cui cor non moveant puero loca trita, colebat
Queis studiis musas, religione deum;
Queis solus, placidos inter seditve sodales,
Florenti in prato sub nemorumve coma?
Nimirum illecebra natura potentior omni
Deliciis replet pectora nata suis;
Sed longe in patria vis ejus maxima terra;
Non ulla suavis tam solet esse plaga.
Ergo ego, natalem quam sæpe revertor in urbem,
Rure frequens circum per loca nota meo;
Et nunc, præteriens, ubi functorum ossa quiescunt,
Molliter acclivis pergo per arva soli:
Hinc Duræ mihi tecta nitent, imoque perenni
Cœruleum nebula funditur orbe jugum;
Arvalem pompam nunc mercatumque recordans,
Veldenum, serpit qua vaga Rhura, peto,
Et cultos miror que hortos, camposque patentes,
Graminaque et seges et rivus et umbra placent,
Nunc peto, quæ sylva valles collesque teguntur,
Ubere quos juxta prata liquore vigent;
Unde puer matri quærebam, quæ dat amaros
Potus a foliis herba vocata tribus;
Dulcia arundiferis lymphis stagnantia rura,
Prædia quæ cingunt civis amœna boni;
Qua florent horti, florent virgulta, vireta,
Et sylvestre simul pomiferumque genus;
Populus et patulis qua stat nux plurima ramis,
Stat tacitas rivi quæ tegit alnus aquas.
Hæc loca, secreti invitant quæ ruris amantem,
Ingenium mentis queis meditantis inest,
Nympharumque choris veteres faunisque sacrassent:
Hic ego, quæ juveni semita grata fuit,
Dum sequor, atque avide lustro dum singula nuper,
In molli, suavis plenus amore loci,
Cespite pinetum propter requiesco, sedensque
Contemplor frondes tecta per arboreas,
Vestitos hederis supra surgentia muros,
Quæque plagam turris surgit in ætheream;
Dumque juventutis, puerilis multaque volvo
Ætatis mecum, jamque seni propior,

Quis sim, dum reputo, votorum summa quid olim,
Doctrinæ, laudis quanta cupido mihi,
Quamque ardens veri studium, mea pectora mœror
Pertentat, lacryma nec caruere genæ;
Natalisque soli magica ut dulcedine captus,
Me gremio, dixi, suscipe sancta tuo,
Suscipe me, servas cineres quæ terra meorum!
Hei, cito prætereunt, quæ bona mundus habet!
Hic nostri paucis noti vixere parentes,
Prima quibus pietas cura timorque dei:
Ad tumulum lassos hæc sunt comitata labore,
Quæque bonis vitæ spes melioris erat.
At mea mens, mundi majoris imagine lusa,
Immensum minimo claudier orbe videt.
Quam brevis, ah, vita est, quam famæ gloria vanum,
Siqua suo remanet ceu levis umbra rogo!
Hæc inter septem quæ mœnia sæcula durant,
Paulatim longa laxa ruuntque die,
Quot spatiis hominum vixerunt millia parvis!
Vix ullum tenuis fama fuisse refert.
Hic eadem stet meta mihi, mea campus ut idem,
Qui patris, æternum nomen et ossa tegat!
Talia sub mœsto volvebam pectore solus,
Hospitis in caram quum vocat hòra domum.
Mox patria paucos soles me sede moratum
Natæ fas reddi conjugioque fuit.
Ecce autem, Grani dum me tenet urbe reversum,
Intentum studiis ausoniæque lyræ,
Quæ jucunda mihi domus est hortusque Leodî,
Mars truce per plateas horridus ore tonat.
Æmula Francigenum vulgus consurgit ad arma,
Excusso fervens luxuriansque jugo.
Ac cœli veluti gliscunt contagia, late
Circum seditio fusa repente furit.
Ignaros rerum pauci traxere dolosi:
Tela tenent fortes, tela tenentque boni.
Bruxellas nostræ festinant agmina plebis:
Ad sua vis regem cogere jussa parat.
Ille suos frustra revocat, contraque minaces
Cedere duravit nescia corda preces;
Jamque atrox bellum stragesque instare videtur.
Tu, dum: libertas! effera turba fremit;
Strictis dum tendit mucronibus esse beata,
Nec novit ternos esse beata dies:
Humani placide mecum mirare, Thelander,
Præcipites motus stultitiamque gregis;
Moxque novo Rhodius recreet nos ore poeta:
Ingenium fingit suavia cuncta tuum.

NEOPTOLEMUS DIOCLI.

(Guil. a Schlegel *Neoptolemus an Diocles.*)

Mente prius, terris, pelago, dein morte diremti
Anne peregrini, frater, es usque memor?
India habet, solis ubi tegmine bambus arenis
A rapido tumulum protegit igne meum.
At non terrà obstat, mare non, quin sæpe revisat
Umbra prius votis conscia tecta suis,
Et questus teneros, lemurum dulcemque susurro
Misceat horrorem, pectora cara ciens.
Tu vivis, plenusque virili, en, robore flores;
Nolentem immitis me rapuit Lachesis;
Nam me factorum famæque cupidine raptum
Nox texit, famæ nec data facta meæ.
Fortunæ et casus tuba jactans, gloria vana,
Transis, quod clausum mente silet facinus!
Quid fratri laudem me? Animi, puer ipse videbas,
Qui juveni, atque ardor qui generosus erat.
Signa inter, monstrante libri mihi verba magistro,
Roma, tua, heroes inter eramque tuos;
Inque orbe et quadro, Euclideo ænigmate quovis,
Ars Siculi ante oculos, arx ariesque, meos.
Arma quiescebant patriæ sub pace profunda,
Ludere mox lassus castra aciesque fui.
Indis, ecce, oris vexilla Britannia quærit,
Gallos ægre arcens Hyder-Alique manum.
Bella vicesque Afros trans me ut traxere volentem!
In vitam propero sarcina prompta fuit.
Nos, animo vivitne etiam, quod mane diremit?
Excierant urbis tympana clara vias.
Fervens quisque capit fascemque et tela: tumultus
Castrorumque fragor per loca pacis erat.
Quaque ibant agmen, turba ingeminare: valete!
Ite, aura nobis vosque referte bona!
Candida dat conjux recreantia militi, alumnum
Datque, etiam hirsuto ut suaviet ore pater.
Ille, asper, peregre curæ fore jurat utrumque,
Prædæ missurus quæ bona cunque domum.
Hic Mauri gemmas promiserit uvidus ensis:
Gazis, exclamans, Mogule magne, tuis!
Deserit ille levis flentem, quæ fidere amori
Juranti nimium prona puella vago.
Ast ego præcipitans subito expectantibus adsum,
Igneus, extremam corripiensque moram.
Vota mihi ut fudit pietas veneranda parentis,
Me fratres, stringens me hæsit utrinque soror.
Ante sed omnes mater; amante a corde, liquescens,
Vix poteram avelli compos et esse mei.
Ut me incusabam! Vestri complexus amoris
Ultimus hic, animi vox mihi dixit, erat.
At matrem tum etiam extremumque cupido videndi
Natum, dilectum, non superanda capit.
Festinatque simul, trepidæ natæque sequuntur,
Eque fori spectant agmina densa domo.
Stans ego cum sociis agnoram protinus etsi;
Demittebam oculos, frangere corda cavens,
Multa obiens acies, celerans, mandata ducisque

Huc illuc portans, totus in officio.
Nec mora, raptus equo, motos præcurro, relicta
Dum porta ad patris lumina verto larem.
Tristia quæque hilari vincebat tibia lusu,
Et matutinum masculo ab ore melos.
Mox cepit navis, refugo mox littore jactor,
Qua nudis Helgo-terra riget scopulis.
Dura, ajo, mœstum indignans, Germania mater,
Usque tui spernens, usque aliena fovens!
Te gratus jam linquo, bonis queiscunque colebas,
Te procul immemori, Teuto sed usque manens.
Tempora, nec longe fuerint, egeas ubi, fortes
Emtos quos mittis, nec dolet, ære viros.
Frondea tollebat se collibus Anglia: portus
Nautici inexpertis dulce laboris erat.
Longius hic ad iter naves cepere paratæ,
Tecta, tenens nutu quæ spatiosa regit.
Veliferis malis sic nos fert sylva, minaci
Rupi juncturos Herculis auxilia.
Longum jactatis adversa erroribus aura,
Turgida vasconico qua furit unda salo,
Felices facile dant nautibus insulæ odores,
Mollibus et mulcent flamina blanda plagis.
Prima salutamus te, Bahia, trans mare, pulchro
Fructibus invitans nigraque scena sinu,
Quam cocus, aurea mala, aloe palmæque coronant;
Quod sitiunt, viridi lumina quisque beat.
Naturæ o raptum me ad sanctæ pectus amicæ!
Ut votis, oculis conscia ut alma meis!
Hic florens regio, marium hic immensa profunda:
Læta suo requies, mens in aperta volans.
Curati et vegeti rursus quum findimus æquor,
Sola procul nutu me Trinidada vocat,
Protensum placide primævo vertice saxum:
Cincta patet vallis post scopulosa juga,
Raris sparsa, homines inter nunc inde reducta
Quas paci struxit naufraga turba casas.
Hic ego fingebam blando mihi somnio eremum,
Naturæ atque animi mersus in alta mei.
Acres fugissem, ah, curas et tædia! amicus
Nec mihi tam mundus, quem subiturus eram.
At Trinidada fugit; non insula deinde, nec ora,
Omnia ad extremas unda polusque vias.
Longa ante ambages australis in orbibus axis,
Quam flexum, Monsoons aura ubi regnat, iter.
Classibus elapsi postremo adpellimur hostis,
Quotque ignis casus, quotque minata freta,
Vel qui de sudo insidians ruit æthere turbo:
Excepit socios ære tonante Madras.
Nec mora, pars Malabaris in arma vocata per oram,
Tippoos contra Francigenumque manus,
Postremo clari vincunt certamine; ad indam
Namque Europæo pax sonat orbe plagam.
Me sors visa, acies visæ fugisse: flagrantem
Discendi dulcis vixque fefellit amor.

Orbica nunc iterum mensuræ arcana, relata
Arsve superborum, regna subacta, ducum,
Æterni illecebris nunc me tenuere poetæ,
Trans quoque qui zonas sæcula perque vigent.
Tum populi mores, per stirpes juraque, cuncti
Et monumenta ævi noscere cura fuit.
Abstrusa allicuit sapientia digna Brachmanum,
Quos avida Europe, vendita corda lucro,
Mortales fugisse, feros inque antra coegit,
Lene sibyllina nunc ubi voce movent.
Præsago patuit mihi mundi spiritus almus,
Mystica sanskritæ, mythica texta, sacræ.
Attonitus Brachmanæ hærebam in funere, mentem
Qui naturæ halans in novat usque sinum.
Sæpe mihi et blandas lusit bajadera choreas,
Deformante nihil moris ab arte trahens.
Sic urgebam horas; nigræ venere; remoto
Pro lare nil gremium jam nisi amicitiæ.
Ecce, mihi cari moriuntur: discutit unus
Letali plumbo, mente furente, caput.
Et mihi sol venis sævo fremit igne, cerebrum
Turbatum mœsto sæpe vapore gravans.
Corpore quantumvis acris vestigia morbi
Cedunt; sanari non potis æger honor.
Durius at longe qui dicam, quive tacebo?
Lingua nigra ut verbis insidiata meis,
Culpam culpa augens, facinus fingensque feroci!
Quanquam ego; (nam puro pectore fortis eram,)
Non fero, jus patriam libertatemque reposcens:
Et pelagus lenti, proh, mora juris erat!
Urbes interea et fugi cum fraude tumultum:
Ægro rus cordi sola medela meo.
Et longinqua tamen spem fovit imago probandi
Belloque et factis me viribusque virum.
Cum Tippoo igitur dum pax male fida manebat,
Per juga volvebam, posset ut ire manus.
Ab Vellore ingens, longe ultra Vaniambaddi,
Lustrabam peragrans mulecatense nemus;
Metabar valles faucesque atque ardua, vasta
Nullo Europæi per loca trita pede.
Luce, duces fidi, tigrin Indi densa fugabant
Pulsantes nemorum: dum rotat astra polus,
Strata ignes inter vigiles, fremitusque remoti
Securus nobis sub Jove somnus erat.
Bellua aperta minax ungues in prœlia tollit,
Fallax, sed rides virus, amice, parans.
Heu mihi quæ merces! Homines ut frater amabam:
Scis, recreate mea paria sæpe manu.
Ecce dies tandem vindex: suspicio culpæ,
Judice castrensi, quæque repulsa cadit.
Jamque impugnati me lex poscebat honoris:
Non rudis est longum dedecus ulta manus.
Quin mihi læta iterum prope jam sensisse videbar,
Somniaque in longos fingere, ut ante, dies:
Frustra; maturo confectaque membra, magisque

Cor læsum sensim mergitur in tumulum.
Strata pater juxta bene si mihi nemo precatus,
Nec pacans clausit lumina lene parens;
Non tamen ignotus cunctis abiive relictus,
Carorum fide et ore hora serena fuit.
Nuntius huc vestro tristis quum venit amori,
Quam pridem Stygis, heu, per vada vectus ego!
Dulcia non terræ, frater, non ploro juventam,
Non, famæ expertem vim periisse meam.
Sic gelido fervens sine nomine funditur antro
Lætus, mox tardas qui trahit amnis aquas;
Torrida deserti ni sorbeat invida arena,
Arva riget celsas ille feratque rates.
Nunc nova volvuntur, sed nos nil tempora mutant;
Non tamen hic, orcum, quæ parit hora, latent.
Horrescens didici, nova mundo forma paratur;
Sed fatale minax in chaos ante ruit.
Lex sacra, mos vetus, et renovantum somnia nullo
Humanos inter fœdere bella gerunt.
Lymphata innumeros Diti vesania mactat,
Partium hebes pressos inter ut arma pecus,
Libertate, (odium dixere ut plebis in alta,)
Ad sua quos tumidos flagra tyrannus agit.
Atroci gestu hos urget succensa, securi
Civili rea sub turba furore cadens.
Omnes nex miscet: per non superabile vallum
In vitam reditus æerea fata negant.
Cujus at hic mens est spectataque facta, vigentis
Virtutis pascunt hunc simulacra suæ.
Tu veniam fratri dona, de algente sepulchro
Adflavi querulo qui tua corda sono.
Fraternæ inferias fletum cum carmine funde
Menti; jamque vale, o, vive valeque mihi!

JAM VALE, ÆTERNUM VALE, O VAGA TURBA SOPHORUM!

Non mihi divitiæ, nec clarum nomen avorum,
Contigerunt animi sed meliora bona.
Contentum modicis me jussit amare quietem,
Me studia et musas jussit amare deus.
Namque avide tenero memini me discere ab ævo;
Et facilis, memini, lecta tenere labor.
A sociis puerum juvit legisse remotum,
Immemorem lusus immemoremque cibi.
At rari cupido libri, indoctique parentes:
Qui docilem regeret, nemo magister erat.
Prima elementa tamen monstraverat optima mater;
Namque bono paulo doctior illa patre.
Parvula sexennem mox pergula cepit alumnum:
Discere, quæ licuit, non mora longa fuit.
Pauca docebamur, mire sed pauca placebant;
Pauca revolvebam nocte dieque memor:
Somnia narrantem puerum, fratresque nocentes,
Decepti questus mœstitiamque patris;
Tum frugum steriles annos, regique secundum,
Supplicium casto cui modo carcer erat;
Josephi et fratrum cari amplexusque parentis,
Natum qui falsus luxerat usque suum:
Undis servatum Moysen, pœnasque superbi
Cum populo regis, justitiamque dei;
Isacidas refugo tendentes gurgite, currus
Armaque cum Phariis æquore mersa viris;
Samsonem, Dalilæque dolos, vulsæque ruina
Trita Philistæum millia terna domus;
Davidem, funda vasta qui mole protervum
Goliathum sternit, qui puer, inter oves,
Faucibus elisis ursum perimitque leonem,
Saulem, cui dæmon noxia corda premit,
Qui mulcet cithara, ferro cum patre jacentem
Qui tenero Jonatham carmine deflet amans;
Jam gratus rex ipse deo, cui lausque tonantis,
Et canitur mœstis culpa cruenta modis;
Eximium forma natum patrique rebellem,
Implicitis ramo quem necat hasta comis;
Ingentes Salomonis opes, quem mira celebrat
Externis late fama vagata plagis,
Omnia complexi rerum sapientia cujus
Sub nostro vidit nil nisi vana polo.
Nimirum, teneras magna dulcedine mentes
Quæ capiant, sacrum multa volumen habet.
Sanctaque simplicitas placet et miracula rerum,
Ac magis, ornatus quo mage nuda, juvant.
Nec minus, et paribus puero gratissima causis,
Ævi quæ medii fabula multa refert:
Quæ vendit festis exstructa taberna diebus,
Narrabat gaudens quæ mihi sæpe pater.
Nec mihi tum levis illa fuit legisse voluptas,
Immanes volucres, terribilesque feras,
Errantesque equites, dominæ sub lege gementes,
Gestaque ab indomitis horrida bella viris,
Nanumque aut tetrum celantia tecta gigantem,
Invia vel magicis claustra nemusve dolis.
Quatuor Hæmonis natorum o fabula dulcis!
Quos fert Bayardus belliger unus equus.
Quos premit immitis Caroli gravis ira, tuetur
Reynoldi virtus quos Malagisque magus.
O duram obsessis sortem, longosque labores!
An potis est lacrymas quis retinere puer,
Quum, Caroli mersus jussu, Bayardus, ab unda
Suspiciens, domini flevit amore sui?
Ipse sed hinc sanctis, Christo devotus, in oris
Reynoldus pugnat, jam placuisse deo,
Atque humili cœlum quærit pietate, dolosis
Consiliis operæ dum necuere senem.
Nec parvas, *Octavianus cum matreque nati*,
Delicias puero præbuit historia:
Accipitrem Florens manno mercatus, et ingens
Raptis quæ pueris aera findit avis.
Flebilis Hirlandæ quid sors miseranda, dolore
Cui cor, cui gemitu liquitur assiduo?
Casta quid infenso Genoveva abjecta marito,
Antra domus, cervæ cui cibus ubera erant.
Non ego, si primis ætas repetatur ab annis,
Quæ juvenem deceant, quæ deceantve virum,

Me puerum multo mallem sudore doceri :
 Quot nostro distet Sirius orbe pedes ,
Vel quæ terrarum magnique exordia mundi ,
 Vet quota pars animæ sit memor esse meæ ;
Ante diem inciperem quo delirare puellus ,
 Noctivagi soboles ut generosa sophi.
Non ego sic mallem , quam percepisse , volentem
 Quæ captare animum , corque movere queant.
Clauserat exiguus duodenos orbis ad annos ,
 Quæ noram rebus mista profana sacris ,
Tempore Romulidum cœpi quo discere linguam :
 Campus erat studiis latior inde meis ;
Inque brevi spatio multum , didicique libenter ,
 Quæque semel placuit , gratior usque fuit.
Mox juveni Aeneadum patuere ingentia facta ,
 Roma potens, magnis inclyta Roma viris ;
Et micuit Tulli divino fulmen ab ore ,
 Ausoniæque fides insonuere lyræ.
Nasonis *Fasti* varii placuere , Getarum
 Quosque exul querulos mittit ab orbe sonos.
At mage , mutatis quæ ludunt carmina formis ,
 Et pectus sensus et tenuere meos.
Nulla etiam juveni criticorum regula , justum ,
 Monstrabat rigide , quid nimiumve foret ;
Ac minus offenso , si quid mediocre , voluptas
 Purior in pulchris , major ut ardor , erat.
Insignis linguæ cura est artisque Maroni :
 Fert numero docilem musa severa gradum ,
Seu canit Ænean et Romæ grandia fata ,
 Seu Daphnin , segetes seu pecudesque canit.
Virgilium vir amet potius , mage Naso juventam
 Delectet ; mentem , blande gravisque simul ,
Serius et numerosque tuos artemque beatam
 Sensi , Flacce viro grate senique comes.
Ante quidem Latii , quam sermo scriptaque Grajum ,
 Non tamen hæc studio culta minore mihi.
Quis Græcos , habeant cui quidquam suave Latini ,
 Non amet ? A Græcis his decus omne venit.
Eloquium simplex , nativaque gratia libris ,
 Queis dederunt dignis nomina Pierides.
Ast Oloro qui bella refert civilia natus ,
 Vitæ humanæ ævum testis in omne manet.
Sacraticum spirant Xenophontis scripta leporem ,
 Quem , suavem et castum , gens sua dixit apem.
Divini vox est ut mens excelsa Platonis ;
 Nam charitum finxit quidquid Olympus habet.
Torrentis ritu similis ferturque tonanti ,
 Qui sua Cecropidas flectit ad arbitria.
Arma refert moresque hominum manesque deosque
 Mæonides ; huic par sæcla tulere nihil.
Pindarus audaci liquidum petit æthera penna ,
 Heroum et pugilum facta deosque canens.
Scena Sophoclea quid habet divinius arte ?
 Quid super Electran OEdipodemve senem ?
Evehit ad summum , quod tentat Græcia felix :
 Victorem Romam musa secuta ferum.
Exemplar priscos coluere coluntque poetæ ;
 Ingenium proprias sed solet ire vias.
Bina micant patriæ vates ceu sidera nostræ :
 Ad grandes suevit Schillerus ire modos ,
Sive lyræ mulcet numeris , præsaga cothurno
 Seu gradiens tacito corda pavore quatit :
Mirus , inexhausta variat dulcedine Gœthe ,
 Ceu formis ludens Protea pieriis ,
Qui *Tassum* , ponto qui fingit pocula mersa ,
 Et *regem alnorum* , magnus in exiguo.
At mihi nec veteres musæ suasere recentem ,
 Nec patria externos spernere cara viros.
Quis pulchrum sensit , qui non miretur ubique ,
 Cui placeant gentis non nisi pulchra suæ ?
Sed longum patrios , longum memorare Britannos ,
 Longum Francigenas est memorare mihi.
Non hic Torquatum , tenerum referamve Petrarcam ,
 Quantum deliciis addiderintque meis.
Non ego contempsi , critice quos damnat iniqua ,
 Quos veterum vates æmula lingua decet.
Non ego Sinceri , Fracastoriive camœnam ,
 Non ego Baldei , Sarbiviive lyram ,
Nec suaves spernam voces numerosve , Tibulli
 Dignos Lotichio quos elegeia dedit ,
Nec puram , Buchanane , tuam celsamve loquelam ,
 Jessæum latiis ause referre modis.
Tranquillæ o musæ dulces in tramite vitæ ,
 Quæ nec magna cupit , scitque frui modicis !
Par ardor juvenem musæ stimulabat amori ,
 Quæ mundi , mentis quæ ratiove foret ,
Noscere , naturamque animæ sortemque futuram ,
 Quisque creans , dextra cuncta movensque sua.
Cœpimus et terræ studio majore situmque
 Scrutari et formam , sidereumque polum :
Quod motus spatium , quæ lex , quæ mutua vincla ,
 Quæ rotet innumeros vis teneatve globos ;
Fœdere quo maneat concors discordia rerum ,
 Ut totum species stans novet usque suas ;
Quæ vis gignendi , quæ formæ germina prima ,
 Quisque animam nexus materiemque ligans ;
Num ratio , quidquam sine corpore , suadeat , esse ;
 An valeat mentem gignere materies ;
Qui sine principio possit res ulla fuisse ,
 Qui fieri , cœpit quod semel esse , nihil ;
Quove modo mundum detur , cui pareat , extra ,
 Corpore quo careat corpora cuncta movens ;
Cura deum nostri num quæ sit provida ; merces
 An sua certa bonis , an sua pœna malis.
Ergo avida mecum tot volvens tantaque mente ,
 Esse atomos , certis hasque coire modis ,
Et nexu , didici , sic gigni singula rerum ,
 Sic terram , liquidum sic coiisse mare ;
At multa hic priscis reperire ignota recentes ,
 Aeraque in partes dissecuisse suas ;
Resque alias aliæ vitent ut amentve vicissim ,

Quoque [illegible] magnes, quo fugiatve polo;
Utque suas servent, vidi, crystalla figuras,
Utque suas saxis imprimat herba fibras;
Et varias terræ rupes calcemque et arenam
Ignoti mundi condere reliquias;
Ossaque sub gelido Borea latuisse leonum,
Et procul æquoreis monstra marina plagis;
Majorisque alium molis vixisse per orbem,
Quam quas nutrivit terra novata feras;
Et multa ante homines animantum sæcla videri,
Et multo plantas his viguisse prius.
Hæc ego, naturam inquirens, et plurima vidi
Præterea: corpus qua gravitate cadat,
Quidque ignem, lumen quid fingant esse periti,
Quam celere ad terram solis ab orbe fluat;
Ut sonus in cunctas icto de corpore partes
Se fundens spatio sit minor usque suo;
Quid trepidam findat tellurem, viscera montis
Flammarum in nimbo cur liquefacta vomat;
Quid valeat vapor inclusus, reboante feratur
Nubibus ut ruptis flamma corusca polo;
Quæ triti vis electri, cumulata metallum
Ut solvat, pectus quo quatiatve modo.
Ast, animum inquirens, sensu percepta videbam
Attenta mentem suesse tenere mora,
Resque una junctas plures comprendere forma;
Et, quia sit proles, velle, fuisse patrem;
Atque sui memorem rerum simulacra referre,
Atque alia arbitrio fingere posse suo.
Præterea que hominis repetens ab origine fata,
Vix brutis vidi discrepuisse feris;
Torpentemque animo, et sermone usuque carentem,
Setosum campos perque cubasse nemus;
Post vitam innumeris terramque ornasse repertis,
Et struxisse urbes, velivolasque rates,
Et chartæ mentem mandasse, adflasseque saxo,
Scrutatumque orbem, tectaque siderea;
Quosque deus posuit fines mortalibus, ultra
Tentasse humano non adeunda pede:
Sic vario rerum naturam interprete condi,
Nec, quo mens possit sana quiesse, dari.
Ecce huic æternæ sunt res, at nutibus illi
Cuncta creatoris stant fugiuntve sui.
Materiem puram sunt qui mentemque putarint,
Sunt alii, neutrum queis sine utroque fuit.
Divino facit hic salvum sub numine mundum,
In toto curæ nit dedit ille deo.
Ecce aliis numen rerum per funditur orbem,
Seque regens mundus stat deus ipse suus.
Ast alius, semet fingens sibi cuncta creantem,
Nil ait esse, nisi sit prius ipse sibi.
Humanas animas illi docuere perire,
His manet extremos post levis umbra rogos.
Huic bona perpetuo mens est post funera felix,
Mœret perpetuis impia suppliciis,
Ille animas orco vocat in nova membra reducens,
Præteriti quidquam sed meminisse vetat;
Ecce aliis eadem vitæ se germine ab imo
Explicat, angelicis perficiturque choris.
Omnia, sic patuit, mentem confundere nostram,
Noscere conantem, quæ tegit ipse deus,
Ac spissa magis usque premi caligine verum,
Cernere, quæ nequeat, quo mage tendat homo;
Quemque sua errare ut videas ratione magistrum,
Aut vanos cæco sub duce ferre gradus,
Ac velut aeriis innixa palatia nimbis,
Sese ignorantis surgere mentis opus.
Heu, nihil ex illis, propter quæ cætera nosse
Flagrabam, didici, posse patere mihi,
Noscere res hominum juvenili ardore, deumque,
Heu, sortis propero dum rudis ipse meæ!
Non, ut sint homines, non, ut sint gramina, vidi,
Non, animus, nostri qui vigeantve pedes;
Nec, quid defunctum maneat, nec, quid vetet una
Cum membris animas interiisse suis.
O bene! sub vanis palantem turpe sophistis,
Ire pudet cœcum per voluisse chaos.
O bene! jam reducem simplex natura recepit:
Delicias satis est carpere, sancta, tuas,
Mystica mortalis tua quin penetralia tentem,
Quin oculis tentem quæ tegis alma meis.
Ah, satis æternæ vitæ mihi pectore testis!
Vox interna satis me docet esse deum.
Non mihi jam vacuis, ubi sistam, quærere in auris,
Non vigili libeat somnia docta sequi.
Nec mihi, papilio quot punctis, dicere magnum,
Quotve natans niteat cochlea multa freto,
Cryptogamum, nec lente, genus, sit quærere magnum,
Sub nostro an lateat, vel nova musca polo.
Me moveant valles, moveant in montibus umbræ,
Et veris ridens læta per arva lepor.
Me jubar auroræ, volucrum concentus ovantum,
Et mitis rosei vesperis aura juvet;
Quaque nemus campusque silent perfusa quiete,
Et quæ cæruleis it vaga luna plagis.
Non ego, si nostro quid vivere possit ab ore,
Schellingo, Kanto vel comes ire velim,
Nec proprium finxisse deum mundive figuram,
Aut revocasse sophi somnia prisca gregis.
Ah, mihi sit potius quæ vox humana, superbi
Immunis fuci, corda movere queat!
Ut simplex natura movet, philomela querendo
Ut movet, aut solis garrula lympha jugis.
O, ego si Juvenale canam, tenerove Tibullo,
Aut dignum fide quid, candide Flacce, tua;
Si mihi Gœtheæ, mentis si, Schillere, dictum
Ore tuæ mihi quid floreat ausonio!
Non ego me frustra verear vixisse, futura
Aut studiis ne sit gratia nulla meis;
Quamvis non opibus dederim præcepta parandis,
Nec qua purpureus fulgeat arte color. —

Quid dudum mihi musa animum spe ludis inani?
Cur humili cuiquam vis placuisse sono?
Ah, saltem, ut dulcis juvenique viroque fuisti,
Ad metam stadii sis comes usque mei!

ARS GRÆCORUM.

(Guil. a Schlegel *die Kunst der Griechen.*)

Terra fovens artes, Grajæ gratissima matri
Proles, confuso jam tibi fata nova
Impendent bellis mundo; nova flamma Corinthum
Devorat, et prætor, reddere læsa jubens,
Classem onerat spoliis, dii rursusque labores
Ingenii captos barbara pompa vehit.
Interea Grajæ tu musæ, Gœthe, sacerdos
Multa, Prometheis ut meditata viris,
Tranquilla reseras artis miracula mente,
Sacra, profanorum condita luminibus.
Tu Teucros circum pueros heroaque nexus
Serpentum solvis: tarda videmus uti
Ars armata deûm peragat decreta, dolente
Ut saxo miti gratia fusa manu.
Grandi sic forma voltus conversa stupentes
Attallit Niobe: fundit hiante charis,
Indignans licet, ore preces: Latona rigentem
Spectet; sævitiam fleverit ipsa suam.
Fraternam formis tu vocem junge, tua ars ut
Sub Graja spiret, Graja sub arte tua.
Quæ genii tutela fovet, sub pace beata
Libera terrestri pectora lege colunt.
Hic bene tu servas, puroque tueris asylo,
Ausoniis grato quæ tibi visa plagis.
Quondam ævi servans testes sic terra prioris,
Provida celavit germina viva sinu
Artis cœlestisque œstri, tandemque dolentis
Matris in amplexum perdita nata diu
In vitamque redit stygiis emersa tenebris;
Heroumque genus perpetuas docuit.
Artificem pulchri leges, bustoque relicto
Fit deus idolum libera sacra ferens.
Phidiacum, o bene! si quod habet celsum aut Polycleti
Justum pulvis opus: non manus attigerit
Vastatrix illud, nec tecta ruentia quassant:
Pacato quondam proferet orbe dies.
Cernis, ut irati montis vetus igne vorago
Texit Pompejos Herculeamque viam?
Flammarum at nimbis illæsa undanteque saxo
Scena recens vitæ, tecta laresque, redit.
Parva quidem, sed cara tamen monumenta: quid ætas
Abstulerit, sensu grandia, cuncta docent.
Mœret et in pilæ veterum mirator amicus
Fragmine, per tritas et dolet ire trabes:
Qualis vir gazas, fracta vix nave superstes,
Perdidit, et nudus littora tuta subit:
Annulus in digito signum modo restat amatæ!
Hoc spectans, rapiat cætera pontus, ait.
Quæ fueris, nostro quis, Græcia, somniet ævo?
Quam levis, ah, mundo jam manet umbra tui!
Per pelagus, sectas per multis amnibus oras
Florens, Aegyptum gens Asiamque colit
Fervida, utrumque suis transmutans moribus orbem:
Hoc, quocunque venit, fungitur officio.
Raptor ubi fluitante lares locat ustus arena,
Et patula poscit fauce camelus aquam,
Fons saliit Phœbi: Cyrene læta quadrigis,
Hic tua mulcebat Cypridis ora nemus!
Festa Jovis terras velut accivere remotas:
Sicanus Eleo carcere fervet equus;
Alpheumque sacro conspersum pulvere mergens,
O Arethusa, tuo reddit amor gremio.
Non modo plaudenti tollit se gloria turba:
Aerea victorum en agmina lucus habet!
Quem saltus, cursus, discus, quem lucta coronat,
Quem cæstus, rapidis metave trita rotis,
Sacra ferat! Doris vos tecta augusta columnis,
Et vocat e tectis aurea Fama volans.
Intus at Ipse sedet: divumque hominumque parenti,
Victoris pretium, cingit oliva caput:
Quod circum chorea Charites volvuntur et Horæ;
Sub pedibus Mavors miscet Amazonidas.
Proclamate, Jovis quem serta æterna beabunt!
Tibia cur cessat? Pindare, melliflua
Vox laudis, citharam moderantia carmina funde!
Sors cui mortalis, sic tua tela sonant,
Cur expers pulchri seros inglorius annos
Nutriat ille domi? Me decet alta sequi!
Sic fatus regisque Pelops illæsus ab hasta
Hoc palmam stadio rettulit Hippodamen.
Ah! magica vitæ quid ludor imagine? Festis
Nunc Echo queritur flebile sola locis.
At nos cœlestis mens adflet, sol uti cujus
Lex arcana nitet, nec variare potest.
Non modo virtutem ante dii posuere laborem:
Et pulchri numen devia saxa colit.
Arctum iter et præceps ad castæ limina divæ;
Prona sed abripitur spes per amœna morans.
Talis et ars Grajum, Spartæ ceu nuda virago,
Membra prius durans quam subiisset amor.
Simplice dora gravis, mollis stat iona voluto,
Fert Ephyres cinctum fronde columna caput.
Nec fines ultra tendunt: præcepta nepotes
Vincens forma docet, seu struat alta fora,
Seu tenues urnas: confusis inque ruinis
Membrorum constant ordo modusque sibi.
Quum, pauco tabulas variante, colore nec Indo,
Nec paries claro murice dives erat;
Auroræ veluti lætum, Polygnote, severo

Spargebas, motus nec procul atque venus.
Muda juvat Zeuxin lectis componere membris
Corpora, dia quidem, mens tamen usque silet.
Mollis in extremis, oculos fallentibus umbris
Parrhasii circum forma rotunda trahit.
Ingeniose, tegens, Timanthe, condita prodis!
Tristia, Aristides, motaque corda refers.
Sed nimium reverente manu perfecta veretur
Linquere Protogenes; hunc teretesque magis
Audacesque docet motus, cui gratia palmam
Mirandos inter detulit artifices.
O tua, ubi Macedo, qui fulmina vibrat, Apelle,
Aut tibi quæ pictam junxit imago toro?
Quæve mari subito elatam rorante capillo
Demersit teneram sæva procella deam?
Scilicet ars oculos specie quæ mulcet inani,
Temporis illa ferat cuncta terentis onus!
Non solida quoque materie monumenta sororis
Rapta simul longa sunt simulacra die?
Phidiaco licet illa ferox rueritque tremenda
Vertice, pectoribus Gorgona, virgineam
Sphinga gerens galea, mortalis nata parentis
Busta subit Pallas non loca digna diis.
Tum pretiosa legens juvenili plastica flore
Poscebat: fastum vincere materiæ
Ausa, giganteas elephanto auroque figuras
Velabat: gemmæ, fulmina bina, micant
Fronte sub augusta, metuendæ lumina divæ;
Sed terrestre brevi fert decus exitium.
Multa quidem ambitiosa minus periere, vel ære
Fusa, vel e Pariis marmora viva jugis.
Non, tibi quæ normam doluit natura dedisse,
Corporis harmoniam nunc, Polyclete, doces.
Nec tua succenset Nemesis, Agoracrite, certans
Alcamenis palmam quod Cytherea tulit.
Nusquam Baccha Scopæ non Bacchi plena vagatur;
Nusquam spectantum corda Cupido petit
Pulchre subridens jaculo, quo læsus et ipse
Praxiteles Phrynæ finxit amore deum.
Ecqua gregemque ducemque moratur vacca Myronis,
Lysippive fremens surgit aenus equus?
Ecquis adhuc, mollis quam circum spirat acanthus,
Mentorea phiale Lesbia vina bibit?
Ne quæras, cur tam sit acerba potentia fati:
Est quoque parcentis sævius arbitrium.
Sæpe interruptos, folia ut disjecta Sibyllæ,
Ore tuo legimus, Graja camœna, sonos.
Ante mares animos vates cecinere; sed unus
Mæonides celat, sol velut astra, premens.
Quin etiam multis potuit superesse secutis:
Non, socio vinxit quos lyra docta choro,
Excita libertas acuit quum turgida corda,
Flagrans ad pugnam gloria amorque vocant.
In bellum ferro dirisque ruentis iambis
Archilochi fregit tela cruenta dies;
Quam lætæ dum molle dolet properare juventæ,
Mimnermo querulos fert Elegeia modos.
Stesichori heroo frustra se pondere musa,
Alcmanis Spartæ jactitat hospitio.
Te Cypria ante omnes agit, Ibice, flamma furentem;
Te dulcem tetigit, Teie, bipenne puer,
Attonitus celsa velut ut de Leucade præceps
In tumidum rueres actus amore fretum.
Omnibus, ah, suavis depasta cupido medullas
Est extincta, suis ut fugit hora rosis!
Alceum per bella trucem comitata tyrannis,
Æolis æternum pectine musa tacet.
Pieriis Sappho sertis, tua, Lesbe, voluptas,
Cincta chorum duxit, passere vecta Venus
Cum qua sæpe jocans cœlesti riserat ore;
Sed Stygis occultant invida regna melos.
Phœbe, faves! Hedera redimitos, lumina scenæ
Cecropiæ video! Qui nigra fata colo
Noctigenasque cies furias, audace cothurno
Sublimis primos fers generose gradus,
Agrestes ridens satyros, quos igne Prometheus
Donans, urit, ait; tangere parce, caper.
Læti, sancte senex, damus et tibi tura, Coloni
Proles! multa tuis tempore rapta bonis;
It tamen Electra comes Antigoneque parenti,
Attonitos inter dum sacra terra tegit.
Agmina larvarum ducit circea protervus
Pulpito Aristophanes; sed tua vox siluit,
Dorice, ridentis lusus Epicharme repertor;
Moratique manet nil nisi dicta joci,
Mollis amor Glyceræ, quo fidens lene Menander
Sera premit scenam gratia cecropidum.
Indomito Bacchi flammant cui corda furore,
Immuni legis Pythius ipse dedit
Volvere festivam buxo stimulante camœnam.
Lase, quid expectas? macte age, Timothee!
Orgia jam fremuere, Philoxene! Totane turba
Ostro cincta silet? pocula nulla sonant?
Sola refert questus echo Romana, Philetas
Quos tener effudit, pentametri placida
Rivi confusos imitans ambage meatus;
Callimachique flagras Umbra camœna face;
Dulcibus at flammis vatesque sophosque domantis
Hermesianactis nomina nulla colit.
Nil juvat æratas, heu, Ditis pellere portas!
Mercurii meminit nemo redire gregis.
Somnia sola cavæ retro volitantque figuræ:
Sint genii nobis; ne paveamus eas!
Ardua mens agitet, proprio generosior igne!
Pulchrior antiquis ars nova surge rogis.
Sermo licet non sponte melos fundatur ab ore,
Nec patriis nobis mitior aura plagis
Adspiret facilem vitam; tamen aspera mulcens
Ludere cum musis nos jubet usque deus.
Artifici mandat te, Gœthe, præesse sacrando,
Lex stet ut Aoniis inviolata sacris.
Ergo viam veteris Parnassi sterne, poeta!

Fallor, an in superas eripiere domos!
Alatis te musa jugis suscepit, ut Eos
Tithonúm, nostro fert comitemque polo,
Qua super ingrediens, lucis prænuntia, vitam
Spargit in humanam e nubibus alma rosas.

PRISCA ANIMO MUSÆ REDEUNT PERFUSA LEPORE.

(Christi natali die.)

Lux Christi natalis adest, ævique remoti
Multa refert menti nunc quoque grata meæ.
Quippe manet vitæ seræ pars magna juventus,
Quoque minus præsens, hoc mage prisca tenet.
Cum studiis lusus, cari subeuntque sodales,
Gaudiaque et curæ, ver quot amoris habet.
At mihi volventi a teneris nil crebrius annis,
Pectore religio quam dominata, redit.
Nam mihi non fuerunt, quæ vel ridenda puelli,
Dignaque nunc dicant, ut rude vulgus amet.
Non ea tum ratio, mihi quæ natalis, in urbe,
Et casti exemplum moris uterque parens.
Utque domi, in ludo sacrorum cura severa,
Et schola solenni quæque sacranda prece;
Et sua quoque die templo rite hora dicata,
Et ludus templi sæpius instar erat.
Primaque religio laus civis, prima juventæ;
Ulla nec in sociis ora profana meis.
Nec mora, quin atheum vocitarent, publica nulla
Sacra colens parva si quis in urbe foret.
Atque omen, monstrum veluti vitatus, habebat,
Cui ritus sancti, sancta fidesve jocus.
Quam nunc diversa est facies, quam multus ubique
De divis quidquam credere turpe putans!
At mihi ne fueris tanti, sapientia: vulgus,
Ah, valeant supra corde tumente sophi!
Queis sensus ratione riget, scrutantibus ægro
Pectore solamen queis pepulisse deum.
Simplicitas mihi grata mea est; quæ dulcia quondam,
O, animo redeant nunc quoque cara meo!
Sat mihi sunt jucunda minus, post tædia longo
Tempore quæ tulerint, sunt mihi multa satis;
Mergere lethæo quæ dudum gurgite mallem,
Quæ sæpe ut fugiam, sæpe reversa dolent.
At gratum est, pietas movit queis pectora, sensus,
Et gratum festos est meminisse dies.
Christicolis quid habet luce illa lætius annus,
Virgo qua peperit non temerata deum?
Quæ sacris mage sunt chartis miranda? quid illa,
Vel cui nulla fides, suavius historia?
Salvator mundi pecudum, de virginis alvo,
Nascitur in septis stramineoque toro.
Angelus apparet, miram pecorumque magistros
Rem docet, attonitos læta timere vetans.
Æterno laudes divorum turma parenti,
Queis bona mens, pacem terrigenisque canit.
At cœli monitis læti præsepe petentes
Infantem agnoscunt rustica turba deum.
Stella oriens, sanctis olim prædicta prophetis,
Eoo ternos ducit ab orbe magos;
Auctorem rerum strato qui corpore adorant,
Et regi reges dant tria dona suo.
Omnia quæ puero in templis spectare, voluptas,
Dicere non facile est, quanta mihi fuerit.
Huc media ibamus missæ ad solemnia nocte,
Cum matre huc ibat, cum patre tota domus.
Neve irent soli, multis erat anxia cura:
Nox eadem Christo dæmonibusque sacra.
Thesaurum illa etiam felix inquirere; virga
Plus aliis illa nocte resecta potest;
Et sua pallentes conterrent oppida larvæ,
Et mala per vicos ambulat umbra suos.
Nostra per errabant sic plures mœnia manes:
Nam memini, patrio nec procul ille lare,
Post puteum vetulæ speciem latuisse malignæ,
Et celeri memet præteriisse pede.
Ast alibi subito nani crevisse gigantis
In molem miris visa figura modis.
Quid memorem monachique vagam sine vertice formam,
Multaque non sancto spectra canenda die?
Æde sed in parva Christi natalibus horis
Scena, senes hilaret quæ juvenesque simul.
Candelis namque innumeris lucebat utrinque,
Innumeris imo major in ara choro;
Quas inter festæ frondes, geniique tenelli;
Ornatu vacuus nec locus ullus erat.
At consecratum quæ servat cellula panem,
Supra stramineæ pervia tecta casæ;
Inque casa præsepe, atque infans ante parentem
In stipula, et castæ virginis ante virum.
Nec deerant stabulo degentes bos et asellus,
Nec deerat pastor, cum cane grexque suo.
At procul hinc positi, nabathæis agmen ab oris,
Et quæ stella pios dux micat ante magos;
Nam par, longinquos etiam nunc stare remotos,
Ad præsepe sua cumque venire die.
Additus et regum ternorum cuique minister,
Aurum, thus, myrrham, dona gerens puero.
En, mediam noctem campana nuntiat ictus:
Missa triplex, adsunt, queis celebranda, patres,
Hostia mortalis culpæ sacranda parenti,
In cunis faveas, dive puelle, tuis.
Dum sanctos peragunt ritus, pia turba precatur,
Inque hymnos uno consonat ore chorus.
Te natum recinunt, æterno, Christe, salutant

Te genitum verbo, virgineumque torum:
Humanæ recinunt te natum stirpis amore:
Pax, Jesu, terris, gloria cœlicolum!
Te mundi dominumque canunt, fœnoque jacentem,
Et quæ, factus homo, fers mala nostra deus;
Te servos juxta et reges mirantur amantem;
Nam, quo pastores, excipis ore magos.
Sic festamque agitant noctem, te, Christe, loquentes,
Et natum gaudent concelebrantque domi.
At meminisse mihi dulce est maneatque dierum,
Quum veni gaudens ad tua sacra puer.

HUC AGE, SI TECUM VIVERE VISQUE DEO.

(Alph. De Lamartine *l'abbaye de Vallombreuse*, ex ejus harmoniis poet. l. I. harm. XI.)

Inviso procul a mundo quis spiritus olim
Culmina, mens hominis, te super hæcce tulit?
In summo quum jam stares agitata, voluptas
Aut horror gelido in quæ tenuere jugo?
Nempe undæ, sylvæ, tenebræ et, quorum latet ætas,
Robora, in æternam structaque saxa diem;
Quique novum stimulat sacer ardor quærere mundum,
Longe unde humano semita trita pede.
Sola nec egisti; divinis nam tua visa
Pulchrum sub formis hunc coluere locum.
Scilicet alternas tempestatisque videbas
Vim colles super hos ire animamque dei.
Hæc te, quos loquitur cordi natura dolenti,
Hæc te sublimes edocuere modos.
Ventorum et tonitrus noras vocemque procellæ,
Inter ut ipsa suis se se elementa sonis.
Torrentes suspensa super montesque nemusque,
Mens prece, mens solis vivere læta locis,
Mortalis quæ sunt oculis asperrima terræ,
Electas animas huc vocat usque suas.
Huc, ait illa, veni, veni, ait, qui luget, amori,
Ingenioque, ætas quod male grata premit,
Proscripto, si quem repetunt pelluntque penates,
Cordi, quod pascunt cuncta, repletque nihil.
Huc, cœli soboles, in terris orba, venite!
Solem etiam vobis subter asyla patent.
Gaza mea abstrusa est, sunt mystica gaudia nobis,
Quæ mirans vulgus gaudia nosse nequit.
At meditans si lumen adhuc se tollit ad alta,
Aera, contemplans, noctis ut umbra tegat;
Ut redeant cœlo, si vos juvat, astra, tueri;
Undans si pelagi in gurgite luna juvat;
Torrentis si vox, fractus qui rauca remugit
De rupe in rupem; sub barathroque gemit,
Vestra etiam labra excelsum clamare coegit,
Jussit et invitos vos prope ferre gradum;
Dentati folii sub pinibus hisce jacentes,
Frondosis, si vos aure bibisse beat,
Quæ ramis zephyri serpunt modulamina lenis,
Ceu lyra cœlestes det gemebunda sonos;
Si spes, avulsum divina ex arbore germen,
Invitis vobis corde renata viget,
Desertoque loco radicis creverit instar,
Quam sine humo rupes, quam sine nutrit aqua;
Orans si pietas fletu vos denique inundat,
Flexo infinitum stetis ut ante genu:
Huc agite, o! Parvum est, huic stat si vivere mundo;
Vivere sin vobis cum superisque, sat est.

DESIDERIUM.

(Schilleri *Sehnsucht.*)

Ah, me felicem, nebulis frigente profundo
E vallis possem si reperire viam!
Quos pulchros cerno, juvenes semperque virentes,
Hinc peterem colles, si mihi penna foret.
Cantum cœlestis melos audio dulce quietis,
Balsameusque levi flamine transit odor.
Aurea poma micant frondosa blanda sub umbra,
Nec brumis unquam flos ibi præda fuit.
Quam suave, ah, æterno illic in sole meare!
Quam recreet me illis flans super aura jugis!
At vesana fremens rabies me fluminis arcet,
Horrescitque animus, sic tumet unda, meus.
Nutantem video, sed nullo, heu, remige cymbam!
Carpe, age, nec dubita; vela animata gerit.
Aude, crede! Dii nulli dant pignora: pulchræ
Nonnisi mira via est in loca mira plagæ.

NATURÆ ET MUSIS.

Beaux arbres qui m'avez vu naître,
Bientôt vous me verrez mourir.
CHAULIEU.

Si quis amas mecum naturæ gaudia, nostræ
Nec refugis Latii verba modosque lyræ;
Quem musis carum quondam, quem rure beatum,
Sylvis mirantes vidimus inque suis,
Qua mœrent arcis dumoso rudera saxo,
Et comitum priscas abluit unda domos,
Postremum placido fudit quod pectore carmen,
Accipe, naturæ quod cecinitque vale.
Namque ubi confecto vanescere corpore vires,
Et prope fatalem sensit adesse diem,

Solus dum platani nota requiescit in umbra,
Musa senis teneros hos dedit ore sonos.
Rura quieta, animi jam pace fruentis imago,
Dulcia, præ cunctis o mihi cara locis!
Felici tot ubi soles luxere sereni,
Et vitæ et mentis conscia rura meæ!
Vos juvenem, externisque virum fovistis ab oris
Me reducem, blanda vos requiete senem;
Vos mihi, quod Flacco sua Tiburis arva, Quirini
Quum turbam, caveas quum fugeretque fora.
Quæ votis, curis, quæ testes sæpe querelis,
Audite extremum nunc mea rura vale.
Me foret ingratum sine vos liquisse salute,
Tot mihi deliciis, tot mihi nota bonis.
Non ego servitii optabam pars esse potentum,
Et domini voltus fingere ad arbitrium;
Indocilem nec me modico gaudere parato
Auri torquebas non satianda fames;
Non ego, quem fasces, tituli caperentve superbi,
Non ego, quem palpans fama bearet, eram;
Non me victrices turmæ, populosque movebat
Sanguineis æternæ gloria vecta rotis.
Mitius ingenium, moderataque vota fuere,
Et mentem studiis excoluisse bonis;
Invidiæque procul telis vulgique maligni
Pax placuit fremitu, Pieridumque sacra.
Sic ego vos colui lætos, loca grata, per annos,
O musæ, o cordi dulcia rura meo!
Quam suavis simplexque tua est, natura, voluptas,
Quam cunctis animi certa medela malis!
Ut pulchrum reddique sibi est, et vivere tecum!
Ut fugit adspectu cura dolorque tuo!
Hic ego nunc pagos prope ripas amnis amabam,
Mirari aut sparsas colle virente casas;
Nunc gnavum agricolam findentem vomere campum,
Aut pratis gaudens luxuriare pecus;
Messorumve manus, juvenes mixtasque puellas,
Inque herbis epulas arte carensque melos;
Aut festas fide cum buxo strepitante choreas,
Largas quum condunt horrea ruris opes.
Nunc ævi nostri me aut prisci scripta, sophorum
Me mentes, vatum detinuitque chorus.
Nec me non plectra interdum sumsisse juvabat,
Ingenium, magni seu mihi facta viri,
Vel virtus celebranda, pii vel cordis amores;
Seu numeros movit gloria vera meos,
Abjectove ruens libertas horrida freno,
Et sævis homo jam sævior ipse feris;
Sive ego naturam ditem variamque canebam,
Et, queis pura beat pectora, delicias.
Æternum, ah, juvenis flores natura; sed ante
Mortalis voltum transit ut umbra tuum!
Vos mihi perpetuum loca jam linquenda: valete,
Non oculis posthac rura videnda meis!
Jam mihi mons, celsoque valete in vertice sylvæ,
Et fons qui rupis per cava saxa gemis!
Tuque vale, rivis et vallis amœna viretis,
Pastori et lasso vallis amata gregi!
Lugenti salices ad stagna silentia crine,
Aeriæ intonsa vosque valete coma,
Quæ densas ornique et fagi funditis umbras!
Vos mihi, dum licuit, cernere dulce fuit.
Nunc mea cognatam redeunt in corpora terram;
Ast animus mundo redditur æthereo.
Si tamen hic aliquid mentis post fata, camœnæ
Si tenuem nostræ fas superesse sonum:
Qua ramis mea sub tiliæ cespes teget ossa,
Hœcce quis, extremo quæ canit ore, legat;
Et, bene sit, dicat, musarum et ruris amanti:
Hæc satis in tumulo sint monumenta meo.

EST ALIQUID CALCARE SOLUM, QUO CREVERIS INFANS.

Qui, patriæ memor usque meæ vivamne, rogasti,
Quin memor et vitæ, Zaphile, simne rogas?
Nec visu captus phœbei luminis unquam,
Nec patriæ potuit non memor esse bonus.
Natali me quarta solo jam lustra remotum
Sors variis duxit non inimica plagis.
Me vidit Mœnum, me Salam musa colentem,
Me juvenem Rhenus, me tenuitque virum;
Et tenuit totum monstrans mihi Sequana mundum;
Nunc Mosa dat studiis otia blanda meis,
Sub sceptro volvens Guilelmi lætior undas,
Terra ferax, fortes ferre sueta viros,
Umbrosis quæ prata jugis hortosque racemis
Consociat, multis prodiga terra bonis.
Hic fiat patriæ fieri potis immemor usquam;
At mihi sub quovis da loca pulchra polo:
Thessala da Tempe, da Limam, dulcis amorum,
Da, quæ Petrarchæ conscia vallis erat,
Vel qua naturæ Sapiens libavit ad aram;
Da rupes, animas vinxit ubi alma suas:
Non tamen efficies, ne sit mihi gratior omni,
Qui locus est vitæ semita prima meæ.
Est aliquid calcare solum, quo creveris infans;
Est humiles etiam dulce videre casas,
Caros consocians natos natasque parentum
Imperio miti rexit ubi unus amor.
Ut placidos inter lusus meminisse sodales,
Ut, vacuos animos quæ tenuere, juvat,
Et centum meminisse locis, quæ gaudia puri
Pectoris, attonitum quæ subiere vices.
Est aliquid, mentis queis semina jacta conlendæ,
Est aliquid musæ castra videre tuæ;
Quoque deum puer es templo divosque precatus;
Et teres ut tollat turris in astra caput,
Utque tegant hederæ priscorum mœnia patrum;
Et circum tilias pomiferumque genus,
Cumque hortis rivos inter florentia prata;
Et quas densa comis alnus inumbrat aquas,
O ulmos inter fagosque nitentia tecta,

Et vada quæ niveus vitrea findit olor!
Umbroso subjecta o strata virentia colli,
  Et, quercus, corylus queis abiesque viget,
Vicini calles nemoris, solique recessus!
  Tuque ferax, campum quæ sinuosa secans,
Prata per et segetes pecorum tendisque salicta,
  Brachia per blandas Rhura measque vias,
Rhura meis quondam curis gratissimus amnis,
  Sæpe meos oculos, sæpe morata gradum;
Sive tuis Romæ volvebam scripta sub umbris;
  Sol me discedens sive silente vado,
Sive micans placido mulcebat lumine luna,
  Seu strepitans moles lene tenebat aquis.
Illo liberior cœpit mihi tempore vita,
  Quum colerem ripis tecta beata tuis,
Jam ludi studiisque, viri laribusque relictis,
  Alter ab extincto qui mihi patre fuit.
Innocui o juveni soles, o vita serena,
  Relligio suavi quam moderata jugo,
Moribus et prisca referens pietate parentes,
  Nescia nunc votis vita redire meis!
Dulce solum, dulcisque ipso mihi Dura dolore!
  Tu parvi condis membra verenda laris;
Tu puerum fratrem ternas condisque sorores;
  Tu teneræ matris, tu tegis ossa patris.
Care pater, longis a curis morte quiescens,
  Condite, care, sacris me comitante locis!
Terra tibi nobis injecta tuentibus, inter
  Solemnes capulo ter resonante preces.
At tua cœlicolum jam mens evecta sub oras,
  Qua viget æternis vita beata bonis.
Sancte senex, quonam laudem te carmine, grates
  Aut teneræ dignas quas pietatis agam?
Tu, jam supremi quaterent quum membra dolores,
  Morte oculis, rigidis inque sedente genis,
Intenta pueris dextra, cœleste vocabas
  Auxilium natis voce tremente tuis.
Care pater, largo lacrymarum flumine sæpe,
  Sancte pater, precibus sæpe vocate meis!
Seu vigilem vitæque piæ mortisque subibat,
  Sive aderat somnos inter imago tua.
O quantum nato moriens, venerande, dedisti,
  Quam tua propitium vota tulere deum!
Illa bonis studiis mentem finxere, secundum
  Illa patrem, raros illa dedere viros.
Queis ego pro tanta quid nunc bonitate rependam!
  Pectine quo, digne queisve celebro modis,
Pithane, te, nostræ tutor generose juventæ?
  Quosve tuo flores injiciam tumulo,
O latiæ quondam mihi dux jucunde camœnæ,
  Ante alios animo tu quoque cura meo,
Delsanci, cui mansuetum veroque dicatum
  Pectus, et in doctis gratia multa labris!
Cum pravis, heu, dura bonos discrimine nullo
  Mors rapit! In vitæ tu mihi flore jaces,
Luminibus, Josephe, meis, non raptus amori,
  Ah, superis nimium tu quoque grate choris!
O animæ superans solis candore serenum;
  Dulce caput, mentis plurima parsque meæ!
Te nostras mihi sylva refert campusque per oras,
  Te schola cum templis, te referuntque domus,
Et patris referunt culti cum floribus horti.
  Ah, multos inter tu prope solus eras,
Qui mihi, perpetuum juvenili carus ab ævo,
  Servasset puræ fœdus amicitiæ!
Quo mihi tot veteres, quo nunc abiere sodales?
  Hei mihi, pars socii quam modo parva gregis!
Pars terra tegitur, pars latum sparsa per orbem;
  Pauca manent patriis vix mihi corda plagis.
Sit paucos reperire tamen, vergentibus annis,
  Devolvat seros si mihi parca dies;
Sit mihi, si longo stadio requiescere fas est,
  Quum faciet raras tarda senecta comas,
Sit patria tellure quies! Mihi, Zaphile, multa
  Qui dedit, hæc, jubeat, sint rata vota, deus!

ELEGIA AD QUIETEM.

(Ad J. G. a Salis *Elegie an die Ruhe*.)

Lassatæ ceu falce crepuscula rubra puellæ,
  Ruris, suspirant te mea corda, quies.
Te vastis læter longe quæsisse sub antris,
  Qualis se nemorum fronde recondit avis.
Sylvosa o, curvam prope ripam, rustica valle
  Stet mihi si tilias inter opaca domus;
Qua ramo nutante paret linaria nidum,
  Vel strepitante parem picus ubi ore vocet!
Hic faba cancellos circum rubicunda diætæ
  Æstivæ serpat, perque susurra micet
Texta mihi Phœbe roseoque aurora nitore,
  Et solis rutilum in fronde virente jubar.
Tum florens clymenus conjungat densa ligustra,
  Scamna super spiret qui mea suavis odor.
Mane mihi gnavo cheiranthi, vespere rorent,
  Viva nec arenti langueat herba siti.
Nunc cerasum scala libeat scandisse rubentem,
  Vellere nunc duram caule negante nucem;
Vel nigra depluerent in gramina vertice pruna,
  Vel streperent roseis æmula mala genis.
Fœnisecumque sequar messores mense libenter,
  Nec timeat falcem nostra vibrare manus.
Lacte sitim mediæ pacarem lucis in æstu,
  Rurigenam sepis quum tegit umbra gregem.
Nec mihi conjugium placeat nisi rustica virgo,
  Hesperidis deceat quam violæque pudor.
Mœroris dulcem, velut Hesperus, illa quietem
  Blanda per umbrosam fundat ab ore domum.
Ah, magica quid me mens ludis imagine mulcens,
  Vanas illecebras, heu, sterilesque nimis
Ostentans flores! Celeri me tympana pulsu,

Fulmineique vocant axe gemente tubi !
Horrescat longum viden' ut mucronibus agmen !
Ut crepitent densis signa corusca globis !
Me vocat officium : quid lancea cessat et ensis ?
Me vocat in pugnas imperiosus honor.
Vos sequor o gaudens in martia castra cohortes,
Fulmina per, mortem, si datur, inque ruens,
O frustra dulcis, mœsto te lumine quondam
Respicio fremitus inter et arma, quies !
Suspirans raptore sub exultante, parentes
Sic teneros, notos sponsa fugitque lares.

KLOPSTOCK FREDERICUM V., DANIÆ REGEM, DEFLENS.

(Klopstockii *Rothschild's Gräber.*)

Hic prope te patres carum, heu, posuere sepulchro,
Te, cui manabit lacryma nostra diu !
Qualis fida venit memori secretaque corde,
Quum serus turbat lumina rore dolor.
Non longo regem populus mœrore requirat,
Qui lacrymas viduæ tersit ab ore pater ?
Quem toties gratis linquebat fletibus orbus,
In populo rex sit parva querela suo ?
Aversus sed adhuc timeo monumenta subire;
Nunc extinctus ubi matris ad ossa jacet,
Quem mœstis unum dederas, Lodovica, levamen,
Cara, tuis sero tu quoque fleta, parens.
Maturo, o quondam reges, nunc terra ! nepotem
Conjunxit vobis funere sæcla regens.
Immersus morti mœrentia marmora, circum
Busta means, veluti flammea signa lego;
Non quæ mendaci splendentia facta notare
Fuco, consilium corde premente, solent.
Librat eos, manus horrendum cœlestis aravit,
Hic, æterna bonis unde corona micat.
Altius at cameris etiam me mors subit arcens,
Relliquias monstras qua, Frederice, throni.
Nam mihi cor lacerat, vitæ qua semina jecit
Hæc deus, o muti conscia nox gemitus !
Sed titubans cur usque morer subiisse sepulchrum,
Olim quo sonitus audiet ille tubæ ?
Non deus ipse suis hæc semina condidit arvis,
Æternæ condens germina lætitiæ ?
Cur, cari, o, postquam tot me liquere beatæ
Nunc animæ, pectus molle sit usque meum ?
Vos circum, æterni, legitis, quæ mente revolvo;
Momento mundi dum peritura queror,
Contemplorque casas, queis somniat incola busti,
Ad vitam donec mors vocat ipsa novam.
Hoc animi mihi sit robur ! Sed terreor ossa,
Extincti, heu, regis terreor ossa tuens !
Spargite, ver rediit, quos non videt ille redire,
Ad vestri flores spargite busta patris,
Quemque pia servas spe pulchrum Dania morem,
Annua ad agrestis dona ferens tumulum,
Nunc, surrecturi memor, o solennius ossa
Verna super regis munera funde tui !
Blanda, novæ vitæ quid imago lumina turbas!
Serta quid, ah, lacryma, mitis imago, madent !
Heu, Frederice, tui quid nobis, heu, Frederici
Quid, nisi mox pulvis membra futura, manet !
Fornix o qui regis inumbras ossa silescens,
O horror, cava qui, noctis ut ala, feris !
Quæ fremitis me circum animæ ? Nos, vota suprema
Quæ regi fudit, turba beata sumus,
Quum patres dedimus terræ terrena : cruore
Non rubuit nostro. — Cessit ab aure mea
Umbrarum strepitus; premit at caligo doloris :
Hic mortis carum, ah, te mihi somnus habet !
Namque tuis nati te regnis instar amabam,
Ante oculos dormis qui, Frederice, meos.
Te Sophiæ, rex sancte, gemit, gemit artis alumnus,
Aoniisque gemunt corda dicata choris.
Te puer atque senex, rex optime, pauper et æger,
Te populi longe, te prope mœret amor;
Te, pater, Heclæo de monte Visurgis ad undas,
Te felix regnum congemit omne tuum.
Jamque tibi, merces placeat si fama perennis,
Terra dat; at merces gloria sitne tibi !
Augusta o soboles Frederici, Augusta Luisæ !
Nobilis o, omnes quem charites juvenem,
Et pulchrum decorat virtus; tu civibus implens
Spes, o care, pater, patris et instar eris.
Non patrum bustis templum tibi sanctius ullum,
Nec locus his mage sit te monuisse potens,
Omnia virtutem post solam vana manere,
Quum solium linques tu quoque voce dei.
Terrenum trahit, ah, de vertice mors diadema;
Et breve sub sæclo cuncta terente jubar !
Tu dabis insignem, deus, æternamque coronam,
Suprema, merces quæ sua cuique, die.

CHOREA.

(Schilleri *der Tanz.*)

En, paria in gyrum, librata ut passibus undant,
Vix planta libant ut volitante solum!
Corporis an volucres umbræ, sub lampade Lunæ,
Aerios Elfum turba rotatve choros ?
Fumus uti zephyro levis it vibratus in auras,
Lene per albentes ut scapha nutat aquas,
Pes docilis numeri fluitat modulantis ad ictum,
Aethereum corpus fila susurra ferunt.

Nunc, veluti choreæ vi tendens rumpere nexum,
 Hic densos audet par penetrare globos!
Dant spatium celeri, vanescit pone repente,
 Ut magica coeunt arte patentque viæ.
Nunc fugit, en, oculos! cæco confusa tumultu
 Mobilis hæc mundi forma venusta ruit.
Sed, viden', hinc revolant læti! Manet, ecce, resolvens
 Illecebris nodum regula salva novis.
Usque rotans mundi se vis gignitque voratque,
 Et placide ludens lex regit usque vices.
Unde, doce, variant reduces sine fine figuræ,
 Et specie constat sub fugiente quies?
Unde, sibi dominus, liber sua corda sequendo,
 Tutus festinat tramite quisque suo?
Divæ, si nescis, numeros agnosce potentis,
 Membra movet socio quæ furibunda choro,
Aurea, ceu Nemesis, cujus flectuntque frementem
 Fræna voluptatem, molle domantque feram.
Et tibi nequidquam resonant modulamina mundi,
 Nec celsis torrens te rapit ille modis?
Non, te, quem quævis natura dat, entheus ictus,
 Non rapit, æternum quæ per inane vibrat
Audaci soles lucentes orbe, chorea?
 Quem colis, ah, ludens, quid fugis ipse modum?

AMICUM RELICTURI.

Mœsta dies, Josephe, jubet te linquere, primus
 Dilectos inter qui mihi semper eris;
Me cui jam puero junxit concordia rara,
 Quique brevi magnum tempore crevit amor;
Dulcis amor, cujus nec lethum vincula rumpet;
 Mortales animas nam vetat esse deus.
Qui fortunatis olim nos junget in oris,
 Te rapuisse mihi sors ubi nulla potis.
Hic demum dabitur curis vixisse solutis
 Felices omnes absque dolore dies.
Interea, terrena etiam dum sede moramur,
 Forti sit positum mente subire vices.
Perpetuo nec enim puro sol æthere fulget,
 Nec fas est hominem posse carere malis.
En ego, summum cui votum tibi semper adesse,
 Conspectu cogor jam procul ire tuo,
Vitæ fide comes, vale, ah, tibi dicere cogor,
 Fors oculis nunquam hinc, care, videnda meis!
At tua nunc quamvis postremum corpora cernam;
 Mente mea præsens mens tua semper erit.
Nec minus absentem tu, care, videbis amicum;
 Utque sui memor est, sic eris usque tui.
En tibi quod nostri dictum sit pignus amoris,
 O decus, o animæ maxima cura meæ!

EIDEM AMICO, FESTO NOMINIS DIE.

Vive diu, Josephe meo dulcissime cordi,
 Felix, terrenis ut datur esse plagis.
Nec superas nimium properes invisere sedes,
 Fervida quo virtus te pietasque vocant.
Illic æterno pendet tibi flore corona:
 Tu cœlestis eris gloria magna chori,
Sed teneant avidum cœli gratissima proles,
 Et sanctum conjux digna beare virum;
Et teneant, tibi quos candor sociavit, amici,
 Quos inter primus jure vocandus ego.
Te decet ad tumulum quamvis procul ire sodalis,
 Qua famamque mei pulvis et ossa teget.
Hic mœrente, vale, dices mihi corde supremum;
 Decidet ex oculis hic pia gutta tuis,
Et genibus mea busta premes, pacemque rogabis
 Extincto, fundens supplice voce preces:
Aeternum mea ne melior pars nocte gravetur;
 Inveniet mites sic mea culpa deos.

AD. JOS. DANIELS, SANCTISSIMI VIRI, MEMORIÆ.

Ergo florenti, Josephe, extinctus in ævo,
 Immitis mortis tu quoque præda jaces!
Nempe malis diuturna solent concedere divi
 Tempora, gaudentes præripuisse bonos.
Spernentem terras cœlestia munera nosse
 Sedibus ante diem qui voluere suis.
Non illos lacrymæ, non illos sancta, movebant,
 Supplice quas conjux edidit ore preces;
Non pueri teneræ repetentes vota parentis,
 Heu qualem plorans parvula turba patrem!
Nec tibi, quæ fuerant præsagia vana sodali,
 Ad tumulum licuit, care, venire meum,
Supremumque vale mœsta mihi dicere voce;
 Nostra nec orabis stans super ossa deum,
Me velit ut, mundus quam nescit, pace beare,
 Nec mentem æterna nocte gravare meam.
At tu nunc socium in terra, Josephe, relictum
 De cœlo placidis respice luminibus.
Felix o divam in patriam cœtumque profecte!
 Felix o veris et sine fine bonis!
Qualia non oculus vidit, non audiit auris,
 Qualia terrenis sunt bona nulla plagis.
Hæc tibi virtutis pendebat digna corona,
 Magna tuæ merces hæc pietatis erat.
Nam quis te verum coluit, quis sanctius æquum?
 Quæ bonitas major, candidiorve fides?
Quis conjux meliorve pater? Quis amantius omnes
 Implevit partes dulcis amicitiæ?
Ergo, quem primis es amicum amplexus ab annis,
 In superis etiam sim tua cura choris;

Nec fidas animas inter mors vincula rumpat,
  Nec spolium præter corporis illa ferat.
Sic, vitæ postrema mihi quum venerit hora;
  (Et fuerit fati jam mora parvâ mei;)
Tecum contingat cœli mihi visere templa,
  Non mihi sors ubi te, non rapit ulla dies.

VOTIS MAJORA DEDERUNT.

Non dites dederat nobis natura parentes;
  Et parvo fuerat poscere parva satis.
Exiguis superi votis majora dedistis,
  O nimium precibus numina prona meis!
Sub tenui tecto primos transegimus annos,
  Dura aluit tenuem cura laborque domum.
Mox orbo licuit melius sperare, bonisque
  Excolui gaudens artibus ingenium.
Scilicet aoniæ tenera me ætate sorores
  Traxere auspiciis ad sua sacra bonis.
A musa venit sors annis læta futuris,
  Dulcis in adversa musa levamen eras.
Serius ambiguis venit fiducia rebus,
  Et data sunt studiis otia tuta meis.
Sub sceptro, Guilelme, tuo jam mollior aura
  Spirat; et in placidis nat mea cymba vadis.
Ecce mihi censusque brevis propriique penates,
  Ecce mihi nitidam per bona cara domum.
Pars etiam accessit voti non ultima nostri;
  Hortulus arboribus gramminibusque virens;
Frondosam curis vacuo qui funderet umbram:
  O blanda, o musæ ter loca grata meæ!
Non cerasum, non uva mihi, non persica mala;
  Prunave, cum variis nec mihi poma pyris,
Nec mihi cum clymeno cheiranthi, aut casta deestis
  Lilia, nec pulchris æmule ocelle rosis!
At flexu tangens flumen præterfluit hortum;
  Dites qua tellus explicat alma sinus;
Et procul assurgunt colles, vallesque patescunt,
  Quas sata, quas sylvæ mistaque prata tegunt.
Nam laribus late, late horto panditur æther,
  Et radiis oriens sol abiensque fovet;
Et stellis late fulgent cœlestia templa,
  Lunaque luminibus ridet amica meis.
His ego tot tantisque, mea o sors aurea! domis
  Prole simul cara conjugioque fruor.
Clarorum adde tot ingenii monumenta virorum,
  Quosque recens ætas, quosque vetusta tulit,
Otia pierios inter jucunda labores,
  Et Grajum numeros, ausoniamque lyram.
Quo mihi nunc, modicis contento, plura? quid ingens
  Addere fortunæ jam potis arca meæ?
Quove mihi elatum præclaro incedere honore?
  Aut quo gemmatam veste nitere crucem?
Non mihi livoris quisquam sit causa, malignis
  Nec gemat insignem livida turba bonis.
Ah; mage sit justa mortalia pendere lance,
  Fallacem speciem ne mea vota petant!
Sit mihi mens corpusque valens, sint dedita recto
  Pectora, sint fraudi, sint inimica dolis.
Nec mea blanditiis quem captet lingua potentem,
  Nec timeam spernens displicuisse malo.
His mihi sit gaudere bonis, deus optime, donis,
  Tu face, ut indignus sim minus usque tuis.
Te sine quis potuitve bonus dicive beatus?
  Felix quis potuit non memor esse tui?
Te sine non ulla est homini sincera voluptas,
  Quæ secura beet, te sine nulla quies.
Tu mihi: sic ardente puer te corde rogabam;
  Tu mihi da purum cor placitumque tibi.
Eheu, quam nocuit mundus tua jussa colenti!
  Virtutis puero quam mage prona via!
Hei; mihi jam vitæ fugit cum flore juventus!
  Jam canis sparsit lenta senecta comas.
At tu, qui votis hic das majora, benigne
  Da gregis in cœlo me deus esse tui.

SAT MIHI SIT TESTEM COR, DEUS, ESSE, TUI.

In simplicitate cordis quærite illum. Liber sapientiæ.

Non ego, sitne deus, posthac quæsisse laborem,
  Nec, pereat, leto mens careatne mea:
Non ego, functorum manes superentne; nec, umbra
  Ad superas, quæram, sitne reversa domos.
Non animæ, curem, quæ sit sine corpore vita,
  Quæ sit materie mens pereunte sua;
Nec, bona cur jungat pravis, hominumve sortium
  Cur infelicem quem velit esse deus.
Nec, cur sæpe bonis terrarum dona negarit,
  Sæpe malis larga cur dederitque manu.
Esse deum natura mihi; non turba sophorum,
  Et simplex testis cor ratioque mea.
Perque hunc me natum, me vivere sentio; mundi
  Vi sine nil ortum, nil viguisse, dei.
Non ego me tantum præ te rear esse, creator,
  Immenso quantum gutta sub oceano.
Te coram gentes, quasi non sint, esse putatas,
  Sacrato vates prædicat ore tuus.
Cur ego tantillus, qualis tu, dicere, mundum
  Cur digito credam volvere posse meo?
Quæ fas nosse hominem, quæ tu celaveris, ipse,
  Quem mihi das, sensus me ratioque monent.
Quid juvat, ah, proprios homini transcendere fines?
  Quærere quid, condit quæ deus ipse, juvat?
Quam bene gentilis quondam sapientia, numen
  Quo magis inquiro, se mage celat, ait!
Scilicet invito majores tendimus esse,
  Et flagrat artifici par opus esse suo.

Scilicet immensum se hominum genus esse putavit,
Se circum quoniam cuncta minora videt.
Quippe suam fecit terram, domuitque leonem,
Et torvum duxit sub juga dura bovem.
Illa sed ipsa, sibi quæ tanquam nata gubernat,
Quo veniant, nescit, quoque animata modo.
Quis, lapidem, novit, quæ vis stringitve metallum,
Vel, sua crystallis unde figura manet,
Unde novo tellus se gramine vestiit, unde
Puniceæ fragrant vere tepente rosæ?
Quis potis, ingentem quid tollat in æthera quercum,
Glandis in exiguæ germina clausa sinu,
Quisve potis, fido quæ sit mens, dicere, cari
Quum domini totus pendet ab ore canis;
Vel, quæ vix natæ, quum texit aranea telam,
Vel, quæ mella favis quærere jussit apem?
Quo tendis te te ignorans homo! Nescius, ipse
Ut vivas, proprias ut moveasque manus,
Omnia cui parent, conaris noscere numen,
Sub leges mundum visque vocare tuas?
Ecce, dei partem te te facis, ecce figuram,
Æternum monstret quæ peritura deum;
Commiscesque una migrantes corpore mentes,
Diversas unum ceu mare miscet aquas;
Teque unum ponens, ex temet cuncta profundis,
Contemplans unum teque deumque tuum;
Materiemque omnem jam fingis mente revinctam;
Jam fingis pondus; mens nisi pellat, iners.
Ecce, atomis cœlum terramque animasque creasti,
Nil tua curantes pace beasque deos.
At mihi ne redeat posthac tam cœca cupido,
Sat mihi sit testem cor, deus, esse tui.
Sit satis esse bonum me te voluisse, beatam,
Ne dubitem, sortem te voluisse meam.
Quæ nunquam fallax loquitur sub pectore, recti
Sit mihi vox testis, me placuisse tibi.
Sic mihi sit spes fida comes, sic vita serena,
Sit mortisque, velis, hora serena meæ.
Non me terreno licuit quæ cernere voltu,
Da deus in cœlo sancte videre tuo.

IPSE JUBET MORTIS TE MEMINISSE DEUS.

Quo minor est vitæ quæ pars de stamine restat,
Crebrior ante oculos mors ubicunque meos.
Sive ego perculso mœstum quid corde revolvo,
Seu cedunt curæ, fronsque serena redit;
Sermone intentus cari seu lætor amici,
Aut lyra me, magnis scripta tenentve viris;
Naturamve sequens ditem mirorque beatam,
Florentes campos per viridansque nemus:
Quidquid agam reputemve, omni mihi protinus hora
Mors præsens, rebus se sociatque meis.
Non tamen importuna venit, nec pectora turbat,
Quin, mihi sunt mentis quæ bona vera, fruar.
Nec mihi jam propior mage mors horrenda videtur,
Quam stadii vitæ parte priore fuit.
Multa minus terrent sæpe occurrentia, multa
Cernenti propius sunt metuenda minus.
Ne mortem paveas, aude spectare, ferenda
Luminibus species mox erit illa tuis.
Immemores leti juvenes consuevimus esse:
Extremæ sortis vix meminisse vacat;
Præsertim melior felix cui contigit ætas:
Non nituere mei tam sine nube dies;
Non adeo mollis mea semita, non mihi; nollem
Ut meminisse mori, vivere dulce fuit.
Quo mihi nunc mage sit leti formido pudori;
Si mage, quam juveni, turpe timere viro.
Naturæ, ah, nimis insipiens, parere libenter
Non potuit longa qui didicisse die!
Tendere ad oceanum quis flumina prona queratur,
Aut certas lunam per remeare vices?
Quis lenes, zephyro frondes agitante, susurros?
Fulmine concussos quis reboare polos?
Qui mirere magis, nil hic nisi vivere morte,
Vitæque extinctæ germen inesse novæ?
Exiguo spatio marcescunt lilia; sole
Sub tepido pulchris est brevis hora rosis;
Quæque redit nudis verno cum tempore ramis,
Brumalis nemorum decutit aura comam.
Nascimur in mortem, morituri vivimus, unde
Venimus, huc celeri tendimus usque gradu:
In mortem teneris augescit viribus infans,
Et roseis floret virgo decora genis;
In mortem matura viro stant robore membra,
Et rigido curvat poplite terga senex.
Cuncta vides nexu vitæ letique teneri,
Naturæ ut discas vivere lege tuæ.
Hoc veteres, omnis docet hoc sapientia sæcli,
Sic Tulli, Senecæ sic gravis ora docent.
Quippe hominem deus ipse jubet contemnere mortem,
Ipse nimis terræ dona adamare vetat.
Sanctaque religio, cœlesti stirpe creatos,
Et sortis memores nos monet esse novæ.
Ah, miser, extingui se se cum corpore credens,
Interitu brutis qui facit esse parem,
Scrutari mundum, voltus quem tollere ad astra,
Cognatosque videt quærere mente deos!
Qui potis una dies illi transire serena?
Qui requiem, pacem qui reperire potest?
Me duxit meliore brevis spe semita vitæ,
Inque fides mundi stat mihi firma deo:
Terrena cujus me quum vox sede vocabit,
Sic veniat mortis non gravis hora meæ.

AUTUMNUS.

(Alph. De Lamartine Meditatio XXIX. *L'Automne.*)

Velatæ viridi sylvæ salvete relicto,
Et frons sparsa super cespite flava jacens!
Vergentis salve nitor anni! Grata dolori
Fles natura, oculos mœsta juvasque meos.
Percussus ducor secreto tramite mentem,
Postremo gaudens hac videoque die
Pallentem solem, cujus vix debile lumen
Ante meos nemorum transit opaca pedes.
Scilicet autumni exspirans natura diebus
Me mage velatis detinet illecebris.
Hoc vale, hic risus teneri supremus amici,
Æterna quæ jam morte premenda, labris.
Sic ego jam vitæ ploro cessurus ab ora,
Spes longos fecit quæ mihi vana, dies,
Respiciens etiamque retro, voltuque dolente
Contemplans, mihi quæ deperiere bona.
Tellus, sol, valles, dulci natura decore,
Ad tumulum vobis fas fluere hanc lacrymam.
Suavis odore aer, lux o purissima, solis
O oculo pulchrum sub moriente jubar!
Illum nunc ipsa gauderem ducere fæce,
Nectare qui cyathus felleque mixtus erat!
Forsitan illius cyathi, vitam unde bibebam,
In fundo mellis gutta relicta fuit?
Num mihi servabant misero ventura beatas,
Quarum spes periit, tempora forte vices?
Fors ignota mihi de millibus una dedisset
Respondens animæ conscia signa meæ.
Labitur atque suos zephyro flos tradit odores:
Hoc vitæ, luci hoc ingeminatque vale!
Me moriente, meus sic dum vanescit in auras,
Tristis ut exhalat spiritus harmonia.

VALLIS.

(Alph. De Lamartine Meditatio VI. *Le Vallon.*)

Non mea jam, cunctis, jam spe quoque pectora lassa,
Tentabunt ulla fata movere prece.
Tu modo, dum moriar, me unius lucis asylo
Suscipe, quæ puero cognita vallis eras.
Anfractu patet en tenuis mihi trames opaco,
Dependet densum collis utrinque nemus,
Umbris quod mistis supra mihi fronte recurvum;
Me tacitum, pacis me requiete tegit.
Hic duo frondoso rivi sub ponte latentes
Designant vallis rore sequace sinus.
Cumque undis murmur miscent, ab origine, nullo
Nomine, non longe mox pereuntque sua.
Non aliter nullo nobis cum murmure, nullo
Nomine, fons vitæ, nec rediture, fluis.
Lympidus ast illis liquor est, nullius amœnum
Sed retulit solis mens mea nigra jubar.
Frigora dans alveus, quæque ambit frondea, rivi
Marginibus totum me tenet umbra diem.
Ut cunis infantem uno melos usque tenore,
Sic mea consopit pectora murmur aquæ.
Illic, ah, vallo viridanti cinctus, et arcta,
Luminibus cœli quæ satis ora meis,
Natura lætor socia, fixo pede, solas
Auscultoque undas, intueorque polum.
In vita nimium, ah, vidi sensique et amavi!
Lethæis requiem quæro superstes aquis.
Vos loca pulchra mihi dans este oblivia littus;
Non ego jam felix, si memor, esse queam.
Corde quies, animusque silet, mundique remotus
Est procul, adveniens emoriturque fragor,
Longinquus veluti spatio tenuatus ad aures
Vix venit incertas, quem tulit aura, sonus.
Hinc ego præteriti tanquam sub temporis umbra
Per nebulas vitam cerno latere meam.
Solus amor superat, vigilem quum somnia linquunt,
Grandia ceu præter nil simulacra manet.
Hoc sub perfugio mea mens requiesce supremo,
Spes cui blanda replet corda, viator uti,
Quam petit, ante urbis considens vespere portas,
Aera paulisper spirat odoriferum.
Excusso pedibus, subeamus, pulvere, ut ille;
Non homini fas est hanc rediisse viam.
Ad metam spatii nos respiremus, ut ille,
Quæ pace æterna est excipienda quies.
Ut bruma veniente, tui nigrique brevesque
Vergunt, in prono collis ut umbra, dies.
Prodita amicitiæ, nec jam miserabilis ulli;
Non ullo ad tumulos is comitante viam.
Sed præsens quæ te natura invitet ametque;
Te, semper pandit quem tibi, merge sinu.
Cuncta licet mutent, eadem est natura, diebus
Idem, qui fuerat, sol oriturque tuis.
Usque ea te circum lucem diffundit et umbram:
Solve animum a falsis, quæ peritura, bonis.
Hic, quam Pythagoras, echo venereris, ut ille,
Cœlestes gaudens aure bibisse modos.
In cœlo te lux, in terris te trahat umbra,
Aeris in campo te vehat ala noti.
Cum radiis astri convallis repe sub umbram,
Lene quod arcano per nitet ore nemus.
Prudentem fecit deus, ut mens nosceret ipsum;
Natura auctorem det tibi nosse suum.
Est animo quæ vox, taceat licet ille, loquetur;
Huic quis non voci conscia corda gerit?

DOXOBROMOS DEMISSA AURE AMBULANS,

AD THELANDRUM.

Qui mecum fatuos ridebas sæpe, Thelander,
Hæc etiam sannis accipe digna tuis.

Doxobromos nuper, sophiæ de fonte perenni,
Legit de capsis aurea dicta suis,
Naturam pandens, leges hominumque deûmque,
Quæque Thetis primo vagiit alma sono.
Surgit opus mixtum pueri cerebroque magistri,
Plumbea gemmarum lamna decore nitens,
Crystallique crepans formas textumque cumini,
Nugarum quidquid mens tenebrosa fovet.
Talis multivaga missus statione libellus
Per mundi varias itque reditque plagas;
Sexcentos tandem prodit limatus ad ungues.
Quis digna tantum laude coronet opus?
Doxobromos Batavos precibus Gallosque, tuæque
Sollicitas gentis lumina blandiloquis.
Est qui promittat; remanet pars muta, fatetur
Materiem vires pars superare suas.
Unus non humili lassatus cornua flatu.
Impellit, meritis nec sonat æqua tuis.
Quid fiat, solito memet nisi more celebrem?
Nunc decet Isiaca sistra crepare manu!
Me duce naturæ tandem fugere tenebræ:
Jamque jocus pueris, quæ latuere viros!
Ecce, suas primo cunas mihi diva reclusit;
Ecce, meo Thetidos sacra reclusa libro!
Nunc nugas, nunc vasta volumina tradite flammis;
Nunc nova principiis ponite templa novis.
Hic ego Germanis puerili notus ab ævo,
Hic ego ter rarus vectus ad astra sophus;
Quem procerum primi, reges mirantur et ipsi,
Incassum cathedris me repetuntque suis.
Talia Doxobromos latum proclamat in orbem,
Perque suas, socias per reboatque tubas,
Quaque Tagus, qua Wolga fluit, qua Sequana, Rhenum,
Quaque Padum, Scaldim qua Ligerimque bibunt.
O ego tum quanta vidi se mole ferentem!
Quæ frons, quæ buccæ, quale supercilium!
Sub nostro sed enim sunt omnia sole caduca.
Ejusdem ludi, en, alter alumnus erat,
Fasciculos servans ejusdem ex ore magistri,
Quem puerum criticus læserat ille puer.
Is pœnas censor censorem poscit, amaris
Sublimes nugas exagitatque notis.
Non gravior clades ventosum adflixerat unquam;
Vix non fasciculos oderat ipse suos.
Hinc pallens etiam demissaque ambulat aure:
Sic vani moritur gloria fluxa gregis.

MEDICINAE DOCTORI INTER EPULAS RECITATA.

Defensis doctis, salve, suavissime, chartis,
Artis Apollineæ lætus honore redux.
E tanto salve rediens certamine victor!
Victoris cingant debita serta comas.
Ipse inspirabat certantem divus Apollo,
Formabat voces ipsa Suada tuas,
Adstabant una Charites Musæque faventes;
Adstabat, sancte quam colis, alma Venus.
Doctor, io, avibus ter gaude dicte secundis!
Ingenioque potens jam magis alta move.
En patet immensus tibi vasta Lutetia campus:
Hæc studiis cernis digna theatra tuis.
Hic quondam (sic musa jubet prædicere vatem)
Ibit magna tui fama per ora virum;
Aeternumque tibi, jam nunc quæ scripta profunda
Mente agitas, lato nomen in orbe dabunt.
Interea, dilecte, novum celebrare juvabit
Nos decus, et votis jungere vota tuis,
Quo maneat felix longos tibi vita per annos:
O lætos omnes digne videre dies!
Egregios tibi nam tribuit natura benigna
Mores cum rari dotibus ingenii.
Tu pius es placidusque, tuis tu dulcis amicis;
Te pudor ingenuus simplicitasque regunt;
Et tenero castum pectus finxere Camœnæ,
Et docilem sacris erudiere suis;
Nec mens socraticis minus est exculta libellis,
E terra ad superum docta volare domos.
Ergo age, lætitiæ, lætis, suavissime, rebus,
Jam nunc augurio corda reclude bono!
Vina patri Baccho, sanctis nos vina Camœnis
Fundamus tecum, castalioque deo;
Vina pie ante alios matri fundamus amorum;
Præcipue votis nam favet illa tuis.
Ecce suo adducit jam sponsam mitis alumno!
Ecce tuum poscit rara puella torum!
Artis et ob summos qui nunc celebraris honores,
Conjugio felix mox celebrandus eris.

PUER LUDENS.

(Schilleri *der spielende Knabe.*)

Lude, puer, matris gremio, non turbat in ora
Te sacra mœror, non nigra cura subit.
Horrisonam supra te mater amans tenet undam,
Et culpæ rides nescius in barathrum.
Dum circum Arcadia est, insons et amabile lude;
It natura libens, quo tua corda vocant.
Luxurians ficto se etiam vis orbe coercet,
Pronoque officium metaque deest animo.
Lude! gravis veniet tibi mox ærumna, jubenti
Officio quum vis una animusque deest.

NATURÆ.

(F. L. Stolberg *an die Natur.*)

Dulcis, sancta, tuo, natura, in tramite tendam;
Sit, puero ut nutrix, dux mihi dextra tua.

Ad tua cœlestis lasso mihi corda voluptas
Ceu teneræ spiret matris ab uberibus.
Ut tecum esse juvat! Te dulcem semper amabo;
Da, natura, tuas sancta meare vias.

VATES MUNDI PRIMÆVI.

(Schilleri *die Sænger der Vorwelt*).

Dic, ubinam egregii, naturæ, dic, ubi vates,
Intentos populos qui rapuere sono,
Qui terræ divos, hominem qui munere musæ
Ingenio intulerant altivolante diis?
Ah! superant vates, desunt modo facta canenti;
Hei, lyra quam mulcens gaudeat, auris abest!
Felicis mundi felix quæ corda movebat
A stirpe ad stirpem musa per ora volans!
Ingenium quodcunque loquens fingensque creabat,
Sub lare ceu divos, quisque colebat opus.
Auscultans animus vatis flammabat ab igne,
Auditor vati mutuus ardor erat.
Felices, populi queis corde sonabat et ore
Vatem musa colens exstimulansque suum,
Queis externa etiam in vita cœleste vigebat,
Heu, numen nunc vix pectoris ima ciens!

AMICIS MEIS.

(Bouterwekii *an meine Freunde.*)

Somnus me quum junget iis, queis nulla salutans
Gaudia mane refert; quod superatque mei,
Exigui cumulus quum pulveris ossa recondet,
Num, cari, memores, candida corda, fore,
Num fore, vos dicam? Longe qui dormit, amici
Num vobis umbræ lacryma sacra cadet?
Quum mihi non ulva ventus, non fronde susurrat
Ulmorum, lætus conticuitque diu,
Qui chorus aligerum mulcet concentibus aures:
Hos musco sparsos, ecquis, ut ad tumulos,
Vespere tunc tiliæ, zephyro modo teste, sub umbra
Ingemet: hei, cordi quantum erat ille meo!
Mollius in gelidam mortale hoc, sentio, noctem
Mergetur tegumen, dum, requiete sacra,
Norim, vestro animo mea quod spirabit imago;
Lenior et, quamvis mente tremenda sonet,
Vox mihi mortis erit, mage sentio vestra per illam,
Quum desiderio corda dolere meo.
At, diversa cadat si fors, algentis amici,
Jam proprius metam, me turbare manu,
Si neget, ignotam in terram; cunctos adeo si,
Per quos felicem me jubet esse deus,
Mors rapiat nobis, si, quæ mansura putabam,
Gaudia vobiscum nigra sepulchra tegant? —
Hei, rarus vitæ in campo flos! Sed tamen esse
Hic suave et pulchrum, candidæ amicitiæ,
Quantumvis aspro clivo, quum sole fovemur. —
Cedo libens; vobis at superesse, animum,
Non fero, quum subiit. Mihimet bona flagito soli:
His veniam votis vos meus orat amor.
Sic mausoleo monumentum pulchrius omni
Des, natura, mihi! Quo viget herba recens,
Vicinis halent tumulo de floribus auræ;
Cespitis at summum, quo mea clausa cinis,
Vos cano ornetis saxo, melius quod ut illam
Protegat, hoc in eo carmen arate breve:
Hic, ubi non stolidus nectit palmam, neque felix
Corda gemunt scelus, hic, tandem ubi certa videt,
Discusso sapiens errore, hic pectore adorans
Virtutem juvenis, veri et amore flagrans,
Conditus est, quia nactus amicos, qui, omnia nactus,
Fortunam ipsius spreverat immemorem.

MEMORIÆ NIC. ANSIAUX,

FAC. MED. IN UNIVERS. LEOD. PROF.

Illustris raptum dum plorans morte Leodium
In laudes Ansiaux consonat omne sui;
Me quoque de caro sit fas cecinisse legendum,
Linguæ stet Latii donec in orbe decus;
Marmora quod Grajum spirantia vincat et æra,
Varo ceu flevit quæ Venusinus olor:
Tanto si caleant mihi pectora numine; fama
Sed brevis est musæ si qua futura meæ.
Nec parvum deceat præconia nectere, vulgi
Quem supra virtus extulit ora, viro.
Sit satis, umbra verenda, mihi, unum me esse dolentum,
Te civem nobis interiisse bonum.
Inclyta, non ego, quanta tuæ miracula dextræ,
Non, medica fueris quantus in arte, canam;
Nec, quantum fidus carusque et dulcis amicus;
Par summis minimo nam quoque comis eras;
Nec generosum animum, largus quo sæpe fovebas,
Queis fortuna suam dura negabat opem;
Utque tuas numerosa scholas mirata juventus,
Et famæ et decoris tot monumenta tui.
Tot bona naturæ, studii tot præmia docti,
Omnia te in tumulum, heu, mors tulit atra vocans!
Quem circum gemuere boni, quem funera mœrens

Adspexit civis turba secuta sui.
Te cives, Ansiaux, longinquis te quoque terris
Flebunt, eximium qui coluere viri.
Ignavis miscet præstantes Atropos, antè
Vergentes rupit quæ tua fila dies.
At pulchræ superant et florent semina mentis:
Sic etiam tua post fata superstes erit.
Hæc tibi collegam sint munera grata verentis,
Hæc mea sunt cineri serta dicata tuo.

GOETHEI ELEGIÆ XXIII. (*)

I.

Dicite, saxa, mihi! Vos, celsa palatia, vocem
Edite, vos, plateæ! Nonne movere, geni?
Nempe, æterna, sacris in mœnibus omnia vivunt,
Roma, tuis, uni sed mihi cuncta silent.
Quis vocat, o, nutu? Qua quondam cerno fenestra,
Urendo quæ me rara puella beet?
Nondum conjicio, pretiosa quibus sine fine,
Usque means, remeans, tempora fallo viis?
Regia nunc ego tecta, columnas, templa, ruinas
Miror, ne pereat, more caventis, iter.
Sed brevis hic etiam labor est; mox una coluntur
Templa mihi: sacrum mox habet unus Amor.
Mundi instar tu Roma quidem, citra sed amorem
Qui mundus mundus, Romave Roma foret?

II.

Suspicite at, quemcunque juvat; nos tuta tenemus,
O morum, dominæ vos dominique, lepor.!
De patruo, patrueli, amita, socruque rogate;
Chartarum angustus tædia sermo trahat.
Tuque mihi, desperantem quæ sæpe tenebas,
Gens, parvis magnis cœtibus inque vale!
Quæ finxit sibi quisque sophus, reputate, per orbem
Dira viatorem quæ repetita necant.
Parisiis olim ut *Malbrough* melos usque Britanno,
Ad Ligures, Romam hinc Parthenopenque comes,
Instabat: *Malbrough*, Smyrnam si vela dedisset,
Hic quoque erat; *Malbrough* in statione melos.
Sic mihi nunc passim, quacunque incedo; ferenda
Regum in suasores in populosque probra.

(*) Ex his ipse viginti, quas hic, servato archetypi ordine, posuimus, romanas adpellavit, sive, quod Romæ composuit, sive propter similitudinem cum veterum elegiis, de qua nos in epistola, adhærenti libello: Gœthei elegiæ XXIII. et Schilleri campana. — Leodii 1824.

Tam cito sed jam me non invenietis asylo;
Me patronus ubi rexque recepit Amor.
Hic tutum pennis operit; Romana timere
Nam mea Gallorum nescit amica minas.
Rumores non illa novos, at sedula curat
Vota, dedit sacrum cui sua corda, viri.
Hospes eam recreat liberque valensque, nivosos
Qui narrat montes roboreasque domos.
Ipsaque flagrat, eum queis urit pectora, flammis;
Et mage Romana laxa crumena placet.
Mensa nitet melius, nec vestimenta, petenti
Nec scenæ ludos commoda rheda deest.
Hospite cum arctoo materque et filia gaudent:
Romano regnat barbarus in gremio.

III.

Ne pigeat cito te victam, mea vita, proterva,
Nec, vilisve mihi ne videare, time.
Tela puer non una vibrat: quondam levis ictus,
Corque urunt longam lenta venena diem.
Penna potens aliis, acieque recente medullas
Per penetrant, venas perque repente flagrant.
Heroum sæclo quum arderent dique deæque,
Cernere flamma fuit, concupiisse frui.
Idæ quum nemore Anchises placuisset, amoris
Anne putas dubia mente fuisse deam?
Invida formosum pastorem suscitet Eos,
Oscula sopito ne cita Luna ferat.
Leandrum adspexit festis strepitantibus Hero;
Nec mora, nocte flagrans per freta navit amans.
Sylvia Rhea petens it regia virgo liquorem
Tybridis, errantem corripit, ecce, deus.
Sic prolem genuit Mavors! - Geminos lupa lactat;
Mundi se dominam Martia Roma vocat.

IV.

Dæmona quemque pie taciti veneramur amantes,
Quemque deum optamus, quamque favere deam.
Sic similes tibi, Roma, sumus; nam totius orbis
Tu divis victrix reddere sueta domos,
Seu nigro rigidos basalte Ægyptia finxit,
Sive albo teretes marmore Graja manus.
Non tamen offendit superos, pretiosius uni
Divarum turis nos adolere genus.
Vota, fatemur enim, cultus nosterque diurnus
Ante alios uni nempe dicata manent.
Mystica festa vafrique hilaresque agimusque severi,
Sacratum quemvis rite tacere decet.
Ocius ad talos, patrantes dira, vocemus
Eumenides, durum judiciumque Jovis
Ocius in volvente rota saxove feramus,
Blandum quam mentis ponere servitium.
Quæ dea sit, rogitas? Occasio; nosce potentem.
Sæpius adparet, forma sed usque nova.
Protea quam genuisse putes, cujusque fefellit

Heroas multos versa figura, Thetin.
Sic et nata rudem timidumque fefellit, et usque
Sopitumque ciet, pervigilemque fugit.
Nec promto nisi se dederit fortique libenter;
Huic docilis, ludens, huic tenera atque favens.
Et mihi, fusca puella, olim obvia venit: opaca
Pendebat facilis plurima fronte coma;
Cincinnus circum brevis ibat colla venusta;
Crispi surgebat vertice crinis apex.
Agnovi, rapuique citatam; nec mora, suave
Oscula et amplexus reddidit illa volens.
Felicem tum me! felix sed transiit hora,
Me vinctum cirris Roma tenesque tuis.

V.

Classica nunc lætum me inspirat, sentio, tellus;
Gratius adfantur me graviusque movent
Nostra priorque ætas; veterum memor hic ego volvo
Consilii libros, et fruor usque novis.
Diverso sed nocte tenemur amore magistro;
Me minus ut doceat, bis tamen ille beat.
Cur tamen haud docear, lepido dum pectore dextra
Vestigat formas, per trahiturque latus?
Marmora sic demum bene calleo, confero mente,
Contrectoque oculis, intueorque manu.
Utque horas aliquot rapiat mihi lucis amica,
Noctu compensat, quas mihi luce rapit.
Scilicet et sane loquimur post oscula; somnus
Dumque tenet caram, multa voluto jacens.
Quin fueram illius jam sæpe poeta sub ulnis,
Hexametri digito lene premente pedes
In tergo numerans. Blando gemit illa sopore;
Inflammatque anima pectoris ima mei.
At tædam custodit Amor, meminitque dierum,
Fecit idem Crassis quum Lepidisque suis.

VI.

Siccine, crudelis, potis es me lædere? Amantum
Verbane tam vestris dura et acerba plagis?
Digna feram populi convicia; nempe nocentem
Me novi, atque tui, heu, me facit unus amor!
Vestes hasce, vides; vicina habet invida testes,
Non ultra solam flere virum viduam,
Nonne nigrum sæpe ad lunam te pone rotundis
Involvit temere fusca lacerna comis?
Nonne jocans etiam venisti, larva, sacerdos?
Sis, age! Prælatus, sic volo, jam mihi sis.
Presbyterorum est Roma; meo, vix credere fas est,
Sed juro, potuit nemo jacere toro.
Pauper eram, hei, juvenisque, nec insidiante carebam!
Sæpe oculos fixit Falconieri meis;
Nec minus Albani diti me leno tabella
Tibur et ad fontes quatuor allicuit.
Ast ego: eant aliæ; penitus violacea semper
Sic invisa mihi rubraque sura fuit.
Quippe pater: tandem vos pars decepta, puellæ;
Quanquam mater erat relligiosa minus.
Sicque ego sum tandem, video, decepta; sub iræ
Tu specie capies, quam meditare, fugam.
I! Nostro indigni vos semper amore: puellæ
Sub corde infantem nos gerimusque fidem.
Ast effusa, viri, vos impetus atque cupido
Linquunt amplexus inter amorque simul.
Sic mea lux ait, et sublatum sede puellum,
Lumina rore madens, pectore et ore fovet.
Me vero ut puduit, linguas potuisse malignas
Tam dulcem speciem commaculare mihi!
Obscure flagrat, flammam superante vapore,
Ignis, ubi ardorem comprimit unda repens;
At cito clarescit, fumos pellitque nigrantes,
Altius assurgens et nova flamma micat.

VII.

Ut lætum Romæ me sentio, quum subit, axe
Luxit ab arctoo quæ mihi nigra dies,
Atque gravis capiti cœli caligo, nec ægram
Seu forma mundus sive colore movens,
Quum tacite semet mens contemplata, quietis
Nescia, per cœcum mœsta mearet iter.
Purior at frontem nunc æther luce serenat;
Emicat ardenti forma colorque deo.
Lucida nox stellis, molli cantuque sonora,
Clarior arctoa est et mihi luna die!
Mortalem quæ tanta beant! Num somnio, an aula
Me pater excipies Jupiter ambrosia?
Hic jaceo, genibusque tuis, en, brachia tendo;
Orantem me audi, Jupiter o Xenie!
Ingressus qui sim, non est mihi farier; Hebe
Corripiens traxit sub tua tecta vagum.
Fallor, an Heroem jussisti adducere divam?
Da veniam pulchræ; sit mihi culpa lucrum.
Scilicet ipsa tibi Fortuna est filia, summa
Quæ jacit arbitrio dona puella suo.
Si deus es Xenius, semel, o, quem cepit, Olympo
Parce tuo terris reddere præcipitem.
Quo rapiere, poeta? Ignosce pater, Capitoli
Excelsus tibi mons alter Olympus erat
Jupiter, hic me ferre velis; post lenis ad orcum
Mercurius Cæsti præter agat tumulum.

VIII.

Quod te parvulam ais nulli placuisse, parenti
Quin ipsi spretam te, mea vita, tuæ,
Donec crescentis sensim natura pateret,
Credo, teque tuam, me juvat, isse viam.
Scilicet et vitis deest flori forma colorque,
At matura homines uva deosque beat.

IX

Autumnalis agreste nitet socio focus igne:
Ut crepat, ut surgens virgea flamma sonat!

Hoc mage delectat me vespere; carbo priusquam
Fascis consumti solvitur in cineres,
Dulcis amica venit: virgæ stipesque flagrabunt,
Festaque fit nobis nox calefacta dies.
Sedula mane relinquit amoris strata, novasque
Continuo flammas elicit e cinere.
Quippe Amor hoc blandæ dedit, ante ut suscitet omnes,
Quæ, cinis ut, placide gaudia lapsa modo.

X.

Et Macedo et Cæsar, magni, Carolusque Petrusque
Dimidium famæ dent mihi quisque libens,
Hunc illis possim noctem si cedere lectum,
Sed magnos orci claustra severa tenent.
Gaude ergo strato, qui vivis, amore calente,
Ante fugax Lethe quam tibi planta riget.

XI.

Vos pura, o Charites, paucis foliis colit ara,
Et fert turgentis dona poeta rosæ.
Fert fidens; nempe usque suo simulare labore
Circum lætantur Pantheon artifices.
Sidit sancta Jovi, tollit Saturnia frontem,
Ingreditur Phœbus cæsariemque quatit.
Torva Minerva solum, levis ast obliqua tuetur
Idem Mercurius callidus atque tener.
Suave sed ardescens mollem tremulumque Lyæum
Marmore sub duro respicit uda Venus,
Amplexus meminitque libens similisque roganti:
Quin adstat nobis filius eximius?

XII.

Audin' Flaminia lætum, mea vita, fremorem?
Audin' messores? Ad sua tecta procul
Hinc redeunt, postquam Romano condita messis,
Qui Cereris spernit nectere serta comis.
Nulla celebrantur magnæ nunc orgia divæ,
Quæ dedit in glandis tritica flava vicem.
Nos tacite festum læti celebremus: amantes
Pro cœtu populi sunt sibi nempe duo.
Audistine unquam fando, dic, victor Eleusi
Huc quæ mature mystica sacra tulit?
Graji condiderunt; soli per mœnia Romæ
Graji clamabant: noctis adeste sacris!
Turba profana procul; novus alba stab alumnus
Veste pavens, puri pectoris indicio.
Tum miras species, varios inductus in orbes,
Horrebat, veluti somnia; namque solo
Hic angues volvunt squamas, hic clausa feruntur
Virginea spicis cincta canistra manu.
Multa sacerdotum monstrant cum murmure gestus,
Anxium habet lucis dum mora discipulum
Tentato varie tandem secreta revelant,
Ambages sacra quæ condit imaginibus.
Quæ secreta tamen, nisi quod complexibus olim
Herois placide se dea magna dedit?
Arcanas carpsit quum Cretum Iasius acer
Rex immortalis corporis illecebras.
Felix tum Crete; lectus genialis aristis
Intumuit, dives pressit et arva seges.
Cætera sed tellus languebat; pulchra quod alma
Munera neglexit mater amore fruens.
Fabellam mirans, nutu sacratus amicam —
Dulcis amor, nutus quo vocet, anne vides?
En, sacrum frondosa locum tibi myrtus inumbrat:
Non gemet humanum gaudia nostra genus.

XIII.

Nequam mansit Amor, fidentem decipit: ad me
Venerat insidians: nunc modo crede mihi.
Candorem cognosce meum; tibi vitaque cultu,
Et, fateor gratus, musa dicata meo.
Nunc adeo en tibi me Romam comitem; peregrinis
A me gratum aliquid te volo ferre plagis.
Hospitia incusat, scis, quisque viator: amore
Divinum hospitium conciliante patet.
Tu veterum spectans operum mirare ruinas,
Et sacris meditans hisce morare locis;
Et mage summorum artificum venerare, solebam,
Quos ego fingentes visere, relliquias.
Has ego fingebam species; non vana loquenti
Da veniam: dicta hæc vera fatere mihi.
Nunc, secus ex quo mî servis, quo pulchra figura,
Inventis abiit cumque colore nitor?
Fingere nunc iterumne juvat? Bone, mansit aperta
Grajum nec longa clausa palæstra die.
Æternum juvenis juvenes ego laudo magister.
Macte age! sic amo te; ne mihi prisca sape.
Nempe novum fuit antiquum felicibus illis;
Sis felix, age; sic sæcula prisca refer.
Materiem unde petes, ego si non præbeo, musæ?
Sublimem et formam te docet unus amor.
Sic ille. Hei, suevi, (contra dixisse sophistæ
Quis potis est?) dominus quo vocat, ire, meus!
Perfidus at dictis nunc stat, rem datque camœnæ,
Et mentem rapit, ah, vimque diemque simul!
Nutus, pressa manus, mellita vocabula amantes
Osculaque atque animi syllaba plena beant.
Hic murmur garrit, titubans hic blanda loquela;
Ad metricos hymnus non sonat ille modos.
Ut quondam te noveram amicam, Aurora, camœnis!
Anne, Aurora, malus te quoque ducit Amor?
Tu mihi nunc illius amica resurgis, ad aras
Illius, ad festam me revocasque diem.
Crine tumente meum pectus premit illa; lacerto

Fulta caput somnum colla fovente capit.
O lætam Auroram! quæ nostra sopore resolvit
Membra, voluptatis num mihi testis ades?
In latum labens etiam sopita movetur
Illa torum, retinet sed manus usque manum.
Nos sincerus amor, nos vincit mutuus ardor,
Et dulces tantum pacta cupido vices.
Lene premens digitum cœlestia lumina pandam.—
Ah, nondum! In forma sit mihi blanda mora.
Parcite, clausa, meam mentem miscere animumque,
Et placido puras rumpere delicias.
Quam grandes formæ! quam flectit membra decore!
Sic jacuit, sponso, heu, Cressa relicta suo.
Hæc labra tange labris, Theseu; fuge; — lumina pandit!
Inspicito; o nulla jam fugiture die!

XIV.

Fer lumen, puer! Ah, ellychnia cur oleumque
Perdere, quidve die clausa fenestra juvat?
Pone domos Phœbus, non montes pone recessit;
Horæ dimidium noctis abestque sonus.
Improbe, jussa facesse! Venit mea vita; levamen
Lychne, mihi, noctis nuntie dulcis, eris.

XV.

Non me longinquos cum Cæsare adire Britannos,
Sed comitem Floro grata popina juvet.
Tristis nam nebulis mihi longe invisior arctos,
Quam sunt australes, improba gens, culices.
Terque mihi posthac lætæ salvete tabernæ,
Vos, bene Romanus quas vocat *osterias*.
Namque hodie, quem me cupiens bona fallit, amores
Monstrastis patruo vos comitante mihi.
Hic socium mecum cingebant Teutones orbem,
Illic matre simul legit amica locum.
Multa movens scamnum, solers faciemque videndam
Dimidiam nobis totaque colla dedit.
Clarius inde locuta, hic quam Romana suevit,
Libat, meque tuens dum male vitra replet,
Pars quernam fluit in mensam, digitoque venusto
Extenso gyros illa liquore trahit;
Cumque suis miscet mea nomina; lumine aventi
Usque sequebar ego, nec latui, digitum.
Tandem romane numerum cita quinque figurat,
Præfigitque unum, continuoque notas
Nominaque, ut vidi, delens secat orbibus orbes;
Tetras at est oculis aurea fixa meis.
Labra, sedens mutus, lædo flagrantia morsu;
Nequitiis lætum torquet acerba mora.
Ad noctem, hei, mihi tot, tum quatuor insuper horæ!
Celse tuens Romam, Phœbe, morare tuam!
Nil fuit hac majus, nec erit tibi visere majus,
Dulce tuo vates ut canit igne furens.

Sed nobis hac luce velis properare, libensque
De septem citius lumina flecte jugis.
Queisque oculos ardet pictor mulcere, poetæ
Divinas horas contrahito precibus.
Suspice postremo celerans ardore obeliscos,
Culminaque et pilas æthereosque tholos.
In mare præcipita, citiusque revise, voluptas
Sæcula per tibi quæ cernere summa fuit.
Hocce palustre, diuque tepens sub arundine littus,
Hæc umbrosa rubis arboribusque juga,
Raris prima casis, subito felice videbas
Fervida raptorum confremuisse gregé.
Omnia dein congesta illuc: quem cernere velles,
Vix alius reliqui jam locus orbis erat.
Nascier hic mundum vidisti, hic rudera mundi,
Hic prope majorem surgere ruderibus.
Huncce tua diu uti candentem lampade cernam,
Fila mihi lente provida parca neat.
Sed properet belle hora mihi monstrata! Beato
Jamne sonat? Fallor; tertia sed sonuit.
Nempe meo, dulces iterum, quibus arceor igne,
Lenta fefellistis tempora Pierides.
At propero faciles jam nunc ignoscite; Amori,
Turba pudica, tamen ceditis usque locum.

XVI.

Cur non venisti ad collem? Te, care, supremo,
Ut placuit, stabam limite sola manens.
Intus eram, mea lux, patruum quum sorte benigna
Per palos vidi serpere sollicitum.
Erepsi properans. O quis te ceperat error!
Formido volucrum te pepulit! veteri
Nos celeres suimus panno calomoque figuram,
Sedulaque ipsa juvans in mea damna fui.
Quid, nisi vota senis? Vitis furemque puellæ,
Primam hodie pepulit nequitie volucrem.

XVII.

Tædia non unus nobis sonus, ante sed omnes,
Aurem quæ lacerant, ora canina ferunt.
Lætus at unius, vicini limina servat,
Acres gannitus audio sæpe canis.
Is quondam, tacite nostra repente puella,
Pæne vigil furtum prodidit ore meum.
Nunc quoties latrat, num, cogito, venerit illa,
Aut memini, venit quum ad mea vota, dies.

XVIII.

Una mihi ante omnes odiosa est, altera dira
Res manet, et cunctis, ut subit illa, fibris
Horresco. Vobis cur non fateamur, amici?
Soli nocte torus res odiosa mihi;
Dira sed est, angues timuisse in tramite amoris
Subque voluptatis tetra venena rosis;
Lætitiæ effusæ pulchro momento ubi circum

Inclinans volitat cura susurra caput.
Hinc felix mihi sors lecto Faustina libenter
Quæ fovet, in fidum sancta colitque fidem.
Ardentem juvenem juvat expugnare negata;
Commoda securum me et diuturna bona.
O nos felices! nos oscula tuta, vicissim
Nostra animam et vitam dantque bibuntque labra.
Sic nox longa beat, sic, pectora juncta prementes,
Audimus, venti ut grandine et imbre fremunt.
Sic lucescit mane, novis nova floribus, horæ
Quos festæ tulerunt, it decorata dies.
Felici ne, Roma, mihi sis invida: cuique
Det bona terrarum primaque et ima deus

XIX

Non facile vulgi fugimus convicia, Fama
Nam, scio, cum domino pugnat Amore meo.
Vosne etiam, irarum quænam sit, nostis, origo?
Est vetus historia hæc, meque referre juvat.
Diva potens semper, sed erat male grata sodalis;
Primum namque libens obtinet ore locum.
Omnibus hinc cœnis, magnis parvisque deorum
Ærata semper voce odiosa fuit.
Sic Jovis eximiam prolem, jactaverat olim,
In sua se totum dedere servitia.
Clavigerum quandoque meum tibi reddo renatum,
(Sic iterabat ovans,) o superum genitor!
Non illum Alciden, Alcmena qui tibi natus;
Terræ, me venerans, audit in orbe deus.
Rere patris spectare genu, quum spectat Olympum;
Solam, pace tua, suspicit ætheream
Me decus ille virum, facili tritum pede nullo
It fortis, solam me meriturus, iter,
Scilicet et curæ est ejus mihi nomen, et omni,
Quæ parat, antevolans facta celebro via.
Hunc mihi des olim. Qui vicit Amazonas, idem
Me vincat, sponsum lætaque dico meum.
Quisquis adest, mutus cavet irritare superbam;
Succensens etenim fingere amara solet.
Clam jactante recessit Amor, minimisque puellæ
Artibus Heroem tradidit illecebris.
Mutat deinde habitu, spoliumque leonis amatæ
Dat tergo, clavæ datque gravatus onus.
Herois rigidos tum stipat flore capillos,
Datque, jocum pugno non renuente, colum.
Sic lepidum cito par junxit; divina patrantur,
Tum superum currit tecta per ingeminans.
Non tellus ea, non vidit miracula cœlum,
Non sol æterno vidit in orbe means.
Ecce, vafro properant, namque os est seria fantis,
Credentes puero, Fama nec ipsa manet.
Huc cecidisse virum, fuerit cui dulce, rogatis?
Junoni; Puero risit amica semel.
Fama sed ut pudibunda, anceps ut stabat et exspes!
Prima jocans, larvæ! dixerat, o superi.
Heroem bene nosco meum. Nugis tragicorum
Ludimur! Heroem, heu, mox videt esse suum!
Sexcentis levior Vulcani partibus ira
Sub tenui uxorem rete videntis erat,
Robusto teneram quum nexam involvit amico,
Dulcibus e vinclis solvere membra negans.
Stabant Mercurius juvenis Bacchusque beati,
Jurantes ambo, pulchrius esse nihil,
Talisquam sponsæ requiescere pectore. Nondum,
Solve, bone, orabant, Lemnie; suave nimis.
Dedecus at proprium temnens tenet arctius usque
Vincla senex; furiis Fama sed acta fugit.
Ex illo binis iræ sine fine flagrantes:
Quem legit illa virum, protenus urget Amor;
Quo mage quis colit hanc, citius falletur ab illo;
Qui mage castus, in hunc fortior hostis erit.
Fidentem fugisse, agit in pejora; puellas
Adducit, sapiens qui male temnit eas,
Hic demum diro telis ferietur ab arcu,
Inque vir igne viros, in pecus igne ruit.
Quem pudet, acrius urit, acerbaque gaudia crimen,
Morbum dissimulans, anxius inter alit.
Ast oculis quoque diva illum et premit auribus instans;
Utque semel tecum vidit, iniqua sequens,
Oreque te spernit, voltu terretque severo;
Sævaque diffamat, quam colit ille, domum.
Sic mihi fit quoque; jam paulum premor; invida nam me,
Arcana inquirens in mea, diva notat.
Sed vetus hæc, memini, lex est: taceo venerorque;
Ut Graji, regum sic ego bella luo.

XX.

Si robur facilisque decet fiducia moris,
Ah, mage pæne decet scire tacere virum!
Murorum victrix, populos arcana gubernans,
Cara mihi, vitæ dux dea tuta meæ!
Quæ mutant me fata! resolvit musa jocosa,
Clausa malus nobis ora resolvit Amor.
Heu, jam difficile est abscondere turpia regum!
Quid diadema Midam, Lydave mitra juvat?
Detegit extensas servorum proximus aures;
Anxia secretum, nec mora, corda premit.
Ut se mole levet, velit id tellure recludi;
Condere rem tantam terra sed ipsa negat.
Assurgunt cannæ, vento resonantque gemuntque:
Longior, en regi est, longior aure Midas!
At mage difficilis mihi nunc res pulchra tacere:
Per labra quam facile, hei, pectora plena fluunt!
Non ego amico, non ausim concredere amicæ:
Objurget, metuo, hæc, ille pericla ferat.

Gaudia sed sylvis rupique referre sonanti,
Me juvenem, et decuit, quum mage solus eram.
Vobis hoc, elegi, sit fas narrasse poetam,
Quam me nocte beet, quam juvet illa die.
A multis quæsita viris, casses cavet, audax
Quosque palam, furtim quos posuitque vafer.
Scita latet fallitque volans, et novit, amatus
Qua manet intentis aure animoque via.
Luna, morare, venit; vicinus viderit illam!
Fronde, gradum ne quis sentiat, aura sona!
Vosque, elegi cari, florete et crescite; amanti
Vos foveat flatu lene tepens anima.
Tandem, canna loquax velut illa, docete quirites,
Quæ nunc par felix, dulcia furta, tacet.

XXI.

SE REVISENTES.

ILLE ET ILLA.

Uno suaviolo, ah, uno hæc etiam preme labra;
Cur tam parca hodie, dulcis amica, mihi es?
En hodie arbor, heri ut, floret; nos oscula mille,
Tutemet ajebas, junximus instar apum:
In vicem uti libant flores circumque vagantur,
Blando testantes murmure lætitiam.
Dulce etiam quæque urget opus. Num fugerit ante
Ver nobis, florem quam levis aura rapit?
Somnia, dulcis amice, fove, atque hesterna memento.
Grata refers, fido corde premoque tuum.
Hesternam dicis? Suavis, memini, fuit hora;
Murmura flagrantes miscuimusque labra.
Durus nos dirimens vesper, nox nosque diemque
Hesterna hanc dirimens longa et amara fuit.
At nobis jam mane redit. Cum floribus arbor
Interea, hei, decies cur mihi poma tulit!

XXII.

ALEXIS ET DORA.

Heu, præceps sine fine ratis per spumea quovis
Momento tendit longius usque vada!
Dat late sulcos, exultantesque carina
Delphinas, præda ceu fugiente, trahit.
Felicis sunt cuncta viæ; vectantia cunctos
Securus placide navita vela movet.
Lætis antevolant fluitantia signa; sed unus
Stat mœsta ad malum littora mente tuens.
Jam montes livere videt, jam sidere in altum:
Sidere cum terra gaudia quæque videt.
Te quoque, cara, fugit, tibi navis Alexin amicum
Quæ rapit, heu! sponsum quæ tibi, Dora, tuum.
Tuque oculis frustra me quæris: mutua corda
Nunc etiam nobis, heu! modo juncta, flagrant.
Unum, quod vixi, momentum, frigida fluxit,
Unum compensans, quæ mihi cunque dies!
Momento, ah, in te, divum ceu sedibus, uno,
Postremo, ah, venit vita repente mihi!
Omnia collustrans, candente quid æthere frustra
Invisum fundis nunc mihi, Phœbe, jubar?
In memet verti, mecum sit volvere dulce,
Ut fuit usque oculis obvia Dora meis.
Heu, tantam torpens formam poterasne tueri?
Non tua cœlestis corda movere Charis?
Ne temet miserum damnes! — Aenigmatis olim
Sic dubios cœtus arte poeta tenet.
Solers cuique placet varia sub imagine nexus;
Ast etiam sensus, voxque datura latent.
Quum patuit tandem, viden' ut frons lætior omnis;
Ut vim mirantes nunc mage ficta juvant?
Cur tam tardus, Amor, qua lumina nostra ligabas,
Cur nimis, ah, vittam tollere tardus eras?
Aura diu plenam jam navim læva tenebat:
E terra tandem spirat in alta favens.
Vana juventutis, vitæ mihi vana futuræ
Somnia, vos fugitis, sola sed hora manet.
Illa manet, sors blanda manet te, Dora, tenenti,
Dora tenens animam spes et imago meam!
Ad templum cultu te sæpe decente videbam
Solennes comitem matris ad ire gradus,
Ut veloxque foro fructus alacrisque ferebas,
Librante ut fidens vertice vasa lacu!
Ante alias tua tunc cervix, tua colla placebant;
Ante alias facilis flectere membra modus.
Sæpe etiam, tibi ne caderet teres urna, timebam,
Rite sed in panni torque manebat onus.
Sic ego vicinam, sic cernere, pulchra, solebam,
Ut stellas, lunæ sive quis ora tuens,
Lœtatur spectans, tranquilla nec ullus habendi,
Queis oculos pascit, corda cupido subit.
Sic anni fugistis! Erant passus modo tecta
Ad tua viceni: limina non tetigi.
Nunc dirimit mare nos horrens; quid cærula cœlum
Mentiris? mihi tu noctis es, unda, color.
Cuncta ciens instabat iter, quum ad littora curreus
De laribus patriis me vocat, ecce, puer.
Jam tolluntur, ait, fluitant jam carbasa vento,
Solvit et a terris anchora vulsa ratem.
Jam veni, Alexi, veni! Crines cum voce precante
Sancta boni pressit tum mihi dextra patris.
Fasciculum sed adhuc nato dat provida mater.
Felix, ingeminant, dite redique lucro!
Sic præceps juxta murum cum fasce sub ala
Descendo, stantem te videoque tui
Ante fores horti: tu ridens inquis: Alexi,
Qui strepitant illic, suntne viæ comites?

Nunc alias vises oras, pretiosaque mundi,
  Quæ matrona gerat dives in urbe, refers.
At mihi tu, (toties optavi, grataque solvam;)
  Exiguæ torquis ferre memento decus.
Constiteram, circa formamque et pondus emendi
  Te mercatoris singula more rogans.
Dumque hæres, pretium pensans, me colla lapillis
  Reginæ nostræ fulgere digna tenent.
It crescens navi clamor: tu blanda rogabas:
  Pauca etiam ex hortis accipe poma meis.
Aurea mala tibi, canentes elige ficus:
  Nec mare fert fructus, nec plaga quæque parit.
Sic sequor intrantem: propere tu poma legebas;
  Flavum succinctam dumque gravabat onus,
Sæpe ego: nunc satis est; tactus sed lene cadebat
  In digitos fructus pulchrior usque tuos.
Venimus huc tandem, corbis qua stabat in umbra,
  Et teneras curvans myrtus odora comas.
Hic confusa paras tacite componere, primum,
  Aurea ceu pila quæ grandia mala jacent;
Tum molles ficus, contingi lene timentes:
  Ornas et myrti munera fronde tegens.
Ast ego non tollo, defixus; lumina nostra
  Concurrunt, veluti lux refugitque meis.
Pectora juncta tuis tum sensi: stringo nitentem
  Cervicem, colloque oscula mille lego;
Ora meo ponens humero dum blanda lacertos
  Felicem circum tu quoque vincla dabas.
Junxit amor: sensi stringentem corpora; puro
  Ter tonuitque polo. Tum mihi larga genas
Lacryma roravit: felices flevimus ambo,
  Et miseris summus visus adesse dies.
Acrius usque fremunt nautæ: mihi pes negat ire:
  Æternum, exclamo, Dora, manesne mea?
Tu tacite: æternum. Voltus tum lacryma nostros,
  Molli ceu divum flamine pulsa, fugit.
Jam propiusque sonabat: Alexi! puerque tuetur
  Ostia per quærens. Ut calathum rapuit!
Ut pepulit me! ut dextram iterumque iterumque premebam! —
  Littus ut attigerim? Me similem memini
Lymphato, et visum sociis, parcentibus ægro.
  Pallebatque procul jam super urbe vapor.
Æternum! Lenis sonat hæc mihi, Dora, sub aure
  Vox, tonitrusque Jovis. Scilicet ante patris
Ipsa Venus solium, ternæ circumque sorores
  Adstiterant: junctos nos voluere dii.
At tu curre ratis, ventis o curre secundis;
  Spumea per tendens finde carina freta;
Inque peregrinum me portum fer, mihi dium
  Componat celeri pignus ut arte faber.
Parva catella tibi fiet jam, Dora, catena,
  Circumdet spiris quæ tibi colla novem.
Mille sed adjiciam mundo, decorabit et auro
  Effulgens digitos plurima gemma tuos.
Cyanus hic hyacintho, ardens adamante pyropus
  Oppositi certent; et rutilante mihi
Singula nectantur pulchre constricta metallo.
  Unica quam sponsum sponsa decora juvat!
Quaque mihi in bacca tua cervix, annulo in omni
  Occurret teretis forma venusta manus.
Quidquid emam mutemve, tuis pulcherrima votis,
  Uni, quidquid agam, dem tibi, Dora, libens.
At non sola decus gemmasque tuus dat amator;
  Gaudenti laribus fert quoque grata suis.
Puniceis tenui lana fert stragula limbis,
  Fido quæ socient nos foveantque toro;
Lina simul pretiosa: sedes tu, nesque, tegisque
  Me tecum, pignus quod dederisque mihi.
Ludite blanda meam mentem simulacra; frementes
  Pectoris o æstus di-cohibete feros!
Gaudia sed, quamvis sint mixta dolore, reposco,
  Quum, dire pacans, frigida cura subit.
Non fax Eumenidum, non Cerberus ore trilingui
  Damnatos terret mœsta per arva greges,
Ut me, quod longe spectrum mihi Dora quietum
  Monstrat: adhuc horti janua nempe patet!
Atque alius venit! Fructus labuntur et illi!
  Hic quoque, mel ficus, quo recreetur, habet!
Hunc quoque sub myrtum? Sequitur? Me reddite cœcum
  Di, pereat memor, o, omnis imago mihi!
Nempe puella manet! Tam se cito quæ dedit uni,
  Non alii longas fecerit illa moras.
Jupiter at jam non facilis perjuria ride!
  Sæve, tona! vibra! — Tela, pater, retine!
In me pelle vagas nubes, caligine nigra
  Fatalem petat hanc flamma corusca ratem;
Disjice convulsam! Merces vesana procella,
  Delphines prædam carpite membra mea!
Sed satis, o musæ: frustra tentatis amantum
  Lætitiæ et gemitus fingere corde vices.
Nec, quod fecit amor, vulnus sanare valetis;
  Vestra sed una, bonæ, suada levamen habet.

XXIII.

AMYNTAS.

Telephe, vir præstans, sanans cum corpore mentem!
  Aeger! sum nimis; at dura medela tua.
Ah! mihi consilium vires fugere sequendi;
  Hostis quin mihi mox instar amicus erit.
Quod suades, ratio suadet: mihi cuncta, severus
  Hoc etiam verbum dico, quod ipse taces.
Hei mihi! volvuntur rupis de vertice fontes,
  Nec citharæ rivi constitit unda sono.
Quid tempestatem frænat; quid in æquora solem
  De summo vetuit præcipitare die?
Sic circum natura monet: te legis, Amynta,
  Immitis pariter ferrea fata trahunt.

Frontis ne gemina rugas; bone, mollior audi,
  Hic ad stagna pyrus me docuit quod heri.
Pauca mihi nunc fert, olim quam poma gravabant:
  Stringentes hederæ, vincula sæva nocent:
Ast ego curvati non mitis acumine cultri,
  Vellebam trunco brachia, texta secans.
En, subito horrenti mihi vox queribunda susurrat,
  Suspirans alto verticibus gemitu:
Ne, precor, o horti fidum me læde sodalem,
  Debebas parvus cui bona tanta puer!
Lædere parce tuam; vastans cum retibus hisce
  Parce ferox vitæ rumpere fila meæ!
Non ego nutrivi, non duxi mollis in auras?
  Ut mea, cognata non mihi fronde viret?
Non adamem, tacite, nostri solius egena,
  Vi serpens avida quæ mea membra ligat?
Mille libro figit radices, mille penetrat,
  Mille mihi vitam nexa tenetque fibris.
Me carpens crescit; vigeam quibus ipsa medullis,
  Depascens, animam sic bibit illa meam.
Nec servare potis, vivus radice potenti,
  Heu! modo qui tenuis succus in alta venit.
Hospes namque mihi male dulcis poma daturam
  In media gaudet vim rapuisse via.
Nil caput attingit, circumque cacumina summa
  Arescunt, ramus jam super aret aquam.
Ah, bona, tu, male blanda, mihi, vitamque, vigendi
  Tu vires, ipsam spem mihi blanda rapis!
Tu stringens me sola beas; mihi gaudia vincla,
  Mortiferæ mihi sunt gaudia sola comæ.
O retine cultrum, miserando, Telephe, parce,
  Tabescens dulci qui perit igne libens.
Sit mihi, nam quidquid suave est, profundere vitam!
  Quis domino seros curet amore dies?

J. D. FUSS CARMINUM

PARS II,

LYRICA ET EPIGRAMMATA CONTINENS.

DE SCHILLERI POESI.

Schilleri quemcunque vides perennem
Vatis excelsi petiisse laurum,
Vana ceu contra strepitare cygnum
Audet hirundo;

Anser aut qualis, socius Tonantis
Aliti, tentat superare nubes,
Perque candentem gravibus vagari
Æthera pennis.

Nectaris rivos quis apollinari
Ore fundentem referat, profundi
Quis sacros digna referat camœna
Pectoris ignes?

Seu peregrinis genitam sub astris
Virginem fingit, melioris orbis
Vere pastorum populo recenti
Dona ferentem;

Sive campanam sapiens magister
Fundit, humanæ variamque nectit
Semitam vitæ, populique rupta
Lege furores:

Græciæ priscæve canit beata
Sæcla, mortales agerent serenos
Læta quum mundi juvenilis inter
Numina soles;

Sive virtutem jubet ille, terris
Exulem, cœlum patriam tueri; (1)
Seu fidem contra ratio rebellis
Cœcaque fata

Horrido versant animum duello;

Seu voluptatis genus omne rore
Fervet humanum, sociasque divæ
Tendit ad aras.

Poculum fœdæ magis e Charybdis
Faucibus mirer juvenem ferentem,
Regis immitis roseoque natam
Ore precantem,

Tene, dis carum, Fridoline, flammis
Livido salvum pereunte monstro,
Jamque non sævi Comitis stuporem, (1)
Vindice cœlo;

An magis turmas equitum feroces
Martios hymnos stupeam, rotato
Flebilis supra patriæ ruinas
Ense, tonantes?

Quantus at celso graditur cothurno,
Mentis humanæ superatque fines!
Numinis seu plena virago Franca
Prata gregemque

Et lares linquens tenues salutat;
Sive cervicem generosa ferro
Hostis, ah, diræ tenera it Maria
Victima tradens!

Fila Parcarum nigra sive ducit,
Corque pertentans tacito pavore,
Exhibet Martis sobolem tremendam,
Voce creata

Arma jactantem: (2) nimis, heu! dolosis

---

(1) Er ist ein Fremdling, er wandert aus,
Und suchet ein unvergænglich Haus.

(1) Nun, ruft der Graf und steht vernichtet,
Gott selbst im Himmel hat gerichtet.

(2) — Mein Name
Ging wie ein Kriegsgott durch die Welt.

Fretus ut stellis, properante fato, (1)
Cæsarum sacrata, nefas! parabat
Frangere sceptra.

Flamma cœlestis! superis ab oris
Misse terrenas habitare sedes,
Jamque cognatis sociate rursus
Schillere divis!

Sæculi gentisque tuæ benignum
Sidus! o, dulcis super unus omnes
Teutoni vates! Tibi, dive, jam nunc
Mentibus aras

Struximus, quondam melioris ævi
Quas tibi nostri memores nepotes,
Docta Smyrnæi memor ut poetæ
Græcia, ponent.

Te colent urbes per agrosque festis
Lucibus juncti pueri senesque,
Te colet ludis choreisque certans
Teutona pubes.

Tunc quis, ad Rhuræ genitum fluenta,
Me tui magno, venerande vates!
Italo dicat cecinisse plectro
Carmen amore.

NE FRÆNA RUMPAT BELLUA CENTICEPS!

Vanis pavescens relligionibus,
Et more patrum, ceu cavea lupus,
Quiescat in torpore vulgus
Innocuo, genitum tenebris,

Qualisque carpens gramina laniger,
Vel lassus arvis ad solitum redux
Præsepe taurus, sic in arcto
Sit stadio similes beatum

Trivisse gyro perpetuo dies.
Ne quære luctu, quid valeat, novo,
Neu tigris horrendæ soporem,
Neu tumidæ male fortis hydræ

Lacesse rictum! Conscia roboris,
Ne fræna rumpat bellua centiceps,
Ne, dona naturæ reposcens,
Terribili subito tumultu

Profana, surgens, sacraque misceat,
Legesque, divum templaque proruens,
Ne plebis insanæ, latroni
Ludibrium spoliumque, virtus

Cedat catervis. Heu, lacrymabiles

Sententiarum sunt veterum mihi
Narrata testes, sunt, nepotum
Facta fide caritura, nostro

Patrata sæclo! Gallia moribus
Formasse gentes mitibus inclyta,
Quæ sæva vulgi non tulisti
Horrificis lacerata flagris!

Non Sulla, matris non Nero mortuæ
Mirator alvi, non Siculi tua
Nefanda, non æquant, calentis
Quos Asiæ tremuitve Maura

Tellus tyrannos. Dira parentibus
Vindicta natos adposuit dapes,
Vindicta maternis paventes,
Væ, manibus jugulavit olim,

Interque parvos enecuit famis
Turri reclusum supplicio patrem!
Sic teter Atreus; sic cruenta
Pectus Ityn sine fine luget

Procne; tremendus sub stygio reus
Ultorque cœno, non satiabili
Sic hostis immanis cerebrum
Fauce tenax, Ugoline, pascis.

O corda nostri ferrea nominis
Æterna labes, horridioribus
Nunc victa, quæ gentes in oris
Francigenum stupuere, monstris!

Heu sparsa regis sparsaque conjugis,
Plaudente vulgo, pegmata sanguine,
Regumque tabescens, atrocis
Præda canis, miseranda proles!

Væ, mille cultro tradidit impiis
Invisa virtus; innocui feris,
Væ, mille mactati triumphis!
O choreas robiosa ducens

Truncata circum turba cadavera,
Hymnisque terrens corda ferocibus,
Pardis, hyænis sæviores,
Dantonis, Atrebatisque fœdi,

Quem mundus horret, letiferæ manus!
Jocosa, rorans sanguine vipera,
Fouquiere, civilique cœtus
Carnificum vigilans saluti!

His lacrymosam te quoqe victimam,
Formaque mentisque inclyta dotibus,
Infanda, reginæ fidelem
Et sociam, rapuere fata.

Pavore quæ non saxea pectora
Reples, cruentum rapta per atrium,

---

(1) Nichts ist gemein in meines Schicksals Wegen.

Damnata, tigres ante causam
Cæde nova tepidas perorans,

Confossa telis mox furialium! —
Eheu, mamillis per plateas ovans
Nudoque trunco plebis agmen,
Et canibus data corda! — Mundum

Quæ gloriaris Gallia moribus
Formasse, diris Gallia fœtibus
In omne nunc exemplar ævum
Regibus et populis tremendum!

DE FALSA GLORIA.

Mentita verum nos species trahit
Prima juventa, cumque viris amat
Crevisse morbus, cumque pigra
Ad tumulum comes it senecta.

Gestit stuperi munificentia,
Fallente gestit relligio palam
Repsisse voltu; quam cupido
Imperii, populive clamor,

Aut suasit aurum, non pretii sui
Secura virtus excitat æmulos,
Non, cuncta qui spernit suamque
Dulcis amor patriæ salutem.

Sic vera cultu Gloria simplice,
Nulliusque famæ blanditiis egens,
Miranda paucis, et profana
Dona procul refugitque plausus.

At falsa, turbæ læta fragoribus,
Stipata summis vadit et infimis,
Traxitque cum stulto verentes
Judicium coluisse vulgi,

Orbem flagranti vincere, Gloria,
Finis bonorum! Gloria cladium
Fœcunda terris! te cruento
Ira deum radiante campo

Vectat corona, te pedibus tuis
Stratæ, flagello te lacerae tuo
Gentes adorant, quosque famæ
Sedibus æthereis locasti.

Quid magna prisci nomina temporis,
Pelles alumnum, vel, coluit novum
Quem Roma sidus, quid remota
Mille loquar celebrata chartis?

Vera minorem, te quoque Gloriæ
Curru micantem vidimus, o deum
Venisse quem dono, labanti
Quem columen cecinere mundo!

Te terra, solis qua radiis calet,
Mirata magnum, te solio repens

Vidit ruentem, nunc sepultum
Oceani scopulis stupescit,

Insigne cœcæ ludibrium deæ,
Crimenque fati! Te duce Galliæ
Exultat invicto juventus,
Quoque vocas, animosa Martis

Sub prole tendit; seu tepidis tumens
Nilus fluentis, seu Boreæ rigens
Visenda tellus, seu probrosum
Ferre jugum renuunt Iberes.

Quid ense forti, sueta cruoribus,
Pubes superbis effera? quid sacrum
Honoris, in mundi ruinis
Quid patriæ juvat usque pulchrum

Jactasse nomen? Non patriæ salus,
Nil illa prædis indiga gentium,
Unius immitis libido
Vos agitat dolicesque ludit;

Verbis feroces hic jugulat suis
Mulcens triumphis, mox Scythico fami
Lupisque licturus sub axe
Vos spolium patriæque luctum.

Quem vera virtus, veraque Gloria
Ducunt sorores, non avet ultimas
Vastare terras; non suorum
Pellit amor dominum superbum;

Se magnus unum diligit, impotens,
Qui sceptra mundi sanguine civium
Emisse felix: sic vetusta
Non stolidos docuere sæcla,

Sic nostra clamant. Heu, stolidos nihil
Prodest doceri! Mox rapiet novus
Ludetque victor Corsus; at vos,
Qui sapitis, reputate summum,

Cogi pudendæ sub juga Gloriæ,
Nefas, iidem, quum patriæ vocat
Ad arma vos tutor paterque,
State viri juvenesque fortes.

FREDERICUS V.

(Klopstockii *Friedrich der fünfte.*)

Sacranti genitum numine quem deus
Terrarum dominos extulerit super,
Humanum genus hic frater amaverit,
Et cives patriæ pater;

Frustra sed, juvenum, heu! tincta cruoribus,
Et sponsæ, teneris flendaque matribus

Laurus, perpetui gloria nominis;
   Aeratos vocat in globos.

Non ille Aemathii fleverit ad ducis
Ardens effigiem, pectore jam puer
Mansueto spoliis Scipiadum altior,
   Jam visus propior deo.

At, felicis amor quem populi ciet,
Aulæ blanditias gloria respuens,
Hoc fletu juveni sæpe madentibus
   Fugit luminibus quies;

Dum matris gremio spem refovet viri
Felicis puerum somnus, et artubus
Mulcentem recipit, vividior senex
   Spectat qui populi patrem.

Volvens ille diu, numinis æmulans,
Quæ sit mens, hominum millia quæ beet,
Ad summum celeri se tulit impete
   Mortalis similem diis.

Reges post obitum lance severius
Sicut terribili judicium probat,
Quævis ille suæ munera ponderat
   Vitæ constituens viam.

Factis, christicolus, præmia dat bonis,
Voltu tum placido Pieridum sacris
Ridet, quæ citharæ mitia pectora
   Dulci nobilitant sono;

Et plausum populi quærere nesciam
Virtutem vocat ad perpetuum decus,
Exemplar sibi quo tutus it ipse, nec
   Musæ carminis indiget.

Innato celebrans o genitum patri
Vates, cœlicolum nota per atria,
Sacratis resonat laus ubi regibus,
   Queis mens est imitans deum,

Audax te lyricis auspice tollito
Pennis, sæpe pios quem tua principes
Inter plectra sonant, quos beat unicum
   Virtus et decorat bonum.

En, scandenda tibi quæ superant, piis
Sparsit Fredericus rex juga floribus,
Rex et christicolus te duce Golgathæ
   Visurus genitum deo.

GALLO PER GERMANIAM DOMINANTE.

Tetrum nos tulit, o Zaphile; sæculum,
Humanum superans quidquid atrocius
Adflixit genus. En, horrificam redit
   Mars hastam quatiens; novos

Nondum sicca bibet terra cruoribus.
Incassum sobolem ruraque prataque
Aeterna revocant militia suam.
   Sævis omne sacrum, vides,

Conculcat pedibus, nec Nemesin pavet,
Fœdo qui populos imperio premens;
Discerpenda suis regna cohortibus
   Tradit. Nec miseris manet

Spes in principibus; sed periit fides,
Multi dum patriæ crescere cladibus
Gaudent, perniciem, væ, nimium in suam
   Cœco præcipites gradu!

Heu, patrum pietas, heu pudor, et metus
Quo cessere deum! Fraus meat omnibus
Grassaturque viis; impavidam scelus
   Frontem tollit in æthera.

Vitæ quid facies, Zaphile, nos monet?
Turba si pudeat non sapere altius,
Solis, sit positum tendere, simus ut
   Felices animi bonis.

POST PACEM GERMANIS REDDITAM.

Qualis, phaselo qui fragili diu
Errabat exspes sæva per æquora,
   Post mille servatus labores
      Dulce solum patriæ salutat,

Talis reversam Teutona te videt,
Pax alma, tellus, ah nimis aspero
   Luctata fato, quinque lustris
      Sanguineo dominante marte.

Salve, quadrigis quæ niveis venis,
Velata ramo palladio comas!
   Mutata rident arva terræ,
      Quo faciles agitas habenas.

Spicis eunti sertaque floribus
Nectunt agrestes, omnis et oppidis
   Effusa lætatur triumphos
      Turba tuos celebrare certans.

Urunt parentes tura tibi focis,
Urit, superstes qui juvenis feris
   Bellis, et absentem puella
      Quæ teneris gemuit querelis.

Salve colonis otia et urbibus,
Secura reddens grataque munera
   Vitæ, et beato larga cornu
      Per populos tua dona fundens,

En flava nullas jam segeti Ceres
Horret catervas; jam nemori quies

Reditque pratis, perque colles
Lætius uva tumet Lyæi.

Ó alma, salve! quæ refugis feros
Fingisque mores, et placido genus
Mortale sceptro, cuncta vinclo
Consocians facili, gubernas.

Tecum deorum jam reverentia
Neglecta legumque, et pudor et fides
Laudata Germanis revertunt;
Jam subeunt meliora sæcla.

GERMANORUM VIRTUS MUSÆ CELEBRANDA.

(1816.)

Gloria quisquis meritos coronat;
Patriæ robur geminatque nomen,
Concitans laudum stimulo potenti
Aemula corda.

Detis hanc reges; melius sed alma
Musa donarit; lyra namque docta,
Magna sint quamvis, superare gaudet
Munera regum;

Vincit et quosvis operum labores;
Phidiæ major statua Tonantis,
Zeuxidos major tabulis, Myronis
Clarior ære.

Livido celsas minuit vetustas
Dente rodens pyramidas, doletque
Lapsa Palmyre, remanetque solis
Magna ruinis.

Una mortales Styge musa raptos
Donat æterna decoratque vita —
Inclytos quis nunc celebrare dio
Pectore vates

Teutonum heroas parat et triumphos?
Quis fugam Galli trepidam superbi,
Quis tuba majore canet modisque
Prœlia dignis,

GNEISENAUI summa quibus refulsit
Ingeni virtus? Sobolem Gradivi
BLÜCHERUM quis magnanimum perenni
Carmine dicet?

Delii vos o citharæ potentes!
Grande nunc cessare nefas, negantes
Vestra quæ servata petit bonorum
Patria dona.

Amplior laudum vocat ecce campus!
Aurea nam quid dabitur Camœna
Dignius? Celsas super illa palmas
Eminet omnes.

Cede, prostratis Marathone Persis,
Græcia, et claro Salamis tropæo;
Altior Pœno minante, Roma
Cede triumphans.

Arduum quidquid memoratur ævo,
Qua patent magni monumenta mundi,
Teutonum Corpo superat jacente
Fama tremendo.

CHRISTICOLA AD JESU CUNAS.

Christe, quem sancti cecinere vates,
Misse mortali generi redemptor,
Prima quum mortis tenebris parentum
Culpa dicasset.

Te Dei patris generatum amore;
Teque terrarum superumque regem;
Bruma dum sævit, gelidisque canent
Arva pruinis,

Mundus, infandum! domibus negatis,
Virginis fusum gremio, rigente
Jussit in septo pecudum tueri
Lumina solis.

Nempe per te sunt humili reclusa
Regna cœlorum: stabulo jacentem
Prima te pastorum humilis salutat
Carmine turba:

Angelo lætas referente voces,
Cœlitum circum resonante turma:
Gloria Aeterno superis in oris,
Terrigenumque

Sede pax cordis, bona queis voluntas!
Nuntias pacem misero beatam;
Prima quæ lex est tua, Christe, mundo
Reddis amorem.

Utque pastori teneros lacertos,
Sic Magis ridens, puer alme, tendis,
Ducit a regnis tua quos eois
Stella refulgens.

Regiis terram genibus prementes,
Arbitrum rerum in stipulis adorant,
Supplices divum triplici puellum
Munere donant.

Christe, cui regum pariterque grata
Dona pastorum, mea corda, — puro
En tui flagrant ab amore! — gratum
Accipe donum!

Nate pro vita moriture nostra,
Christe Salvator! tua regna quæram!
Mortuum terris tua me redonet
Gloria cœlo!

DE SENIS PIETATE.

Veris stupemus falsa fere magis
Mortale cœco judicio genus,
Stultusque contemto pudendam
Sæpe tulit sapiente palmam.

Præconis ipsum non caruit scelus:
Est qui latronem prædicet, improba
Seu membra vindex poscat orbis,
Seu celeres lacerent quadrigæ,

Nulla paventem mortis imagine.
Quid vulgus altum, quid moveat, nisi
Quæ fama late insigniorum
Facta virum celebrare gaudet,

Confusa narrans veraque fictaque,
Non parva magnis tollere honoribus,
Mendace non fœdata multum
Ora timens decorare fuco?

Tu, musa, vatem duc, tacitis ubi
Ignota virtus sub laribus nitet:
Te Dura poscit, qua beatis
Rhura meat sinuosa campis.

Quæ parva multos egregios tulit
Jactatque cives, sancta mihi parens,
Mentisque cultrix prima, castris,
Musa, tuis ubi vita fluxit.

Raris verendus moribus hic senex,
Vigoreque annos ingenii tegens,
Labente nuper mole læsus,
Ima pedis resecanda ferro,

Non voce quidquam territus, audiit;
Tortusque sæva quum medicas manus
Inter jaceret vi doloris,
Effigiem morientis Jesu,

Et dira sancti vulnera corporis
Spectans: quid, inquit, parva queror, Deus
Si tanta passus me redemit!
Mox, hilaris placidusque vultum,

Mœstosque natos et sociam tori
Adfatus æquævam, miserabili
Fletu gemiscentem jocando
A teneris revocat querelis. —

Divina quid non relligio potes!
Tu sola vere magnanimos viros
Fortesque præstas, sola certo
Tu erigis auxilio jacentem.

Nam me feroces flagitio pudet
Dixisse fortes, me pudet æquora
Numum pererrantes amore. —
Inclyte, ne mihi jam dolore

Majora jactes pectora, Carole!
Te duxit ardens per Scythicas nives
Laudum cupido; fortiorem
Sancta senem pietas coronat.

DE VITA HUMANA.

AD ZAPHILON.

Uno fonte mali, Zaphile, maxima
Pars mortale fluit quo premitur genus;
Unus nos agitat tristior omnibus
Error: veraque solaque,

Pauci, quos animi non fugiant bona.
Hinc vanas pueris nil sapientius
Umbras arripiunt: hunc fragili rate
Sævo dirus amor lucri

Committit pelago; vel sedet anxius
Numorum ad cumulos, queis metuit frui,
Infelix opibus. Non satiabilis
Illum per dubios rapit

Casus ambitio, perque doli vias,
Et tela invidiæ; scilicet altius
Nitentem, subito quo gravius gemat,
Celso præcipitans gradu.

Multos castra vocant et fera prœlia:
Magnum Sarmaticas urere sub duce
Terras sanguineo, præda nivalibus
Ut campis jaceas lupis.

O demens nimium, qui sibi visus est
Felix flagitiis! Tu miserum quoque
Dices, quem celeri diva vagans rota
Vana ludit imagine,

Aris tura suis ut trepidus ferat;
Quamvis non gemitus, non moveant preces
Surdam, quem spoliet, quemve suis beet
Donis, quærere nesciam.

Frustra præcipites cœca parat vices;
Blandis nam stolidos haud capiet minus
Mulcens illecebris; Attalicas dies
Frustra divitias rapit;

Frustra purpereus de solio ruit
Terrarum domitor, sævaque vinciunt

Dejectam populis vincla tyrannidem.
O veri nimium boni

Ignaras animas ! Te neque marmore
Aedes conspicuæ, Zaphile, nec juvat
Sublimem attoniti tollere verticem
Vulgi judicio oreque

Mirandum ; sapiens sed dederunt tibi
Di culpaque carens pectus, et integrum
Sortis ludibrio, quam metuit parum,
Recte qui modicis frui

Suevit. Te sequitur dulciloqua lyra
Cunctis grata comes musa laboribus,
Terrenisque potens ducere sedibus
Mentem per superum choros.

DE PROVIDENTIA DIVINA.

AD THELANDRUM.

Docte, ne credas superis, Thelander,
Rebus in nostris nihilum licere,
Neve securos super astra vilem
Spernere terram ;

Blandus ut Græcos Epicurus inter
Tradidit, stultæ rationis auctor,
Sola cui dulcis placuit colenda
Ture voluptas.

Grandis hunc plectro nimiumque suavis
Italas vates celebrans per oras,
Absque divorum cecinit creatum
Numine mundum,

Et parem membris animæque cladem,
Nobilis quondam, genus omne probri
Orbe quum præceps peperit subacto
Martia Roma.

Ipse sed lucem miserans serenam,
Pectus et nullo trepidum tumultu,
Ense trajectus celerasse leti
Dicitur horam.

Auctor hic nobis gravis est, Thelander,
Quo pios malis coluisse vates :
Lætus ut vivas, fuge cuncta cœcæ
Tradere sorti.

Restat antiquum Jovis in regentis
Dextera sceptrum, neque vana sontes
Fulmina horrescunt, neque certa quenquam
Pœna - relinquit.

Cernis, ut spreti fugiant per orbem,
Sedibus pulsi patriis, nefandi,
Regis occisi quibus ora sancto
Fœda cruore ?

Sera sic tangit Nemesis feroces
Cæde non ulta scelerumque fructu,
Regis insontis miseranda tandem
Fata rependens.

Clara si quæris magis ultionis
Signa cœlestis : gravior ruina
Stravit, et miranda magis, jacentem
Quem stupet orbis.

Ille mortali generi flagellum,
Nescius flecti gemitu dolentis,
Sensit, insultans furiis, tremendam
Numinis iram ;

Ille terrarum domitor superbus,
Captus australi pelago, deorum
Testis est omni memorandus ævo
Cuncta regentum.

VIRTUS.

(Odœ Halleri imitatio.)

Læte, ne quæras, an inane nomen
Corde sub puro generata virtus,
Neu, deus supra vibret an rubentem
Fulmina montem.

Rideat cœlum mala mens, profana
Se fidem jactans posuisse lingua,
Rideat sanctæ, tolerare mollis,
Munera vitæ.

Respuit virtus humilis superbum ;
Aetheris semen referens ab oris,
Respuit casto, nisi cingat ipsa,
Crine coronam.

Sævus in semet simulatne pugnam,
Impetus iræ domitans furentis ?
Fortior blandas simulansne flammas
Damnat amoris ?

Ture virtutem sapiens an ipsis
Fraude vel demens colit in catenis,
Nescius lætum, subeunte morte,
Ponere voltum ?

Stulta num dices sociata corda,
Et flagrans unum geminis, amicum
Ut vadem solvens animam tyranno
Tradat amicus ?

An Titum pellit popularis aura,
Tollat ut miti miserum lacerto,
Sontis ut culpam lacrymansque cernat
Ora dolentis?

Quin et invisam rabies scelesti
Laude virtutem tacita coronat,
Qua dei plenum sapientis ardet
Pectus imago.

Crescat ut crimen, cumulos avarus
Auget, et blando dolus ore rectum
Subruit, regnatque nefas, honores
Ambitus aufert.

At manet cœlo soboles, latere
Lætus in turba sapiens profana,
Fulgidas tellus uti Maura gemmas
Celat et aurum.

Tædium gazas sequitur, voluptas
Tabuit, virtus dedit una pacem,
Fascibus durans nitidaque lasso
Mole coronæ.

Læte, quum lævis mea cymba ventis
Cedet, in cordis latitabo portu:
Gaudium virtus decet et dolorem,
Major utroque.

Impotens sortis sapiens regendæ,
Res in adversis reperit secundas;
Spectet immoto sapiens labantem
Pectore mundum.

VIRTUTIS PRETIUM.

Virtus auriferis nec stupet amnibus,
Nec gemmis radiant quot maris Indici;
Excelso satis est gloria pectori
Merces. Hoc date præmium,

Quos robur patriæ, quosque juvat decus,
Hoc fervet stimulo, pulvere olympico
Ut palma sonipes. Hoc date præmium,
Reges, et date vos, quibus

Mens est Castaliis ebria fontibus.
Non est nobilior carmine gloria;
Nec mortalis opus dextra perennius
Struxit; marmore nec Scopas,

Nec solers tabula reddere vividos
Voltus Parrhasius. Dædaleæ jacent,
Disjectisque vigent gramina molibus,
Quas Romana potentia

Olim templa diis, amphitheatraque,
Auratasque domos et fora condidit.

Carpit Pyramidum livida vertices
Aetas, et Babylonia

Nunc docti dubitant quo steterit loco.
Non sic, Mæonidæ quos cecinit tuba,
Heroum rapuit jam fuga temporum
Famam. Non Ithacum malis

Celant indomitum sæcula ter decem,
Non natum Priami, non Telamonium,
Hasta conspicuos. Nulla ruet dies
Celsum, dulciloquus pio

Quod Tassus monumentum posuit duci,
Jesu qui tumulum sanctaque mœnia
Victrici recipit sub cruce symbolo
Gentes christicolas agens.

AD VOSSIUM.

(Hœltyi *an Voss.*)

Audax, care, via sentibus aspera
Nubes tende supra, dum sapientibus
Solis sacra poetis
Crines serta tuos premant.

Per te sera deum posteritas amet
Naturamque magis, teutona sit fides
Libertasque pudorque
Per te carior omnibus.

Camporum interea, quem vocitas tuum,
Per secreta vagans audit aedonem, et
Lenem fontis in herba
Luna sub tremula sonum.

Fragrans, ille canit, quod crocea nitet
Aurora nemus, aut vespere qui sinu
In turgente puellæ
Phœbi flos radiis rubet.

O dulcis mihi spes! et mea carmina
Olim Laura legens et gemet osculans:
Heu cur tam cito tellus
Contexit tenerum et bonum!

AD BODMERUM.

(Klopstockii *an Bodmer.*)

Quæ vota felix spes pia finxerit,
Plerumque fati dissipat arbiter,
Immensa, non nostris penetrans
Luminibus reseranda numen,

Mortale densis et subito tegit
Iter tenebris: invida mutua

Natos amori sors in oris
Sic refugit sociare nostris.

Nunc vita cœlo sub vario fluens,
Nunc nocte longa sæcula dividunt :
Non me doceri fas ab ore
Socratici fuit Addisoni ;

Amante risit nec mihi mortuos
Vivosque jungens fœdere Singera ;
Nec te videbo, corda votis
Qui similem tibi me vocabis

Olim, querelis dum tumulo piis
Surdus jacebo, quæ tua semita
Terrestris, ignorans, beatam
Ni genius tibi monstro vitam.

Immensa cernens, imaque summaque,
Sortem gubernans sic deus ordinat,
Olim sed idem, optare pectus
Quæ tenerum trepidavit, implens.

Tunc, vana mentem somnia ceu beant,
Voltus stupenti vix faciunt fidem :
Sic ipse lætatus stupebam
Bodmerii properans sub ulnas.

LÆTA POESIS.

(Odes Uzianæ imitatio.)

Sacra, salvete, o juga, lætus inter
Qua vagans musas, citharæ jocosum
Misceo Bacchum Cypriamque, pulsis
Mente querelis,

Qualis umbroso philomela ramo
Flebili parcens resonare cantu,
Evio curas prohibensque dulci
Phyllidos igne.

Nuper, oblitis fidibus Neæram,
Nota qua solis meat unda Faunis,
Pronus in fœdum, recubans sub ulmi
Tegmine, luctum,

Ecce ridentem facie serena
Et labris vidi roseis Camœnam,
Fronte ceu surgens radiante nubes
Dissipat Eos,

Sic meo tetras subito tenebras
Corde pellentem, trepidasque curas
Me nigris circum veluti strepentes
Somnia pennis :

Parce mœrendo temerare plectrum
Vina cantantis veneremque pugnas

Inter Alcæi, niveæque Teii
Crine madentis!

Tiburis lætum Lalage sub umbris,
Rore ferventem sapiente Flaccum,
Aemulans, nullo moritura funde
Carmina sæclo !

Rodat impurum, gemat usque ficta
Stultus ærumna : sapiens ferendo
Fata delusit, reperitque lævis
Prospera signis.

Asperæ flores age carpe vitæ !
Spina tardanti superabit horrens :
Turpe, veloci cita ni capessas
Gaudia passu.

Lentus optato, celer ad fruendum,
Neu puer risus lacrymasque mutes :
Mœsta longinque, prope grata quondam
Visa tuenti.

Sic et errantes tulit ut Maderam
Eurus heroas nebulis latentem,
Horrida nigris super eminente
Nocte tenebris :

Sole quum puro placidum refulsit
Aequor, æterno stupuere terram
Vere florentem, subeuntque læto
Littora plausu,

Aureis sylvis vitreisque rivis
Blanda : quo, vitæ nihil ut beatæ
Desit, invexit sua post benignus
Dona Lyæus.

OLIM QUUM SÆVIS LANGUERENT PECTORA CURIS.

Frigore jam pulso mitis viget aura Favoni;
Jam decor et nemori
Et campis rediit, læto renovataque tellus
Fundit opes gremio,
Et vario pingit viridantia prata colore.
Vere vagæ pecudes,
Sylvarum gaudentque feræ, gaudetque volucrum
Squamigerumque genus :
Festaque lux cives laribus portisque relictis
Carpere rura monet.
Me quoque, sub tacito suetum languere cubili,
Cærulei facies
Invitat cœli placido cum lumine solis,
Nectareos avidum
Lætitiæ summis latices contingere labris,
Atque nigris animum

Curis æternoque ægrum relevare dolore.
Sic hilari comitem
Mœstum me jungo turbæ. — Jam fusa per omnes
Gaudia : jam dapibus
Corpora jucunde dulci curantque Lyæo;
Jam levibus choreis
Indulgere, juvatque pilas torquere volantes;
Cum tenerisque parens
Lætatur pueris, lætatur curva senectus. —
O Juvenum ex oculis
Alma puellarumque micans sub corde voluptas?
Quæ sinis immemores
Nullos esse tui, nullos tua temnere dona,
Quid miserum refugis
Me solum? Heu! lætas inter mea lumina turbas
Usque gravant lacrymæ.
Mœroris gemitusque mei sic conscia tecta,
Sic tenebras repeto.

AD LUNAM.

Phœbe, silentem cærulea plaga
Noctem serenans, quid facie sophum
Tueris incassum benigna?
Lumine quid placido salutas?

Dum matris instar me tenero sinu
Natura fovit, me juga montium
Vallesque moverunt, natantes
Me segetes, varioque ridens

Colore pratum. Tunc nemorum mihi
Umbræ locutæ, tunc vaga flumina,
Nigræque nubes, quæque tecum
Astra poli per inane volvunt.

Fuere dulces et lacrymæ mihi,
Parata cunctis cura doloribus,
Dum fluxa currebat beatis
Vita brevi renovanda regnis.

Nunc cuncta circum mutaque fœdaque,
Clausumque pectus lætitiæ riget:
Mœroris æternum, heu, sereni
In tenebras abiere soles!

POTATORIA.

(Kleistii *Trinklied.*)

Pulchra quem laurus sapientis ornat
Præmium musæ, tenebrisne, Damon,
Urguet æternis tua mœror olim
Ora serena?

Flamma languentis veluti lucernæ
Lugubris busto micat e silenti,
Mœsta sic lucet tua mens sub atro
Corporis antro.

Festa quæ lætis properabit alis,
Quæque lux tardam trahet ægra noctem,
Mors tuis juxta numerans, memento!
Adjicit annis.

Temporum te per spatium videsne
Ceu levem spumam vada per natantem?
Tu, quid, in terram redeatne, differt,
Spuma sub undas?

Fronde me myrti, madidum tuere
Me rosis cinctum caput, utque dulcem
Hora festinans avido liquorem
Gutture pellat.

Ecce, mulcentis cyathum Lyæi
Rore ferventi decies replevi,
Nec sitim frangit, numeroque crescit
Blanda voluptas;

Cumque me circum foribus tapetes,
Cum polo gyros iteratque tellus:
Gaudio ne jam pereat, beatum, o,
Evie, serva!

POETA AMICUM RUS INVITANS.

(Odæ Kleistianæ imitatio.)

Spicis, en, Zephyrus fugit
Nunc agros viduos prataque floribus;
Atrox sed Boreas, mea
Circum tecta fremens, non mihi gaudia,
Damon, non rapiet jocos.
Tu mecum properis jam gradibus pete
Canentem nivibus plagam;
Tu, fulvas rigidum per glacie nemus
Vestigans canibus feras,
Rupes ut reboat concava cornibus,
Mirare, et livibus jugo
Celso cum capreis præcipites apros.
Lassus tum lare sub meo
Læto dulce merum pectine concines,
Et cantum Lalages reget,
Queis mulcet fidibus cor tibi Delia.
En, inter rutilas faces
Phœbe jam liquido ridet ab æthere!
Nunc nos alloquiis decet,
Miscentesque jocis oscula suavibus;
In noctem, procul invidis,
Lætari! Scopulos alta per horreant,
Auri quos agitat sitis.
Fasces, gloriam, opes, plenaque tædiis,
Quæ vulgus stupet, atria,
Contento sapiens pectore despicit.

VERUS VITÆ USUS.

(Hœltyi, *der wahre Gebrauch des Lebens.*)

Horæ fugacis quis cohibet pedem?
Fertur tonantis tela velut manu!
Mors quoque momento propinquat
Ferrea, fine carensque somnus.

Nunquam sepulto ver roseum redit;
Non umbra mulcet, nec cyathi sonus;
Non suave ridentes puellæ,
Non jocus ore beat sodalis.

Dum penna nondum mortis inhorruit
Atræ, procellis præripe gaudia,
Larga deus quæ fundit urna,
Solis uti jubar atque nimbos.

Festis amicorum alloquiis volans,
Lætove Bacchi munere vespera,
Tuæve Lauræ fixa labris
Oscula, sive sinu in micante;

Aut in viretis error, aedonis
Arbusta vernum quum resonant melos:
Hæc cuncta famæ serta vincunt,
Quæ sapiens retulit vel heros.

Quod nata florens dat mihi suavium,
Neptis futuris dulcius osculis,
Algente quæ libat sepulchro
Surgere non memoris sopore.

SEPULCHRUM.

(Odæ J. G. a Salis imitatio.)

Horrente circum busta silentio
Nox pandit alas, nec rosa ferreum
Mulcet soporem, nec querente
Ingeminans philomela cantu.

Non mœsta curat corda sodalium;
Non fida conjux, — heu pia lacrymas
Quæ fundit incassum jacenti! —
Non soboles movet orba patrem.

Atris sub umbris irremeabilem
Terram recondens, sola tamen quies
Optata mortali sepulchrum!
Tu patriam tenebrosa navis

Vectas petentem, tu melioribus
Exponis arvis, pax ubi vera, tu
Mutante sub cœlo procellis
Mille beas agitata corda.

FOLIA CADUNT.

(Ad Millevoyei *La chute des feuilles.*)

Frondeo terram syluæ decore
Spargit autumnus; nec amoris umbra
Celat arcanum, philomela questu
Nec gemit ullo.

Tabidus verno juvenis sub ævo,
Per nemus, primis quod amabat annis,
Lentus, extremo vagus itque gressu.
» Cara, valeto!

Sylva, marcenti mihi fata luctu
Nuntians, omni folioque lapso
Signa dans mortis, Stygias canebas,
Sors Epidauri,

Has mihi voces: etiam, at supremum
Jam tuos fusca nemus ante voltus
Fronde mœrebit; prope te perennis,
Ecce, cupressus.

Pallido autumno magis ora pallens,
Vergis in terram; prius herba læto
Quam riget prato, tremulus priusquam
Collibus aret

Pampinus, vitæ tibi flos jacebit.
Jamque mors instas: tetigere nigræ
Me halitu adflantes gelido procellæ,
Instar et umbræ

Ver meum vidi fugiens decorum.
Frons, cade, in paucas cade nata luces!
Lumini condas iter hocce mœstum;
Cras ubi degam,

Conde, ne mater loca cernat exspes.
At mei solas, abeunte sole,
Crine si passo veniant amores
Flere sub ulmos;

Tu memor nostros levibus susurris
Excites, paulum recreesque manes! »
Dixit, et, nunquam rediturus, ægro
Corde recessit.

Ultimum labens folium dolenti
Ultimam vitæ properavit horam.
Ossa nunc servat tumulus sub ulmo;
Visere sed nil

Dura deserti lapidem puella
Cespitis curat, strepituque turbat
Passuum solus taciturna vallis
Busta bubulcus.

JAM VESTRIS VIGET, HEU, GRAMEN IN OSSIBUS!

Salve, sidereas faces
Inter cœruleo luna means polo,
Fragrans pallida dum nemus
Nox altoque tegit rura silentio.
Salve, lene tepentibus
Auris sub zephyri, lumen amabile:
Arcanis animi mei
Naturæ facies conscia sensibus.
Nam quæ delicias tuas
Vincant? Floriferi veris amœnior
Sit quamvis oriens dies:
Aureo crine nitens et roscis genis,
Quum rivos vitreos prope
Majus, gemmea seu prata per ambulat,
Auroræ croceæ juga
Vel scandit lepidis tincta coloribus.
Soles ver juvenis mihi
Tu pulchros, celeres, ah, nimium refers!
Expers quos senii manens
Suavi musa tamen reddit imagine;
Caris non sine cordibus,
Vitæ queis sociis ver mihi floruit.
O dulces animæ, diu
Jam vestris viget, heu, gramen in ossibus!
Nec questus teneri, pia
Nec tangit memoris lacryma pulverem;
Sylvâ quum tacita vagor,
Mirans purpureum vel jubar hesperi;
Seu fons me querulum strepens,
Fulgentis species vel tenet ætheris:
Quem supra melior, boni,
Vestri cœlicolum pars habet atria:
Huc, dulces animæ, mea
Mens tendit patriis sedibus exulans.

AD CICADAM.

(Hœltyi *an die Grille.*)

Parva, te libra super his per herbam
Floribus, mœstoque tuo, cicada,
Falce ceu lasso juveni et puellæ,
Dans strepe somnum;

Paululum lenis mihi, cara, somni,
Sævus ut sub corde dolor quiescat:
Gaudio dulcis mea Laura ridens
Somnia fallat.

NEMESIS.

Elata rebus pectora prosperis
Vitæ moneret quæ dubias vices,
Fastumque sedaret protervum,
Graja deam Nemesin verendam

Finxit vetustas: cui cubitum sagax
Insigne, frænumque et tribuit rotam:
Dat ille mensuram modumque;
Fræna vetant super ire justum.

Jubet superbos ante pedes rota
Sperare sortis ludibrium vagæ,
Jus fasque florentes profana
Quo timeant violare mente.

Suo ferocem crescere robore
Odere divi: testis, ob impie
Jactata, quem ritu ferarum
In sylvis retulere sacræ

Vixisse chartæ; testis et unica
Cruenta navi per fugiens freta,
Ridendus ultor quæ, revulso
Ponte, furens domuit catenis.

Tellure pulsa qui tua concitas
In arma gentes, mox phariis jaces
Truncatus oris! Quid remota
Multa sequor? Tumidum triumphis,

Os quum supremi vidimus arbitri
Sumsisse, Corsus concidit, et gravi
Fratresque cognatosque traxit,
Regna quibus dederat, ruina.

Flevit marinis rupibus exulem,
Flevit sepultum victima filius
Urgentis, heu, fati paterni!
Nunc juvenem miseratus orbis

Magni sub orco manibus audiit
Junctum parentis. Sæpe luunt avi
Culpam nepotes; nec nocentem
Suevit enim rapuisse vindex,

Longisque quondam evertere cladibus
Stirpes potentum: sic placitum deo,
Qui, magnus unus, non moratur,
Pulvere quid reputet creatus,

Laudetve judex; scilicet ejus est,
Quæ sola constans veraque gloria;
Nec, ille quam donat, quis unquam
Pace carens viguit beatus.

Vulgo relicto, splendida tollimur
Ad tecta famæ; Cæsar at unius
Pagique sub culmo magister
Corruimus stetimusque nutu.

LIBERTAS.

(1831.)

Ignota, vastus quas oriens alit,
Nostri sed orbis caraque gentibus,
Cunctoque, libertas, in ore,
Cuncta movens generosa corda,

Qua vita pulchris nobilis artibus,
Veri tenebras qua sophiæ comes
Doctrina pellit, digniorque
Mentis homo stat imago divum:

Quos clara fastis gloria tradidit,
Mater virorum, pectora patriæ
Prædulcis inflammans amore,
Ignea quo stimulante virtus

In tela, turmas in medias ruit,
Simplexque, civem reddere civibus
Vitam putavit! Te superbus
Romulidum tremuit tyrannus,

Natos nocentes vindice tu patre
Plectis securi, pro legionibus,
Pro pube mactandos Quirini,
Ancipiti trepida duello,

Dis inferorum tu Decios sacras,
Contraque prolem pectora Reguli
Uxoris amplexusque firmas
Consilium graviumque patrum.

Miranda priscis sunt tua sæculis,
Miranda nostris: facta sed ardua
Tam nulla, nec divina virtus,
Quin sceleris temerare labes

Ausit, decoro turpia nomine
Patrare solers. Sic genus improbum,
Miscere quod mundum laborans,
Omne sacrum ruit, omne justum,

Ut ligna quondam vel pecudes deum
Fecere gentes, têtra cruoribus
Sic, alma libertas, profani
Monstra tuis posuere templis,

Lætus ruinis quos animus, mala
Quos auri, honorum quosve agitat fames,
Ad arma qui civem, nefanda ad
Arma vocant populum rebelles.

Repente sævit, nil medium probans,
Fœdumque regnum plebs, nisi pareat:
Cessere vesanæ gementes
Præda boni miseranda turbæ;

At clade gaudens crescere publica
Exultat: urbes ignis et hauriat
Pagos; plateas per latrones,
Ante deum madidique cæde

Bacchentur aras; dum cineres super
Scelus triumphet truncaque funera!
Humana Gallorum priores
Mens refugit memorans tumultus:

Novus futuri, en, territat anxios!
Lugubre signum, sanguine civium
Resurgit arbos irriganda,
Quam choreas agitantque circum,

Hymnique cantant horrisonum melos
Diræ catervæ: quin pueri scholis
Sacrum relictis, quin feroces
Jus populi repetunt puellæ.

Errore cœco scilicet improba
Libido gentes præcipites rapit:
Fregisse dum fictas catenas,
In solio trepidare reges,

Dum gloriamur, servitio gravi
Lusos scelestis seditionibus
Vexat tyrannis, quam potentem,
Quam ferimus spoliis superbam.

NATURÆ.

(Ad C. A. Tiedge *an die Natur*)

Quid mœstum premis? Ah, tandem procul anxia cede
Tramite cura meo!
At tu me gelidas solum taciturna sub umbras
Suscipe sylva tuas.
Hic liber, meus hic fugio, fremebunda voluptas
Quæ vaga tecta colit;
Atque unus tecum, lassus, natura, recumbo
Pectus in, alma, tuum.
Hic virides circum pingunt me flore tapetas
Cum violis apium,
Antiquæ turris prope rudera, fons ubi nigris
Sub gemit ilicibus,
Et lentis hederæ demittunt pallida ramis
Serta corymbiferæ.
Hic mihi cum leni foliorum blanda susurro
Mens requietis ades,
Mansuetæ tecum quæ ducis numina pacis
Cor subitura meum.

Arcanos echo saxosis fundat ab antris,
Noctis ut ore, sonos,
Pulchrorum veluti reddens suspiria, longum
Qui siluere dies.
Sic animus revocans, ævi quæ mersa ruinis,
Quæque sepulchra tegunt,
Mœrorem, nebulas placidum ceu mane repellit,
Discutiet nemoris,
Frondosas mutans scenas in templa deorum;
Sidereique melos
Concentus referent, suaves abscondita nectis
Quos philomela modos.
Obscuros agitans lucos sanctus fremit horror,
Prataque florifera
Perfundens, natura, tuo mihi numine campos
Vertis in æthereos.
Tu celsis menti loqueris sub mille figuris,
Dulcis amica, meæ.
Veraque servabit, casto promittit amanti
Quæ tua sacra fides.
Tu mihi, per vastos, ego sum, quæ flammea, dicis,
Sidera figo polos.
Te quoque tam stringens arcte, quam mœnia mundi,
Ad mea corda premo.
Quo tu per scopulos, fili, noctisque tenebras
Cunque vagare, manu
Hac ego te teneo, suspensam a sede parentis
Me tenet illa Jovis.

AD CUNAS ELEGIA.

(Ad Gotteri *Elegie bey einer Wiege.*)

Dormi, namque juvat, primæ per tempora vitæ;
Quæ tibi non temere
Dat mitis natura volenti, dulcia somni
Parvule dona cape.
Liber adhuc terræ curarum vesceris aura;
Nec movet illa suo
Te fastu; nullo nigra nox discrimine mane
Purpureumque placet.
Purum subridet tua cor per labra, quieti
Invigilantque tuæ,
Qui circum genii similis tibi flamine turba
Te roseo recreant.
Immemor, heu, recti, tutelæ se cito castæ
Eripuit juvenis!
Effrenisque animi invitat facilem via, duxque
Lecta libido trahit.
Jamque voluptatis fallaci blanda veneno
Pocula præbet amor;
Ille haurit, tremula flagransque cupidine mortem,
Nescius ipse, bibit.
Naturæ, en, exspes culpa curisque, decoræ
Torpuit ad speciem.
Nunc jubar auroræ luget, noctisque nigrante
Territat umbra polo.
Ah, dormi! nullo tacitus dum dente momordit
Corda quieta dolor;
Nescia placari, nullius conscia dum mens
Judicis ora tremit.
Sic ego dormivi; nunc tesqua per invia vitæ
Anxius erro; fugit
Pax trepidum, mœror gemit altum : quam, bone, vellem, O,
Nunc puer esse, deus!

INVOCATIO.

(Alph. de Lamartine *Meditatio* XVII. *Invocation.*)

O quæ de superum visa mihi domo
Terræ præteriens tesqua silentia,
O fax, unde nigras per tenebras amor
Fulsit luminibus meis!

Totam te attonito da mihi cernere,
Da nomen, patriam, fataque noscere.
His cunæ fuerunt num tibi sedibus,
Simplex an dei es halitus?

Lucem perpetuam crasne reviseris;
An porro stadium luctibus exulem
Ærumnisque sequi te decet asperum?
Quæcunque, ah, tibi patria,

Nomen, fataque sint, terrigenum genus,
Cœlestisve plagæ, vel tibi tura, vel
Flagrans, ah, placeam pectus amore dans,
Vitæ per reliquum meæ!

Nostri dum superest pars tibi tramitis,
Sis, O, præsidium, sis mihi dux, sine
Me, quocunque feres, quos veneror, gradus,
Fixisse oscula pulveri!

Hinc sed penna procul te, superum soror,
Si mox angelico rettulerit, mei,
In terris ubi me paululum amaveris,
Illo sis memor in choro!

AD GERMANOS.

(1818.)

Macte, clarorum soboles parentum,
Jam tuæ robur patriæ, jubeto,
Principes reddant : age, gentis omnis
Fœdera junge,

Armini qua vox resonat Cherusci,
Qua Mosam tangis Scythiæque fines,

Inter et Danos Venetumque late
Porgeris undas:

Sceptra seu mavis coluisse nigræ,
Sive tu binas aquilas sacratæ
Cæsarum stirpis, veneranda patrum
Signa tuorum.

Corsus australi jacet exul orbe,
Victor Europæ, memor usque sævi
Teutonum ferri, laceransque vasto
Corda dolore.

Tu cave, celsos cave post triumphos;
Dissidens pœnas iterum datura,
Heu, cave, fidas nimium quietis
Patria rebus!

Crescit immensæ gelido sub axe
Arbiter terræ; spoliis opimis
Imminent turmæ reduces egena
Nuper in arva.

Horridas mensas tenebrosaque illæ
Antra pertæsæ rigidumque cœlum,
Sedibus nostris inhiant beatis.
Parte minatur

Altera Gallus. Nemesin, videsne?
Damnat iratus, mutilasque mœrens
Concutit pennas, hebetesque frendens
Asperat ungues,

Certus infandum reparare bellum.
Dum sinit tempus, lacrymosa fata,
Heu, novum, Germane, tuis repelle
Dedecus oris!

Roborans sacro tua regna vinclo,
Franciæ tutus scythicasque vires
Sperne; concordi tibi marte totus
Cesserit orbis.

VINUM RHENANUM.

(Klopstockii *der Rheinwein.*)

Auro racemi o quæ soboles micas,
Amicum in umbram, non alium voca.
Terni sumus, nostrique, et illa
Teutonica mage luce digni,

Prælo domandum quum, alme senex, suo
Te monte Rhenus vidit, et igneum
Fovit, tepentisque ima clivi
Cærulea recreavit unda.

Nunc pæne sæcli pondera sustinens,
In te, mereris, spiritus arduus
Patescat ut nobis, Catonis
Te gravior caleatque virtus.

Qua planta quævis, quave anima pecus
Vivat, magister condidicit scholæ.
Non tanta vates, quam sequelis
Mergere vera sagax, at idem,

Quo molle fragret, scit melius, rosa,
Fervensque, cingit quod rosa, poculum,
Quid vina respondens canenti
Dite gemat philomela musa.

Te Rhenus omni nobilius, tuæ
Dignumque genti nutriit æmulum;
Tu forte idemque ardens, levique
Fæce cares tremulaque flamma;

Tu balsamum halas, flamine vesperi
Ceu flos odorum littore tollitur,
Nare ipse quum mercator auram
Nave bibit placide natante.

Claudamus aulam, ne, bone, diffluant
Vitæ vapores. Fors veniat catus
Fidensque vir miscere nostris
Os nimium sapiens loquelis.

Nunc ecce tutos. Nosse recondita
Dat pura mentem vis acuens senis.
Non dissipet curas! Num amati
Cura tibi, lacrymæque manant?

Sit nostra, nostræ sint lacrymæ. Refer.
Si fles amicum, mortuus et mihi. —
Hæc ille vix jam! Mox supremo
Deficit ore, jacetque funus!

Mœrore quovis, vita, videns breve,
Humana nervis quo rigidis cadit,
Tu nigrior sis mors amici,
Ni sit amor quoque præda morti.

Cura sed illa si juvenis flagras,
Cupido si urit sub nemus ad modos
Et ire bardos, dum lates, et
Vasta tuum trahit unda nomen:

Fatere! Vertit se in sapientiam,
Hancque optat ardor. Turpe, minor stetit
Si meta magno, quo perennis
Tinniat ære loquace fama.

Sis unde clarus, multa: capesse, age!
Noscere mundo. At nobile nil, ut est,
Raro licet victura, virtus:
Ingenio superabis ævum.

Vitæ perennis sed careat libens
Mercede virtus. Nunc, levior, bibe!

Nos multa magnorum virorum
Mane prius referemus udo.

IPSA MIHI PATRIÆ DULCE LOQUELA MEÆ.

Ter grata linguæ vox patriæ mihi,
Ter dulce carmen, quod citharæ modo
Regentis audivi sub ictu,
Verba choro repetente læto!

Caram parentem linquimus et patrem,
Et quæ puelli trivimus atria,
Terrasque latas per vagantes
Præcipites agitamus annos;

Gentes et urbes milleque divitis
Gazas stupemus navibus Indiæ,
Alpesque celsas, et furentis
Quas pelagi ferit unda cautes.

Natalis omni gratior est tamen
Adspectus oræ; nec lepido magis
Est flore pratum, quam tenellis
Quo manibus legimus coronam.

Quæ blanda parvis garriit unda, quod
Suscepit umbris frondiferum nemus,
Cedentis, optamusque colles,
Unde jubar roseum diei,

Vel lene puro vidimus æthere
Fulgere lunam. Mi patrio mage
Nil dulce sub cœlo, profundo
Nil citius placidove pectus

Movere sensu, quam patriæ potis
Sonus loquelæ, quosque avida puer,
Simplexque mulcentes bibebam
Aure modos teneraque mente.

JUVENIS.

(Klopstockii *der Jüngling.*)

Liquente Majus fonte silens leves
Vidit capillos ludere cum rosis,
Rubentis auroræ ut coronam,
Seque tuens placido ore risit.

Insanus Euri en turbo ferit juga!
Franguntur ilex, pinus et æsculus,
Unaque acer rupesque montis
Vertice præcipitant tremente.

Majus, quiescens gramineo toro,
Audit, tonantem nec rabiem timet,
Dormitque fragranti sub aura,
Vespere dum redeunte surgit.

Doloris expers ut charitum tibi
Dum vita ridet, te sapientiæ
Munire virtute, ah, memento,
O juvenis! Breve floret ætas.

NOX ÆSTIVA.

(Klopstockii *die Sommernacht*)

Quum lunæ tremulum per sylvas jubar
Se fundit, tiliæ floris odoribus
Dum per frigora mistæ
Auræ sese agitant leves:

Umbræ ceu subeunt, quos tumulus tegit
Caros, perque nemus nil tenebras nisi
Cerno, nec flat odoris
Jam de floribus halitus.

Nobis hæc fuerunt suavia, mortui!
Ut fragrans Zephyrus, frigus ut hesperi,
Ut natura beabas
Lunæ lumine pulchrior!

NOCET EMTA DOLORE VOLUPTAS.

Ad Philænum.

Multa mortales animi fovemus
Damna; sed mollis mage nil, Philæne,
Quam voluptatis fugienda blando
Pocula rore.

Major Alcidæ labor ille monstris;
Ocius fossas superesque vallum,
Ocius muros penetres et altas
Victor in arces.

Quem truces quondam tremuere turmæ,
Crinibus flavis amor, aut ocello
Stravit ex udo roseisve vibrans
Spicula malis.

Qualis hydropem sitis urit auctis
Sævior lymphis, tumidique torpent
Corporis tabo soluente membra:
Talis inhæret,

Et nova crescens calet usque flamma,
Quosque mellito domuit veneno,
Carpit, et sensus hebetatque mentem
Dira libido.

Mitius fulvi miseros metalli,
Mitius famæ miseros cupido
Urget, et calcans populos cruenta
Gloria lauro.

Rodere infelix citius medullas
Desinet livor; mala quam voluptas,

Turgidus cedet prius impotente
Pectore fastus.

Dum vigent anni, malesuada menti
Pareat frænum patiens libido :
Nobilem forti parat, ecce, palmam
Ardua virtus.

Cor ubi pigrum, gelidusque sanguis,
Vilis in fracto fuerit triumphus,
Nec senex ægram citius senectam
Liquerit hostis.

Turpior languens niveis capillis
Horret, et rugis it arata frontem,
Turpior curvat tumulo propinquans
Terga voluptas.

SOLMSIO

AGRIPPINENSIUM VOTIS EXOPTATO.

Nunc tempus omnes ex animo procul
Fugare curas; nunc celeri dare
Vento querelas, et serena
Mente juvat celebrare festam,

Qua nulla Rheni gratior accolis
Lux fulsit unquam ; qua venit, inclyti
Cui dextra regis sceptra donat,
Solmsiadum generosa proles.

Juncti relictis urbibus obviam
Pagisque, cives, tendite, frondibus
Et flore, qua pergit, recenti
Spargite humum, resonetque læto

Clamore cœlum. O, qui patriæ venis
Spes certa nostræ, o, alite qui venis
Felice, summis digne votis,
Solmsiade venerande, salve!

Te fama raris egregie bonis
Jactat nitentem cordis et ingeni;
Te docta Pallas, te Camœnæ,
Te Charites comitantur almæ.

O dulcis Hermæ, dulcis et Evio,
Frugumque matri, quem Themidos sacræ
Morumque leges, quem Deorum
Relligio, pietasque poscunt.

Te præter omnes nostra Colonia
Exoptat urbes: omina cui bona,
Hæc Rhenus est effatus, ipsa
Teste juvat retulisse musa.

Post fata nam quum tristia Teutonum
Portaret undis magnanimos suæ
Gentis duces, sævasque Gallo
Perniciem trepido cohortes,

Amnis, profundo gurgite quæ diu,
Nolens suorum cernere dedecus,
Fœdata celarat dolore,
Cæruleos super ora fluctus

Alte levavit, culmina tum tua,
Urbs alma, spectans, præcipuum meis
Salve decus, dixit, fluentis!
Romulidis celebrata terra,

Rerum potentes quæ dominos tuis
Mirata muris, postea cœlitum
Dilecta sedes, atque sanctæ es
Filia jure vocata Romæ;

Fœcunda clarorum genitrix virum,
Jucunda Musis patria et artibus :
Te nunc novo splendore longas
Post tenebras video nitere,

Queis immerentem livida te dies,
Excelsa quævis carpere gestiens,
Involvit, antiquæ relinquens
Vasta tamen monumenta famæ.

Mortale nil est perpetuum vigens,
Nil sortis expers. — En tua, civitas
Beata, nunc Gallos resurget
Gloria post iterum fugatos;

Rebus quietis Solmsiadum inclyta
Quando propago mœnibus in tuis
Celsam locat sedem, merenti
Imperii tribuens honorem.

Regnare namque hoc incipit aurea
Ætas, et omnis copia confluet
Rerum bonarum. O magna quondam,
Hoc moderante futura major!

En, tecta quantas vix capient, opes
Nostris tibi undis Mercurius vehit!
Nunc ampliorem mille portum
Qui pateat fodito carinis.

Artes reversas jam video tuas,
Jamque ipsa templi surgere culmina
Innixa centenis columnis,
Non superabile opus laboris.

En, mole patrum viribus altior,
Et digna summo perficitur Deo
Miranda, quam bis terna sæcla
Condere non valuere, sedes.

Nec litterarum jam minus emicat
Ardor bonarum. Mox iterum oppida

Fulgebis inter sacra musis,
Teutonicis celebrata terris.

Dilecta cœlo, sancta Colonia,
Salveto, clarum christicolis jubar!
Centum tibi, en, quæ culta templis
Relligio, veteri decore

Intacta splendet! Tu precibus Deum
Roga beatos Solmsiadæ dies. —
Sic fatus amnis; nos benignis
Reddere fas superis honores.

FOEDA PULCHRIS TECTA COLORIBUS, SIVE INSANIENTIUM DE SANDII FURORE PRÆCONIA.

(1819.)

Quæ mira cædis fama per exteras
Terras volavit Teutoniæ plagis?
Quis pulchra concussit juventæ
Corda pavor, docuitque dulcis

Amare mortem pro patriæ bonis?
Vulpina tantum quid pavitas cohors?
Fuga quid ignavam citata,
Quid tenebris animam tueris?

Repente sævis concidit ictibus,
Auri cupido cui potior suæ
Decore gentis, luctuosæ
Cui patriæ potior salute

Favor potentum, vanaque nomina.
Cultro cruento stat juvenis ferox,
Factoque lætus, confluentis
Nec gemitumve minasve turbæ,

Nec probra curans, suspicit æthera,
Chartamque, pubis fœdera teutonæ,
Jactans procumbit, supplicante
Corde deum veneransque grato.

Forti serenus, nec mora, pectore
Telum recondens, ipse sui Themin
Placavit ultor. Fata qualis
Romulidum, generose Brute,

Defles, jacentis sic patriæ flagrat
Amore Sandus, sic tenerum metit
Florem juventæ, te supremis
Teutoniam memoratque votis.

Horrenda cædes innocui viri:
Fas et nocentis judicio jubet
Delere culpam: sanctiorem
Non animis notat ipsa nostris

Natura legem. Cur generosior,
Heu! fertur ardor per vetitas vias,
Menti nec angustæ timendas?
Pavit enim hæc refugitque, major,

Secura legis, quæ parat arduis
Nutrita virtus. Non ego cum grege
Miscebo latronum in parentes,
Inque suos pietate rara

Notum sodales. Non studiis bonis
Pectus dicatum, non placidi decent
Mores latronem; nec furore
Dulcem animam patriæ sacrasse

Te musa dicet, Sande, nepotibus;
Olim, protervas ulta libidines,
Quum cara libertas beabit
Teutonicas reparata gentes.

Sic fœda pulchris tecta coloribus,
Nocente vindex sic gravius nefas,
Infanda sic stultos pudendis
Ausa juvat decorare sertis.

SORTE PREMENTE, MANES ANIMUM MIHI MUSA SERENANS.

(1831.)

Nunc, age, præceptis sapientibus utere, Flacci
Referre musa quæ modis amat tua.
Nil jam ficta juvant; vero certamine quando
Gravis probanda fortitudo pectoris.
Florentes subito tibi res traxere ruinam:
Ut, aura molle quam tulit favonii,
Æquore tranquillo nantem prope littus amœnum,
Repente nigra territant scapham freta:
Sic, quæ blanda diu, nunc te fortuna minaci
Tuetur ore; vera nunc tuis, cave,
Incassum numeris bona ne jactasse queraris;
Cave, sinistra disparem sibi arguant;
Neu doleas, rectum reverens quæ damna tulisti.
Manent, tenere dulce quæ magis, manent,
Tollere nemo potis puræ quæ munera mentis;
Manet camœna, suavis et lyræ labor,
En, natura tuæ voltu tibi ridet eodem.
Satis, carere vita quo nequit, manet,
Quod tibi sitque tuis; sortis ne mollis ab ictu
Sacro pudore blandiare prodito.
Ignavum fortuna angit; quem spernere tela
Videt, proterva desinet lacessere.
Adspice, sævarum luctantum in turbine rerum
Referre grande plectra quem sonantia,
Ingeniique juvet casta vincire corona:
Quibus remugit unda fracta rupibus,
Invicto similem musæ quem robore dicant,
In omne fama perferatque sæculum.

EXPERTUS NOLI ODISSE VITAM.

AD ZAPHILON.

Quæ magna quondam, Zaphile, duxeras,
Vitæ severæ tritus in alea,
Ut parva jam damnas, duello
Ceu trepido facilis reversus

Tiro palæstræ. Simplicis ingeni,
Rectique cultor, temet in altero
Quærens, inani nec peritus
Sub specie penetrare verum,

Mundi patentem non sine gaudio
Scenam petebas, impatiens tuas
Egisse partes, blandienti
Speque flagrans animoque plenus,

Pernice vastum qualis in æthera
Regalis ales tollitur impetu,
Fidente tendebas ad alta
Nil solitum meditante mente.

Cœlestis una filia, veritas,
Fulgenteque ibat gloria vertice,
Teloque contento triumphans
Ibat amor, placidumque fingens

Fortuna voltum. Queis comitantibus,
Non vilis actor, ludere fabulam
Lætus, dolose mox videbas
Attonitus dare terga divas.

Nigro refugit flammea veritas
Obducta nimbo; gloria turpium
In fronte fœdavit coronam;
Mox et amor brevis, ah, juventæ

Cum vere cessit! Præcipitem retro
Fortuna passum verterat invida,
Repente linquens cum protervo
Perfida non meritum cachinno.

Humana, demto, Zaphile, cortice,
Nudata cernens, multaque turbidis
Jactatus undis, jam quietam,
Fac, teneas humili reversus

Oram phaselo. Spem sapientior,
Vitæ perosus ludibrium, preme
Vanasque cum votis querelas,
Sed cave, homo ne homini rigente

Stes corde Timon. Mitis egentibus,
Solans dolentem, verus et improbo,
Vindexque justi, insaniente
Ne nimium moveare vulgo.

Fessum laboris nescia fallere
Natura sancto suscipiat sinu,
Dulcemque fundentes loquelam
Pieriæ recreent sorores.

DE SARBIEVII POESI.

Quantis beatæ flumine copiæ
Mentem moratur deliciis meam
Mirandus arctoo sub axe
Æoliæ fidicen camœnæ!

Felix latinam Sarmata barbito
Junxisse vocem, dulcibus ut modis
Mulcet canoro gestientes
Eloquio numerosus aures!

Nunc lenis, errans ut viridantia
Per prata rivus, vel zephyri rosas
Libantis instar, sive odora
Lilia qui violasve curet

Legisse serto, nunc, rapidus ruit
Ut rupe torrens, aut tumidis mare
Ut surgit undis, intonante
Magna sonans generosus ore.

Te, Sarbievi, finxit amabilem
Natura, mellis casta tibi labra
Liquore manant, temperatæ
Te placido teneroque more

Severa virtus et pietas, flagrans
Ornatque cœli pectus amoribus.
Salve, choreas quem Tonantis
Sancta charis moderans in aula

Vatem sacravit! Quam juvat indolis
Mentisque pulchræ me sequier tui
Testem Camœnam! seu potente
Alloquio relevat dolentes;

Excelsa fundit seu sapientiæ
Præcepta, sortis vel vaga munera
Lusumque miratur, stupentis
Et fremitum lacrymasque turbæ;

Romam sepultam seu gradiens super
Calcat superbæ funera gloriæ,
Bustumque truncati Quiritis
In pharia miseratur ora.

Quantus canentem spiritus incitat
Rerum potentes; pulchraque vulnera,
Longamque cara sortientes
Pro patria cecidisse vitam;

Vel quum verendis ingenio viris
Nectis coronam, quum celebras togæ
Orisve facundi labores,
Pieridum decorasve dona.

Tumultuosæ jam celeres vices
Vitæ tueris, qualis ab æthere
Serena Phœbe, jam quieti
Ruris amans humiles coloni

Laudas penates; aut nemorum latens
Grato recessu, murmure fontium
Teneris, aut frondes susurro
Populeas agitantis auræ;

Dulcis juventæ vel memori notas
Fagi virentis carmine corticem.
Nunc rore, curarum solutus,
Castalio madidus bearis,

Aut prisca volvis pectore sæcula,
Et fata gentis grandia Romulæ;
Terrena nunc sprevisse rerum
Sidereæ monuere sedes,

Cœlestis urit quum patriæ nitor,
Blandisque castos in thalamos vocas
Sponsam querelis, vel Deorum
Davidico celebras parentem

Sublimis œstro, vel teneram canis,
Quæ labis expers cœlicolum choro
Regina fulget, sæpe amore
Sæpe tuis decorata votis.

Salve piorum suaviloquens decus
Perenne vatum! Me juvat auream
Laudare per seros nepotes
Ore tuam venerante musam.

VESPER.

(Alph. De Lamartine Meditatio IV. *Le soir.*)

Supremo rediit sole silentium.
Desertis residens his ego rupibus,
Noctis per vaga cœli
Currum præcipitem sequor.

Imo jam Veneris surgit ab æthere
Fax arcana, meo sub pede candidus
Stellæ vestit amantis
Stratum gramineum nitor.

Nigris hic tremulæ frondibus ilicis
Ramorum strepitus audio; manium
Umbræ ceu volitantes
Volvant per tumulos chorum.

Nocturni subito nubila sideris
Rumpuntur radio, qui mea molliter
Tangens lumina, frontem
Serpit per tacitam levis.

Mitis, flammiferi reddita lux globi,
Quid, blande radians, vis mihi? Num venis,
Nubem ut mente repellas,
Cor mœstum subiens, mea?

Mundorumne, micas, quo mihi machinæ
Secretum retegas, mystica sub polo
Occultata, renascens
Quo te jam revocat dies?

Secretis miseros conscia num modis
Solatura venis? Num miseri supra
Frontem noctis in umbra
Splendes ceu radius spei?

Venturine venis nuntia, lassa quod
Votis corda vocant? Tune carentis es
Fine aurora diei,
Cœlestis radius plagæ?

Ignotis trepidat cor mihi gaudiis,
Flammans luce tua; terra, revolvo, quos
Condit: dulcis eorum
Tune es pars animæ jubar?

Felices nemorum forte super comas
Sic manes volitent? Ut propioribus,
Dum circumdat imago,
Ipsis jam videor frui.

Sic vos o videam! Sic strepitu procul
Et turba; teneræ, noctibus omnibus,
Sic umbræ sociandæ
Nostris vertite somniis.

Per vos pax et amor cordis in intimum
Lassati redeant; languida gramina
Ros ut solis ab æstu
Per noctem reficit cadens.

Sic dulces animæ... Lugubre sed, viden',
Imo se nebulas tollere ab æthere?
Suavem cuncta tenebræ
Condentes radium tenent.

AD PHILOMELAM.

(Ad J.-B. Rousseau odam II. lib. 2.)

Quid duram æternis sortem gemuisse querelis
Te, philomela, juvat?
Cuncta tuos, viden', ut certant pacare dolores?
Blanda tibi reduci

Incassum, viden', ut natura renascitur omnis?
Te rigida Boreas
Cum glacie nivibusque fugit, facilesque hymenæi
Blanditiis Dryades
Secretas præbent umbras; tibi terra recenti
Gramine, cærulei
Templa tibi læte rident candentia cœli;
Te roseam lacrymis
Irrorans Eos floram, te dædala mulcet
Prata super Zephyrus
Delibans suaves, tellus quos halat, odores.
Cara, tuos volucrum
Dulciloquos cantus exspectat turba silescens,
Innocuamque ferox
Ipse tibi refugit venator tollere lucem:
Tu tamen, usque memor,
Ereptam tenera deploras voce sororem.
Ah, tua præteritis
Contristata malis: mea quam mage pectora crudo
Vulnere læsa dolent!
Heu, natura omnis dum certat fallere curas
Mœstitiamque tuam,
Dura mihi gemitus etiam dulcedine fata
Cor relevare negant!

ARDUA TENTANTI MERCES MENS CONSCIA RECTI.

Ad Philænum.

Nunquam, labori si pretium petas
Ex ore vulgi, te juvet ardua
Tentasse, seu mitem quietæ
Palma togæ vocat, in duellum

Seu te ferocem sanguineo ciet
Bellona flagro. Quem stimulat favor
Turbæque plausus, insolenti
Hunc trepidum premit atque tollit

Fortuna lusu, mergere sævior,
Philæne, molli quos gremio diu
Blandita fovit. Sæpe laudem
Curva prius subiisse bustum

Flevit senectus. Tu famulam tuis
Jam stare divam finge volubilem
Votis: quis insanos beato
Arceat invidiæ furores?

Audin' trecenis sibila rictibus
Turgentis hydræ, quam neque colchico
Mulcens veneno, nec sagittis
Herculea domitesve clava?

Sed finge victam. Num sapientior
Judex decoris turpia dividet,
Minusve Thersitæ dolebis
Crinibus impositam coronam?

Ut semet ornet, plurimus, ut suis
Defensor acer partibus audiat,
Laudatve culpatve. Inclytorum
Fama virum studiis iniquis

Vexata pendet. Sic Caroli tribus
Post facta sæclis ambiguo nitent
Fulgore, clarum quem potenti
Consilio pariterque bello

Miratus orbis; sic reprobat suo
Fidus Luthero, quas lacrymas pius
Cæso dat hosti Ferdinandus,
Mite, sed impavidum protervo

Pectus rebelli. Tu tibi conscius
Confide recti, ne popularium
Jacteris aurarum procellis,
Ipse tui populique censor.

Te teste culpâ liber abiveris,
Ultrove fasces te melioribus
Sortisque donabis dolosis
Ictibus invidiaque major.

Quodsi regendis finxerit imparem
Natura rebus, dulcis in otio
Te fabulam spectare musæ
Sarbivii monuere plectra.

AD EBERTUM.

(Klopstockii *an Ebert*)

In tenebras, Eberte, mero a fulgente volutans
Mens mihi mœsta fugit.
Incassum, ah, mihi blande calix, depellere frontis
Ante potens nebulas!
Flentem hinc me ire juvat: lenem mœror mihi forsan
Iverit in lacrimam.
Vos, lenes lacrymæ, sapiens natura dolenti
Dat socias homini.
Vos si mortali, heu, sua si mala flere recuset,
Quo ferat illa modo?
Flentem hinc me ire juvat: gravis urget, mœsta medullis
Mens trepidatque meis.
Ergo ubi jam fuerint, Eberte, omnes ubi amicos
Sancta recondit humus,
Nosque duos linquunt solos: Eberte, loquela
Hic tibi nonne riget?

Non lux hic oculos, non vita refugit inertes?
Sic stupuere mei;

Sic tremui, primum mea quum mens mœstior omni
Ossa per intonuit.

Ad sua tecta procul ceu, flamma trisulca, reversum
Quum petis, ante oculos

Conjugis et nati culti natæque decoræ,
In tenerique necas

Amplexus lacrymis, corpus mutasque favilla,
Altaque rursus ovans

Nubila percurris: talis mœroris ab ictu
Mens mea contremuit;

Nox oculum ut premeret, nervo torpente caduca
Ut tremerent gênua.

Umbrarum, heu, ibant nostri me præter amici,
Nocte silente cohors!

Nocte silente sepulchro, heu, vidi exire redemtos
Mortis ab arbitrio! —

Giseke quum tenero jam non mihi lumine ridet;
Quum procul a Radikin

Candidum habet Cramerum tellus, quum Rabener, Gærtner,
Socratica ora, tacent;

Omnis Gellerti vitæ generosa silescit
Quum semel harmonia;

Trans tumulum placidos liber quum Rhote beabit
Lætitiæ socios;

Exilio e longo solers quum Schlegel amicis
Scribere desierit;

Quum cari amplexus Schmidsi teneræ mihi nullæ
Intereunt lacrymæ;

Æternus patrem quum Hagedornum somnus habebit:
Quid tum erimus, gravior

Quos cunctis, Eberte, unos sacrosque dolori
Sors superesse jubet?

Tunc si alter moritur nostrum; (nox anxia corda
Nigrior usque premit,)

Tunc si alter moritur nostrum, si linquitur unus,
Sumque relictus ego,

Jamque me amavit et illa, olim cui jungar amore,
Jamque quiescit humo,

Solus sumque ego tum, in terris ego solus: amori
Tune creata, anima

Morte carens, vacuos soles cernesque, superstes
Et tibi sensus erit?

An, noctes stupefacta putans, confusa quiesces
Et sine corde jacens?

Surgere sed possis miseram sortemque dolere,
Morte carens anima.

A tumulis umbras revoca, si surgis, amica!
Hos revocare satis.

Functorum o tumuli, disjecta sepulchra, quiescunt
O ubi corda mea!

Florenti cur non conjuncti in valle jacetis,
Sub nemorumve comis?

Ducite me tremulo pede, quemque senem moriturum
Ducite me in tumulum!

Cupressum ut ponam tenerisque nepotibus umbram
Nutriam in arboribus.

Noctu cœlestes animas nutante videbo in
Vertice sæpe meas,

Et titubans cœlum adspiciam, fleboque, cadamque
Ad tumulum! Prope tunc

Condite defunctum, tuque o tunc accipe pulvis
Me lacrymasque meas! —

Desine per pavitare animam, mens nigra, tremenda, ut
Judicium, gravis, ut

Æternum! non te capit ultra, desine mutam,
Mens, agitare animam!

AD SODALES

(Ad carmen gallicum.)

Ut beor diis epulis, sodales!
Turbidi lusus fremitusque cœtus,
Fragmina hæc, disjecta juvantque poma,
Fumida quæque

Purpura fulgent generosa vina.
Lustra post quando duodena nostris
Poculum dextris titubare dura
Fecerit ætas,

Hac uti, nos o etiam Lyæus
Congreget mensa, neque desit ullus!
Debili quamvis resonemus ore,
Ultima nobis

Musa sit Bacchus: Bromio bibamus!
Octo sub pallens decies pruinis
Frons ab ardenti rubeat liquore!
Nectare ovemus

Sensibus mersis: hederam, soldales,
Nil timent cani; viridem juventæ
Hanc gerit frondem spoliata longis
Ornus ab annis.

AD YOUNGIUM.

(Klopstockii *an Young.*)

Terras linque, senex, linque, propheta! Te
Surgens palma diu, lacryma te vocat,
Gaudens quam tibi flere, en,
Lumen cœlitibus madet.

Quid cessas? Monumentum æthereos tibi
Stat campos superans. Namque atheos graves
Et festas tibi noctes
Et sacras vigilans, tuo

Mundi judicium sentit, et horruit
Cantu davidico, quid sapiens velis,
Defunctosque cientis,
Sentit, quid fremitus tubæ.

Terras linque: tuum est, quod mihi gaudio,
Quali justus ovat, mors similis sonus.
At dux ne mihi desis,
Vade, ut sis genius meus.

IN MUTANTE DURANS.

(Ad Gœthei *Dauer im Wechsel.*)

Una, quam vellem, mihi posset hora
Veris hos primi retinere flores!
Flatibus sed jam zephyri tepentis
Copia ningit.

Quæ virens lassum modo fovit umbra,
Fronde num læter? Celerans et illam
Fuscat autumnus, tremulamque raptat
Turbine bruma.

Si placent fructus, properante carpe
Dextera partem; propiora sunt hæc
Poma maturis, simul illa germen
Æmula rumpunt.

Blanda quæ ridet, feriens repente
Quilibet vallem tibi mutat imber,
Nuper, heu, nec quo, fluvio natabis
Rursus eodem!

Ipse quis nunc es! Viguere nata
Te prius; rupes uti, firma muros

Et vides arces, alio videsque
Lumine semper.

Ægra quæ quondam Glyceræ medelam
Ore quærebant, abiere labra,
Quique pes damæ saliebat instar
Cautibus audax,

Quæque gaudebat manus ante promta
Pauperem miti relevare dono:
Torpuit cunctis male laxa membris
Versa figura.

Quodque florentis, nisi nomen unum,
Nil tui servat, levis unda qualis,
Venit ut, præceps elementa sic se
Ad sua volvit.

Ima cum primis sine concitatis
Confluant horis; citiore lapsu
Ipse quam rerum quod imago transis,
Tolle querelam.

Cui favet, nunquam peritura musa
Sit satis donans, animoque pulchri
Dædalas formas, siluamque mundum
Corde sub alto.

MOMENTUM FAVENS.

(Schilleri *die Gunst des Augenblickes.*)

Sic choro læto varioque rursus
Reddimur nobis, placet et recente
Carminum necti folio coronam;
Prima camœnæ

Dona sed cuinam ferimus deorum?
Gaudium cujus parere est potestas,
Hunc decet primum cecinisse lætos;
Scilicet aram

Nil Ceres vita decorans, rubentem,
Nil juvas, Bacche, in pateram racemo
Exprimens rorem: focus unde flagret,
Æthere si non

Emicant flammæ, neque fervet igne
Ebrium pectus, neque cor voluptas
Frigidum tentat. Bona sors, opertet,
Nube, sinuque

Decidat divum; dominosque præsens
Ante momentum dominatur omnes.
Prima naturæ genitæ stat ex quo immensa figura,

Dia quæ terræ videt ora cunque,
Mente ceu lumen micuere. Saxis

Saxa sunt horæ sociare lentæ :
Mens uti gignit,

Sic opus sensum celerem requirit.
Ceu tapes clari vario colore
Texitur solis, vaga sive pictis
Pontibus Iris

Pendet in cœlo : breve sic, coruscum
Fulmen ut, pulchrum fugit omne donum;
Prodiens gaudet cita nox sub atro
Condere busto.

HÆC TIBI QUÆ LEGI, EN, TENERÆ PER PRÆMIA FLAMMÆ

(Fr. Mar. Molzæ *sonettum* CLXIII.)

Colles arvaque dum novo
Ver circum gradiens vestit honore, dum
Herbis tempora floreis
Suave halans Arabum cingit odoribus,
Orto Leuconoe die
Sertum purpureum junxerat, et mihi,
Tanti, fer decus hoc, ait,
Ardoris pretium quod tibi legimus.
Crines dulce loquens meos
Sic vincit, teneris sic mihi nexibus
Stringit non aliis patens
Hinc cor lætitiis. Hanc ego jam meis
Semper plus oculis amem, hanc
Suspirem, hanc mea mens jam vocet unicam.

MUSA TEUTONICA.

(Schilleri *die deutsche Muse.*)

Teutonæ nullum viguit camœnæ
Sæculum Augusti, Medices benigne
Nullus arrisit; neque læta famæ
Crevit in ore,

Feta nec sceptro radiante regum
Protulit florem : soboles borussa,
Teutonum primus lare ceu carentem
Reppulit aula.

Spiritu jactes, licet, altiore,
Te tibi, Germane, parasse laudem :
Unde sublimes mage fert in oras
Impetus, undans

Plenius bardo resonatque cantus,
Copia turgens propria, profundo
Emicat cordis, famulamque normæ
Despicit artem.

MATURA SEPULCHRA.

(Klopstockii *die frühen Græber*)

Candenti salve, Phœbe; mihi lumine, noctis
Pulchra, quieta comes.
Quid fugis in nubem ? Noli, ah! Sed transiit, ecce;
Mentis amica redis.
Æstiva Majus nocte est formosior unus;
Mane vocante, velut
Lucis, ubi stillat rorem de crine, rubenti
Scandit et ore jugum.
Jam musco mœstus, generosi, heu, vestra virescit
Stans super ossa lapis!
Felicem me, una quum sidera vidimus, una
Quum rutilare diem!

QUO STOLIDOS AGIS INANE NOMEN ?

(1831.)

Regem rebelles vidimus in bonum,
Tetros tyrannos, jura reposcere
Humana; libertas per urbes
Effera perque ululavit agros.

Nullum nefandis sub ducibus scelus
Non ausa centum bellua rictibus,
Immane per grassata lustrum,
Dum veteris solii ruinas

Cursus dolosus se super extulit,
Bellique tangens culmina gloriæ,
Et mole factorum stupenda
Cuncta trahens, soboles Gradivi.

Dextra prementem vidimus ærea
Nuper feroces; vidimus, exteras
Late triumphantem per oras,
Horribilem peragrare lætis

Cruore turmis regnaque Teutonum,
Æstusque Iberorum, et Scythiæ nives.
Ceu voce fatorum jubente,
Attonitæ siluere gentes;

Repente, lusum quem sibi foverat
Fortuna, magnus quum Nemesi ruit
Urgente per præceps, profundi
In scopulo moriturus exul.

At, liberati servitio gravi,
Jam molle cives imperium, suo
Jam rite parendi sacratam
Arbitrio voluere legem;

Æquum tributum, quæque hominem decent,
Deique cultum verbaque libera.
Proh, justa nescimus petentes
In medio reperire verum!

Non liber æquis est nisi legibus
Servire gaudens. Quo stolidos agis
Inane nos turbasque nomen!
Indociles tolerare pacem,

Rupta minamur principibus fide;
Strictoque ferro stat sibi quisque rex.
Effræna dudum humana fastu
Gens nimium tumuit profano.

Mundum regentis numinis immemor,
Parere regi quis volet? Horrido
Prostrata Gallorum tumultu
Tristibus ominibus reposta

Columna nutat. Vincula publicæ
Felicitatis fregimus, ordini
Legique divinæ rebelles.
Nulla salus, teneris ab annis,

Placente morum, quam terimus, via.
Cives juventus det melior bonos;
Discat parentes et vereri
Ante deum patriæ docendus

Amare pacem, et fræna licentiæ
Injecta. Reges quid reverentia
Possunt remota? Quis paterno
More potis placidoque civem

Sceptro tueri, si jocus improbis,
Impune fœdis si lacerant probris?
Libido quos infanda cunque
Jus hominum pepulitque divum,

Miscere, turpes ut patriæ super
Surgant ruinas, tradita vidimus,
Heu, tecta flammis, et latronum
Omne nefas agitare turbas!

Reges tyrannos, ruptaque fœdera
Dire frementes impia concitant
In bella plebem, mox potentes
Quam miseram spoliisque dites,

Spernunt bonorum. Ficta repellitur,
Stultos tyrannis post merito premat
Ut vera, pejuræque prædam et
Flebile ludibrium catervæ!

IN CORDE, QUO FIDAS, QUÆRE.

AD LÆTUM.

Vana quid captas simulacra veri?
Læte, nil mutant pia nostra mundum,
Vota, naturæ neque celsa flectunt
Somnia legem.

Omnis evolvens monumenta sæcli,
Impigram certos iterare gyros,
Parce mortalem placitis scholarum
Fingere vitam.

Qualis arescit, modo quæ virebat
Frons, et incumbit senium juventæ;
Fusca nox Phœbo fugiente qualis
Occupat arva:

Talis æterno genius duello
Ater insurgit, Jovis ut lacertis
Filii stricto redit usque tacta
Robur arena.

Hoste, vis, nullo bonus ut triumphet?
Ipe quam rerum voluit creator,
Pugna, vis, cesset, positisque virtus
Langueat armis?

Aureos mores cecinit vetustas,
Aureum regnum, sociosque terræ
Cœtibus divos, scelerisque vitam
Labe carentem.

Illa sed nunquam viguit, nec ulli
Sors diem felix fuit ad supremam
Sole sub nostro: super astra sæclum
Quære beatum.

Mentis angustæ bona crede votis
Digna, quæ tollit brevis hora; cœcæ
Dona fortunæ cumulans, protervo
Se improbus ore

Jactet, everso mala turba fraude
Floreat recto: meliora virtus
Sperat, in terris peregrina, divum
Æmula sedis.

Illa decretum venerans supremum
Gaudet, audaci neque mente tentat
Scire, quæ condit, neque culpat ullo
Murmure numen.

Sancta terrenas acies refugit
Veritas: densis sua templa nimbis
Abdidit; circum vetus errat una
Turba recensque,

Contigit nulli subiisse limen.
Mitte conantes homini negatum;

Mitte Chrysippos, rigidique mitte a-
cumina Kanti.

Sit satis puro reperire corde
Numinis testem scelerisque pœnam;
Sidus humanæ satis hoc sit unum
Per freta cymbæ.

TRIA TENENDA.

AD LÆTUM.

Corde quæ sentis tria, Læte, vera,
Vana si credis, ratione vincens,
Prima, queîs differs animante, cœlì
Munera tollis.

Liber est, ludant licet usque circum
Fata mortalem : tenet ille nullum
Jus in externis, validæ sed in se
Robora mentis

Tutus opponit: fera vis catenis
Et crucem tradat minitans et ignem,
Liber in ligno manet ille, liber
Tortus in igne.

Missa de cœlo nec inane nomen,
Major humana neque sorte virtus.
Degener quamvis titubetque celsi
Immemor ortus,

Corpori cedens, homo, teste nullo,
Se reum damnat, scelus inter ipsum,
Ultor in semet, tua, pulchra virtus,
Horruit ora.

Est deus, mundi generisque sanctus
Auctor humani, ratione certa,
Lege mortales oculos latente,
Cuncta gubernans,

Temporis nullo spatiive clausum
Termino numen, variante rerum,
Ipse non mutans, specie, perenni
Pace beatus.

Corde quæ sentis tria teste, serva!
Læte, terrenis potiora quærens,
Quo deus jussit, memor ire, serva
Munera cœli!

FALLERE MORTALEM SUPERIS VOX NESCIT AB ORIS.

(Ad Schilleri *Hoffnung*.)

Amat loquentem de melioribus
Homo diebus, multaque somniat;
Ad auream pelli, ad beatam
Usque vides properare metam.

Mundus seniles et juvenes retro
Volvens it annos; at, melius fore,
Spes mulcet humanos: in ipsis
Hæc volitans, comes alma, cunis

Circum puellum, mox vibrat entheam
Facem juventæ, cumque viro vigens
Canentis est brumæ superstes;
Quippe ubi jam requiem dat ægro

Tellus laborum, spem tumuli super
Figit tenebris. — Blanditias, cave,
Erroris has credas, inanes
Aut stolidi species cerebri.

Testem, creatos ad meliora nos,
Clare sonantem pectore condimus:
Lusisse cor sperans supernis
Nescia vox veniens ab oris.

AD QUIETEM.

(Hœltyana.)

Quæ silentium colis,
Quies, ab Eden nympha, nemorum opaca,
Pallido, trementibus
Sub populis, lunæ nitore gaudens,
Quæ sedes agrestium
Attenta, rivum prope, modis camœnæ,
Floreamve Sylviæ
Legis coronam, tinnulos vel arva
Læta per vago boves
Mirare passu: sponsam ut usque sponsus,
Cordis usque te mei
Sic ego sequebar, sponsa, sola rupis
Nunc ad antra, deviis
Nunc in jugis, convalle vel profunda,
Suavis, aut, ubi gemit
Philomela per virgulta. Jamque diva
Nectareo mihi rigas
Vocata rore pectus. Hic odoro
Cespite hesperum, tuos
Aspicio amores, quæque blanda sylvæ
Luna per cacumina
Corusca fulget. Quo, puer favonio
Quum comas dabam, rosa
Cingente, lusum, ah, lenis usque eodem,
Nympha, rideas mihi
Voltu! Nec urbanæ decor puellæ
Me tuo e sinu, labra
Nec in theatrum purpurea, frementem
Aut trahant chorum. Meo
Mane hic agresti, diva, sub lare, olim
Sponsæ amabilis manu
Dum me beatum transferas in Eden.

DE PICTA VIRGINUM CHOREA.

Quidquam, Terpsinoe, suavius unquam mihi quo neges
Vidisse, eximium pictor amans composuit tuæ
Donum Leucotheæ, virgineas fronde sub æsculi
Ramosæ choreas. Ah, nitidis quantus inest lepor
Formis, quamque decens motus! Ut ore in vario placet
Flos ævi, volucris jam facibus qui pueri notet
Pectus sollicitum! Nec, mage mentem an stupeas manum,
Discernas facile; quam Veneremve Uraniam putes,
Euterpenve, chorum pierium quæ fide temperat,
Rexisse. Ille tamen virgineo te addere cœtui
Cavit, non temere, forma, timens, ne tua gratiis
Certans, neve genis in niveis purpura quæ rosæ,
Cœlestesve oculi, sidereum luna velut jubar,
Illius premerent, quod venerum cunque foret, chori.

PERGE, CLAMABAT, SEMPER AD ORTUM.

(Schilleri *der Pilgrim.*)

Vita dum vernans, abii, relinquens
Patriis festas laribus choreas;
Et, rei quidquid fuerat, bonorum
Quæque manebat,

Spem, fide lætus puerique simplex
Mente projeci, levibus peregre
Passibus migrans. Fidei loquela
Mystica nam me,

Spesque pellebat stimulo potenti.
Perge, clamabat, via aperta, semper
Perge, clamabat mihi vox, ad ortum,
Auream ad usque

Dum venis portam. Hanc subeas, oportet;
Inde nam cœleste erit et perenne,
Quidquid est terræ. Redit, ecce, vesper,
Et redit eos:

Pergo ego et pergo; latitat sed usque,
Quod volo et quæro. Superare montes
Impigrum torrens cohibebat: altum
Sterno barathrum,

Molior pontes rapidam per undam.
Amnis, en, ortum venio petentis
Marginem: gaudens gremio ducis me
Tradoque fidens.

Æquor ad vastum vagus hic fluentis
Me trahit lusum, vacuumque vultus
Horret immensum; propior stupenti
Nec mihi meta.

Illa, proh, nullo est adeunda ponte!
Me supra pendens tetigisse terram,
Heu, negat, cœlum, peto, nec, quod illic,
Hic erit unquam!

MEA VOLUPTAS.

(Ad Burii *mein Vergnügen.*)

Littoreæ salicis radicem murmure blando
Me juvat unda luens;
Jam puerum memini quæ me tenuisse beatum,
Iis juvat esse locis.
Dulce mihi lætum juvenes audire gementes
Nota per arva boves,
Et multa candens paradisus Gessnerianus
Est mihi cespes ove.
Spiciferi strepitu campi mundorum uti magnæ
Mulceor harmoniæ
Concentu, et flexo, sylva reboante, procumbens
Numen adoro genu.
Delectant firmantque virûm me facta bonorum,
Alma futura seges
Postgenitis; farris centeno ut credita grano
Semina reddit ager.
Me grave tranquillo meditantem tramite, solis
Me juvat ire jugis,
Præteriti plenum, suavi mentemque dolore
Et vaga corda sequi:
Reliquiæ veteris qua pendent arcis, inumbrant
Quas nemus et scopuli;
Qua montes urguent montes, oculusque tueri
Vasta profunda pavet.
Contentum esse meis Flaccus Kleistusque fideles
Me comites, brevis et
Horæ, quæ fuit ipsorum sapientia sæcli *,
Carpere dona monent.
Sæpius et, pagi nostri, sola sacra reviso,
Molle ubi dormit avus;
Testis ubi teneræ luctus mihi matris alumni
Flos viget ad tumulum.
Lente erro, relegoque, notat queis saxa relictæ
Questus amicitiæ;
Hic, orba ut ploret soboles, hic, corda diremta
Ut gemat orbus amor.
Disjicit ex ædis turri campana severo
Somnia mœsta sono:
Perculsum subit ævi animum fuga: me quoque mortis
Vox, tumulusque vocat.

(*) Fuit et Horatii, cujus *dona præsentis rape lætus horæ.*

JUVENIS AD RIVUM.

(Schilleri *der Jüngling am Bache.*)

Dum sedet fontem prope, serta flore
Quæ puer nexit, properare rapta
Fluctibus cernit : mea sic morari
Tendit ut unda

Nesciens ætas ; mea sic, ut illa
Serta, marcescens, brevis it juventus.
Florido, ne, ævo mihi quæ dolendi
Causa, rogate.

Cuncta lætantur, redeunte vere,
Spes viget cunctis; mihi sed, resurgens
Mille quas natura iterat loquelas,
Nil nisi mœstas

Corde sub curas revocant profundo.
Quid juvet, pulchrum mihi ver quod offert,
Gaudium ? Nil usquam ego præter unam
Quæro, propinqua

Quæ mihi, æternum remanetque longe!
Cara suspirans simulacra palmis,
Heu, peto frustra, neque cordis unquam
Flamma quiescit!

Huc ades, formosa, superba ab arce
Huc ades, dulcis! Gremium tibi, ecce,
Verna quot circum generavit hora,
Impleo flore.

Vitreos audin' strepitare rivos,
Et nemus multo resonare cantu ?
Parva felici mea sat duorum
Est casa amori.

NOCTEM ME SINE LONGAM DUCIT.

(Gœtheana.)

Nunc ego, clausa meos casa nam custodit amores,
Hic lente solus tenebrosam
Ambulo per sylvam : fagorum, en, candida fronde
Luna micat, qua densa susurris
Tegmina rumpuntur zephyris ; at turis odorem
Albentes large demisso
Crine halant betulæ. Ah, quantum me mollia noctis
Frigora formosæ delectant!
Ut blando, ut miro tentat mea pectora sensu!
Una deest mihi Laura, voluptas
Ne sit summa, deumque morer nil nectaris haustus;
Una deest his Laura sub umbris;
Quæ mihi nec regida, hei! comes unquam matre remota,
Dum nostro sol lucet amori;
Sive hortus, sive arva tenent nos florida, ab æstu
Seu rivum propter saliceto,
Aut fontis queruli tegimur quercu. Sed amantum
Hesperus ut cœlo redit astrum,
Laura pavens matris convicia, sub lare noctem, heu,
Abdita me sine longam ducit!
Suave per immensum spectare nitentia templum
Sidera ; suave tuum, mea Phœbe,
Lumen; tuque, nemus placide complexaque late
Campos, alta quies, arcana
Dulce potens sensus mihi vi mentemque movere.
Pace tamen si vestra, divi,
Fas orare, mihi, ut mutem tot suavibus unam,
Unam cum Laura date noctem!

FONS.

(Ad Chr. A. Tiedge *die Quelle.*)

Blande, fragrantis vage fons sub umbra
Tegminis, molles modulata sensus,
Vita sub nigra mea quo relucet
Condita nocte.

Sæviat quamvis Boreæ tonantis
Per nemus stratum rabies, meantem
Te sonus lenis roseoque mulcet
Flamen odore.

Me sacer vitæ facie paventem
Horror excepit tuus, eque luctus
Extulit densis animum tenebris
Entheus œstrus.

Vilis at subter moritur latentis
Nocte telluris fremitus : deorum
Cura terrestris metuit sodalem
Tangere cœtus.

Calle secreto simulacra vitæ
Tu mihi fingis : tua lympha qualis,
Ludit, æternum fugit et propinquat,
Itque venitque.

At tibi ripæ licet umbra velet
Lympidos rores, tamen in sonoræ
Luce crystalli liquidi refulgent
Cœrula cœli.

Te camœnarum referat sacrarum
Ingenî flammis radians alumnus;

Alta cui, mundo resonare cœlum
Pectore, virtus.

Quam levem mundi recipit, figuram
Reddit excelsam : superans perennis
Ore sic musæ, vehitur beatæ
Flumine vitæ.

DULCIA SUB TUMULO, MAGDALI, CUNCTA TUO.

Ut tristi rediens hæc loca pectore
Cerno! Deliciis tot mihi conscia
Quæ tecum, sine te, Magdali, lugubri
Ut squalent specie! Non mihi prata jam,
Non sylvæ, roseus nec placet hesperus,
Nec questu tenero me philomela, nec
Labentum capiunt murmura fontium.
Atras, heu, nimium lætitiæ vices!
Curis me miserum, cor quod amet meum,
Dum quæro, gremio, blanda semel, tuo
Sors fovit, rapiens te mihi, Magdali,
Ut me perpetuo mox fera redderet
Mœrori! Quid enim nunc sine te mihi
Jucundum, sine te quid sit amabile,
In te dulcia erant cui simul omnia?
At tu, quæ facie hic veris amœnior,
Tu, quæ purpureo mane serenior
Ridebas mihi, dum, Magdali, nos nova
Æternum socient vincla, dolentis hæc
Mulcet spes animum, tu memor es mei.

UNUS CORINNAM EST HINC ABESSE MOEROR.

(Malherbiana.)

Celsæ, spernentes ævi velut invidi ruinas,
Domus, superbis ars ubi stupenda
Vincere naturæ miracula molibus laborat :
Quæ Flora nunquam deserit, nec umbræ,
Campi cum sylvis, genius, loca, queis semel benignus
Jussit rigentes exulare cauros;
Qua puer errabam, ter dulcia, me beare tanta
Vos sueta quondam amœnitate, luci,
Rivi, fontes! quod luctus mea turbat ora nubes,
Solasque amat cor saucium querelas,
Non vos squaloris, sævi mihi causa nec doloris :
Unus Corinnam est hinc abesse duram
Mœror, suave nihil nobis sine qua, nihil serenum,
Sed cuncta nigræ tesqua plena noctis.

QUATUOR MUNDI ÆTATES.

(SCHILLERI *die vier Weltalter.*)

Purpurans fervet cyatho falernum,
Hospitum fulgent acies ovantum :
En, adest, intratque bonisque jungit
Optima cantor.

Vile namque ipsa Jovis est in aula
Nectaris cœnæ, cithara silente,
Gaudium. Puræ potis ille divum
Munere mentis

Reddere æterni simulacra mundi:
Quodque fit terris, videt omne, quodque
Temporis celat gremium futuri;
Semina rerum

Jacta primævi superum in senatus
Hausit arcanis, hilarisque vitæ
Dædalam ludit speciem retexens,
Tectaque terræ,

Musa nam donat, sobolis deorum
Ornat in sedes : humilis nec ulla,
Arcta nec sic est casa, quin beatum inducat Olympum.

Ac velut dia Jove natus arte
Simplicem solers clypei per orbem
Cum mari terramque, rotansque finxit
Sidera cœlum,

Ille momenti in sonitu fugace
Lætus immensi retulisse formam.
Notus infanti venit hospes ævo,
Et juvenilis

Gaudio mundi, populos amœnus
Itque per cunctos comes atque sæcla :
Quatuor vidit, variasque quinti
Explicat ævi

Stirpibus terræ. Rudis atque justi
Prima Saturni viguere regna,
Quum tenor luci foret unus omni :
Libera cunctis

Illa curarum fuit innocentum
Vita pastorum; nec amare præter
Noverant quidquam; dabat otiosis
Omnia tellus.

Dein labor venit, pereuntque monstra
Fortium telo, pereunt dracones;
Cœpit heroum genus atque regum,
Subque potente

Tutus infirmus; subiit Scamandri
Pugna per campos; deus usque mundi

Sed manet pulchrum. Requievit asper
Victor ab armis,

Vimque mansuescens posuit ferocem.
Cœlitum musa, ecce, canit choreis!
Ecce, divorum simulacra surgunt!
Dia figurans

Floruisti ætas, reditura nunquam.
Excidit cœli solio deorum
Turba; sublimes ruerunt columnæ;
Nataque terræ

Virginis proles vitiis mederi:
Sensuum fugit levis hinc voluptas;
Exteri spernens homo se retraxit
In sua corda.

Cesserat, mundi qui hilarem juventam
Vanus ornabat nitidusque luxus;
Nonna se flagro monachusque torquet;
Cœtibus hasta

Ferreus luctatur eques; fera sed
Et nigra quamvis tener atque blandus
Est amor vita; stetit et sacrato
Casta recessu

Ara musarum; simul et decorum
Nobile et quidquid coluit pudicum
Fœminæ pectus; novus et fidemque et
Fœdera amantum

Pulchra cantantes stimulavit ardor.
Fœminas quare tener et perennis
Nexus hinc plectro societ poetæ:
Texere recti

Cingulum lenes venerumque certant;
Scilicet pulchro religante servant
Vinculo vitæ speciem juventæ
Cantus amorque.

LYCI NÆNIA.

Alterius vocem nugis numerosque dabamus.

Lyci recentem nosce, Vanni, næniam,
Grandia verba Lyci mandata ventis, æmulum
Flacci querelis, quem, puer ceu turbinem,
Vafra Camilla rotat. Vale, puella perfida!
Vale! Furoris me piget tandem mei.
Dura puella! jugi tandem nefandi pœnitet,
Turpisque lusus. Quos ocellis torqueas,
Quære dehinc alios, quos blanda, quos spe mutuam
Mentita flammam. Eheu, probrosa servitii
Tempora lenta mei, dies dolore, fletibus,
Plenæque noctes! At mihi jam saxeo
Corde puella, vale! Sæva solutum compede,
Bonæ misertus reddidit menti deus.
Dura Camilla, vale! His ægra musis pectora
Levare, curam sic misellus flebiles
Ille canens elegos placare tentat; seu graves
Post contumelias, amara, cogitans,
Quæ sub amore mala; pronas amici vocibus
Seu prœbet aures, sive mœsto Tullii
Socraticas animo chartas volutat, in brevem, heu,
Male fortis horam, mox ad asperæ, vetus
Mancipium, dominæ limen revertens! Fabula,
Vanni, puellis, et pharetrati sumus
Ludibrium pueri, stultos sophosque spiculo
Versantis æque! Atram, ah, metue tu quoque vicem!
Neu placido in scopulis ride gementes æquore,
Suavi beatus candidaque Junia,
Mollia quum roseis mutas labellis oscula.

VIRGO AURELIANENSIS.

(Schilleri *das Mædchen von Orleans.*)

Sanctam te jocus illuderet ut mentis imaginem
Humanæ, salibus virgineam polluit improbis
Frontem. Perpetuum scilicet immunda licentia
Pulchro bella movet, quæ superos quæque negat deum,
Erroremque agitans corda suo contemerat fidem
Thesauro spolians. Innocuæ sed soror, et gregis,
Qualis tu quoque, custos pia, cœli, en, tibi jus suum
Dat, castamque ferens musa super sidera, gloriæ
Te cordis sobolem sacrat, ab ævi eripiens fuga.
Gestit conspicuis plebs maculam spargere, celsaque
Infra se premit; at pulchra etiam pectora, ne time;
Claro altoque flagrant. Fervida Momo fora rideant,
Ipsam quæ referunt, nobilior mens species amat.

NULLAS METUUNT TUA DONA PRUINAS.

Cuncta tibi unde flagrent
Corda, nec miror, Cyane, nec citius docere
Te valeam, quam, amantes
Luna, si quæras, tacitæ mitis amica noctis,
Unde magis corusco
Sole delectet; nive, vel, cum Borea repulsis,
Unde, tepentis aura
Lene dum spirat zephyri, sylva novo decore,
Cumque polo omnis alma

Rideat tellus. Charites, malo, roges, in aula
Cœlicolum sorores
Quæ choro præsunt; homines, malo, roges, deosque
Qui veneri domantem
Texuit zonam. Fugiet te sapiens puellis
Inseruisse judex,
Nulla quas, verno nitidas tempore, mentis ornat
Dos, animusque pugnans
Dedecet formæ. Positi lege pedes manusque,
Grande nefas, lepori
Si tuo, vulgaris honor si tibi frontis, ore
Sive loquace certet
Cum joco risus. Brevis est flos roseus juventæ:
Ver rigidas amœnum ut
Tendit ad brumas, virides hora citata rugis
Canitieque turpat
Invidens annos. Tibi quæ Parca benigna, vitæ in
Limine, Gratiarum
Obtulit, nullas, Cyane, dona timent pruinas.

JUDÆUS ÆTERNUS.

(Schreiberi *der ewige Jude.*)

Arido rupis macilentus illic,
En, senex dorso titubat, rigente
Tendit et voltu, superatque nullo
Ponte fluenta;

Nec quies unquam. Nituisse fontem
Vespero vidit rutilante; fontis
Hauriat lympham, recubet sub umbra;
Sed vetat ultor.

Carpat et florem, recreet se odore;
Terga sed flecti renuunt; fovere
Nil sinu rerum pote; nam tremiscit
Vindicis ora.

Marcidas subter, prope busta, taxos
Pergit. — Ergo æternum agitor? Nec inter
Vos locus lasso? Neque mortis ullus
Me excipit arvo.

Manium sed vox tumulos vetustos
Rumpit: « irrisum propera piare,
Quod fugis, numen, temerare nostram
Parce quietem. »

Et pavet, mœstusque recessit, æthram
Intuens, pendere videtque nubem,
Et minax cœli facies tonantis
Spem dat inanem.

Nocte de nigra micuit coruscum
Fulmen; at læto medius fragore
Sensit, heu, versum in cinerem sibi unum
Esse bacillum!

Et tremens nulla vagus usque meta
Pellitur: non tecta pedes fugacis,
Non larem quærunt, neque degit ulla
Hospes in ora.

Ecce, sub binis monumenta fagis:
Væ, redemptoris videt esse signum!
Territus vitat, lapidem quoque horrens
Cernere Christum.

Sancta sed traxit facies paventem:
Adstat, en, flexis genibusque, « sanguis
An tuus soli mihi non fluebat? »
Ingemere audet.

« Mortis, heu, parvam requiem tibi hora
Abstuli, turbam stimulans protervam,
Heu, tua lusi cruce te gravatum
Ore nefando!

Vindicem sensi: ah, requies negatur
Spesque in æternum; nec erit, vaganti
Qui manum tendat mihi, cumque cœlo
Clausa sepulchra! »

At caput septem radiis Jesu
Cingitur: « Sonti dolor est saluti;
Non meum, qui credit amatque, voltum
Horreat ullus.

Patris huc omnes veniunt vocante
Gratia; quam si prius invocasses
Ad crucem, dudum tua sic fuisset
Culpa piata. »

Cernit æternos reus, en, viator
Vulnerum rivos; subitoque fugit
Spiritus; flexo riget ante Christum
Poplite imago.

AMANTIS QUERELÆ.

(Imitandis Horatii numeris: *miserarum est* etc.)

Taciturnis, fugiunt quæ loca læti,
Ego gaudens, nemorum per juga nigras
Sequor umbras, procul omni lare, nullos ubi casses
Fera pavitve molossos, ubi tutis
Vaga ramis strepit ales, pare turtur
Ubi amanti gemis igne. Hei mihi, sors quam mea differt!
Homines quid miserum me latuisse
Juvat, ut muta dolenti, ut queribundo
Mihi sint conscia deserta? Nec horrentia tesqua,

Neque sunt saxa, nec antrum, requietis
Amor in quo mihi paulum det, acerba ut
Coeant vulnera cordis. Theobule, te, ubicumque
Meo, mœrensve resedi, video unam,
Theobule, una meo sæva es in ore, heu,
Neque fidi miserescens, neque mollita querelis!

MEMORIÆ H. M. GAEDE,

Universitati leodiensi virilis. in flore œtatis erepti.

Te quoque, Gaede, tuos et terræ linquere dona
Florente in ævo vidimus,
A teneris avidum,
Pulchrior humanis ubi patria, visere sedes.
Nos, turbido superstites
Oceano, trepidi
Sævis luctantes porro jactabimur undis:
Te pacis æternæ domus,
Turbine te statio
Ereptum scopulisque tenet. Nempe ocyus olim
Migrare nostris, quos amant,
Di voluere plagis;
Dulcia nec curant divulsi fœdera amoris,
Prolis nec orbæ lacryma,
Conjugis aut teneræ
Flectuntur gemitu. Superum sed carpere numen
Nefas; piique credere
Immemoresve boni
Religio nostroque vetat lex pectore fixa;
Virtusque merces hic quoque
Sit licet ipsa sui,
Illic æterno nectit sibi flore coronam.
Si charitas, si fervida
Cum pietate fides,
Corque Deum quærens, fugiens si criminis umbram,
Devota vero mens, suis
Mens sacra muneribus,
Si quem donavit cœlo, te, Gæde, beatum
Gaudere, jam nunc cœlitum
Te decet esse choro.
Hinc tu, queis studia et candor te junxit, amicos,
Tibique natos, hinc, tuum,
Respicias juvenes,
Naturæ sanctumque animum geniumque secutos.
Nos, dum supersumus, pium
Te colimusque bonum.

JAM MUNDI LASSO DA REQUIESSE, DEUS.

(Ad Vossii *Sehnsucht des Alters.*)

Molle blanditur senio gravato
Verna tempestas; renovata rident
Arva cum sylvis; tacitis vacillans,
Sole fovente,

Passibus lente vagor huc et illuc;
Crura nam me ferre vetusta nolunt.
Germen ut vestrum tumeat virescens,
Stans prope, caræ

Arbores, cerno. Novus hic colorem
Flos trahit, ditem parat ille, large
Se explicans, fructum. Redeunte fronde,
Fronde cadente,

Lœtus in longum viguique gratus
Numini sæclum. Redeunte multus
Fronde jam, multus cecidit cadente
Fronde sodalis.

Jam deo gaudens abeam volente:
Nam rigens dudum fluit involucrum.
Mentis, a summo tremulus me ad imum
Occupat horror,

Quum vagæ solem rapuere nubes.
Urgeas stridens apis ut laborem,
Ore iners contemplor hiante. Quondam,
Promtus et acer,

Dura consueram tolerare; sed nunc
Somnio, et torpens velut erro funus.
O sonus sanctus, melioris o vox
Nuntia sortis,

Ære feralem reboante cantum!
Lassus hic opto requiem; e tumultu
Me voca mundi, deus, ad perennis
Præmia vitæ.

FICTA JACENT SIMULACRA RERUM.

(Schilleri *die Ideale.*)

Sic me relinquis, mentis amabiles
Lususque tecum, perfida, quidquid et
Habes voluptatum et dolorum,
Surda trahis simul omne votis.

Nihilne, vitæ o aurea, te, potest,
Ætas, morari? Nil properam movet?
Æternitatis concitata, heu,
In pelagus tua volvit unda!

Fulgore, soles occiderunt, meæ
Quorum juventæ lucida semita,
Queis ebrium olim cor tumebat,
Ficta jacent simulacra rerum;

Extincta dulcis, quæ mea vivere

Fides amabat somnia : veritas
Tam pulchra, tam divina quondam,
Heu, rapuit male dura prædam !

Ut marmor ardens Pygmalion premit,
Oratque, sensus dum lapidis genas
Flagrat per algentes refusus,
Sic ego amans, calidæque vates

Lætus juventæ, pectore sub meo
Spirare donec fervida cœperas,
Natura, te strictam tenebam,
Comparibus stimulata flammis,

Donec loquelam mutaque reddere,
Gaudesque libans oscula mutuo
Amore, cognatique testes
Nosse meas animi querelas.

Tunc vixit arbor, tunc rosa, vitreo
Tunc rore labens fons cecinit : meum,
Nil sic rigebat, quin adhalans
Os animam dederitque sensum.

Angusta tendens corda, volubilis
Vis universi me haud superabili
Urgebat æstu intrare factis,
Voce, sono specieque vitam.

Quam magna, donec conditur, illius
Figura mundi ! Ah, cortice prodidit
Quam pauca rupto, quam minuta hæc
Explicuit tenuisque pauca !

Virtute fidens præpete, somnii
Errore felix ut juvenis sui
Vitæ ferebatur nec ulla
In stadium cohibente cura !

Mens fœta cœptis ut tulit ultimos
Ad usque templi siderei globos !
Sublime nil, nil sic remotum,
Quo metuat penetrare penna.

Auræ fovebant ut placidæ levem !
Rerum beato quid fuit arduum ?
Vitæ strepebant ante currum
Ut volucri comites chorea !

Amorque dulci præmio, et aureis
Fortuna sertis, famaque verticem
Flammis coronans, veritasque
Solis ut ore vibrans nitorem.

Pro, turpe lusum, mox media cohors
Infida cœpit linquere me via,
Omnisque paulatim stupenti
Terga dedit ! Celeres retrorsum,

Fortuna, primam te tulerant pedes;
Pacans sciendi nil tenuit sitim,
Nigraque sidus veritatis
Sub dubii latuit procella;

Sacræ videbam vilia cingere
Frontem profanam munera gloriæ;
Hei, pulchra quam velox, amoris
Post breve ver, fugiebat ætas !

Fragorque clivo cesserat aspero,
Et vastiorem vidimus indies :
Pallente vix callem per atrum
Spes radio superans refulsit.

Tumultuoso nunc comitum grege
Quis dissipato mansit amans mihi ?
Solator ad furvum quis usque
Hæret adhuc sociatus orcum ?

Tu, cuncta sanans vulnera, blanda tu
Lenisque amici dextera, dulce cui
Partire curas, tu, reperta
Quæ teneros avido per annos.

Junctus sorori, tuque manes, labor,
Ut illa, placans turgida corda, qui,
Lente creans, nec lassus unquam,
Structa times abolere, granis

Æternitatum sedulus ad domum
Qui grana gaudes addere, tempori
Horas, dies annosque solvens,
Grande memor minuisse nomen.

ALTERAM QUI CARPSERIT, ALTERIUS CUPIDUS NE SIT SORORIS.

(Schilleri *die Resignation*).

Et ego genitus in Arcadum fui plaga ;
Et mihi lætitiam natura cunis adstitit
Jurans; et ego genitus in Arcadum plaga;
Sed breve ver lacrymas solas dedit. Vitæ semel
Majus virescit, nec revertitur : mihi
Flos cecidit. Placidus, en, genius, o, fratres mei,
Lugete ! placidus, en, meam genius facem
Deprimit, inque nihil evanuere somnia.
Tenebricoso jamque ponte, æternitas,
En, sto, tremenda, tuo. Felicitatis accipe,
Nondum resignatam refero tibi, syngrapham.
Nam mihi non licuit, quid sit beatum, noscere.
Velata judex, ante solium mea sonet
Justa querela tuum! Hic te severa judicem,
Illum vigebat læta fama per globum,
Lance sedere, pii et justique dici vindicem.

Manent pavores hic malos, a'unt, bonos
Gaudia; pectoris hic patent reclusa; ænigmata
Hic providi tu numinis solves mihi;
Cum misero ratio initur; exul patriæ
Reddetur, asperi stat eluctantibus
Terminus hic stadii. Divina proles credita,
Quam veritatem nominant, paucis modo
Cognita, maxima pars fugiebat, acribus meum
Frænis tenebat impetum. Pretium altera
Sit tibi vita: tuam mihi da juventam: tessera
Hæc una nobis. Pignus accepi, meæ
Deliciasque dedi fidens juventæ. Da, tuo
Quæ cara cordi sponsa, da Lauram mihi.
Trans tumulum seges est tuo dolori. Flens ego
Caram cruento e corde vulsam tradidi.
Nomina nempe tenes, ridens crepabat sæculum,
Transcripta morti. Astuta tibi, potentium
Vendita servitio, pro rebus umbras obtulit:
Solvenda, quum jam nil tui remanet, habes.
Nil, nisi longa dies, quem sacrat, errorem tremis?
Jocans, protervæ viperæ, instabat cohors.
Numina quid tua? Quid sibi volunt hæc callide
Inventa, mundi tam laborans machina
Ne male fulta ruat; mortalium solertia
Quæ finxit indigentibus? Bustis latens,
Quid sibi vult veniens ævum? Quid illa æternitas,
Qua gloriaris? Cui verendum scilicet
Nil, nisi, quo occulitur, velum, giganteæ tui
Umbræ pavoris, conscientiæ cavum
Quas trepido speculum tibi figurat. *Mumia*
Ævi, vigentis imago mendax corporis,
Sub gelido tumulo spei refota balsamo,
Ægræ tua hæc est mentis immortalitas.
Quas situs argueret et mors, inanes tu bonis
Præsentibus spes præferebas. Sexies
Mille per hæc siluit annos: quis unquam vindicis,
Dic, e sepulchro testimonium tulit?
Ad tua tempus ego vidi volare littora:
Florida putri natura superabat jacens
Funere; de tumulo nemo redibat, et deæ
Immota mansit nostra juranti fides.
Omnia læta tibi mactata sunt: nunc ad tuum
Sternor tribunal: fortis et vulgi tuli
Ludibrium, tuaque magna reputavi, cætera
Spernenda: vindex, præmium posco meum.
Æquus amore, latens excepit hic dæmon, meos
Natos amo. Duo sunt: memento hominum genus!
Qui sapiunt, duo sunt mortalibus flores dati,
Spes et voluptas: alteram qui carpserit,
Alterius cupidus ne sit sororis. Credere
Qui non potest, fruatur: hæc æterna lex,
Mundus ut ipse, jubet. Amet carere, cui fides:
Mundi supremus mundus est judex sibi.
Spes tua sors sibique merces, fides felicitas
Fuit: sophi docere te poterant tui:
Queis negat hora frui, nullo referri sæculo.

EPIGRAMMATA.

AD LUCINAM.

Ante aliis bene nata satis cui nosse voluptas,
Nunc et amans fœtus mens velit esse sui.
Integra Mnemosyne condenti semina risit:
Nunc facili, triplex diva, labore fave:
Sic, bene quod casto finxit sub corde Minerva,
Adspiciat blandis gratia luminibus.

UTRAMQUE AMANTIBUS MUSAM.

(Ad græcum auctoris epigramma.)

Armipotens olim cecidit mavortia Roma;
Lingua sed æternis floret in ingeniis:
Qua, pulchrum, doctos mundum per fundere, seris
Inclyta quæ populis munera musa tulit;
Seu veterum referat vatum sensusque modosque,
Sive novis moveat pectora christicolum.

CONSILIARIUS SIVE PENSIO.

Otia molle terens, somno chartisque beatus,
Et dapibus dulci se recreansque mero,
Ingenuo nuper sic consiliarius ore
Gaudebat rebus se sociare novis:
Pensio Guilelmo me principe alebat honesta,
In Gallos potior sed remanebat amor.
Guilelmo pulso, Gallorum nos fore, fama:
Ah, valeant! dixi; pensio pejor erit.
Di melius: regnum soboles Coburga capessit:
Pensio felici grandior, ecce, datur.
Dum melior veniat cum alio mihi pensio rege,
Vive diu, regna jam, Leopolde, diu.
Pensio sunt parvi, magni sunt pensio: lucro
Spes amor atque fides stantque caduntque simul.

LEVE VULGUS.

Quos summo decoras hodie, cras pellis honore;
Sic hodie leve, cras sic leve vulgus amas.

ARS ET NATURA.

Fingere naturæ solers simulacra laborat,
Quoque minus differt, ars magis ipsa placet.

UTRAQUE CHARIS.

(Puellæ veteres litteras amantis imagini subscriptum.)

Voltibus his ævi charites certantque recentis,
Et grajæ, et quidquid Roma leporis habet.

DOUZA MORIENS.

Vita cedentis Douzæ quum vatis amici
Flens circum starent mutaque turba torum:
Ecce, caput subito placidum levat ille, piumque
Mulceret veluti musa beata virum,
Auditisne? inquit; sonus hic, concentus hic unde!
Mirantes omnes attonitique silent;
Nemo namque audit quidquam, nec cernit; at ille,
Conscia ceu superas mens subitura domos,
Quo divina, ait exspirans, arcana patescunt,
Terrenum nihil in limine fatur homo;
Sed levis hinc celeri tollit se spiritus ala,
Sidereos repetens, huc venit unde, choros.

ROMÆ ÆTERNÆ.

(Ad græcum auctoris epigramma, quod suis *antiquitatibus romanis* præfixit.)

Terrarum regina, Gradivi filia, Roma,
Lege colens populos, quos animosa domas;
Virtuti genitrix summæ dirisque tyrannis,
Miraque, dum crescis, miraque Roma cadens!
Dique tui ingentesque viri rueruntque tropæa;
Quæ fueris, tellus sed docet ipsa tegens.
Cum parvis tu magna jaces; vestigia vitæ
Nostra sed usque tuæ te venerata refert.

NAPOLEO NUMINE TUTUS.

(Noti epigrammatis sententia mutatis verbis expressa.)

Te scelus ense, salum fluctu, flamma petit orcus,
Ter tegit arma deus vela rotasque regens.

BASILICA S. PETRI.

(Schilleri *die Peterskirche.*)

Immensum errabas hic quærens: major ut ipse
Per me sis, magno hoc cernis inesse meo.

PORTA.

(Schilleri *das Thor.*)

Blanda ferum vocat ad legem, sit læta solutum
Naturæ civem reddere porta suum.

EXITUS E VITA.

(Schilleri *Ausgang aus dem Leben.*)

Duplex e vita via panditur, una perenni
Te menti reddens, altera mortis erit:
Hac prius invitum ne te Lachesis trahat, illa,
Tu facito, liber, dum licet, effugias.

CRIMEN BIS INVISUM.

(Schilleri *meine Antipathie.*)

Invisum satis ipsum; at, de virtute loquaces,
Invisum mihi bis, tot quia crimen habet.
Quid? virtus odione? Imo optem, quisque colamus,
Det deus, ut circum nullus in ore ferat.

INFANS IN CUNIS.

(Schilleri *das Kind in der Wiege.*)

Felix, o, puer! Immensum spatium tibi cunæ!
Cresce: arctum immensus mox tibi mundus erit.

MAJUS.

(Glogaui *der May.*)

Osculum hic est mensis, telluri quod dedit æther,
Quæ cœli sponsa est, fiat ut inde parens.

IN ANASTASII, IMPERATORIS, STATUAM.

(Ex anthologia græca.)

Terrarum te, rex, labem, quia vilius ære,
E ferro cives hic posuere tui.
Cædis, egestatisque tremendæ, et pestis et iræ
Est tua, cuncta ruens, instar avarities.
Hunc prope letiferam Scyllæ posuere Charybdin,
Immanem, diræ faucis Anastasium.

Nec jam, Scylla, metu careat tibi pectus, aena
Te quoque signata ne voret ille dea.

IN CAPPADOCES.

(Ex anthologia græca.)

Cappadocum semper mala gens, zonam sed adepta
Fit pejor, lucrum pessima propter erit;
At si carpento magno bis terve vehatur,
Tum vero in pejus quælibet hora rapit.

IN PANDECTAS.

(Ad epigramma græcum.)

Divus condidit hocce volumen Justinianus:
Sceptra Tribunianus fecit quod magna tenenti,
Alcidæ veluti variis mirabile formis
Scutum, cuncta quibus Themidos simulacra nitescunt;
Quique Asiamque colunt, armis Libyamque receptam,
Europamque, omnis dominum simul orbis adorant.

CLIO NEMESIMANI.

Quæque tibi pagella crepat dum, Geckobadene,
Quam speculo Nemesis sit bene picta meo;
Læsa tuis, cave, diva tubis fucoque profano,
De prælo foricis ne tua picta ferat.

VITA FLUENS.

Ad mortem sic vita fluit, velut ad mare flumen:
Materies formas devorat usque suas. *

BIBULUS MALABESTIA.

Arma quid, ah, potus mala bestia vespere posco!
Arma quid, ah, bibulus mane tremisco lepus!

RATIO ET FIDES.

(Ad Epigramma J. G. A. Salis).

Sola tibi mundos monstrat nox cœca supernos;
Aere sub vano, sole micante, latent:
Talis terrenæ ratio fax tramite vitæ,
Condens, quam potuit pandere sola fides.

* Prior versus est Oweni, cui secundus:
Dulcis enim res est vivere, amara mori.

FIDES FONS SALUTIS.

Quid, dulcis quondam, sordes natura tuenti,
Quid mea lætitiæ pectora clausa rigent?
Instar qui solis juveni fulsere sereni,
Luctus in tenebras cur abiere dies?
O, pueri ratio quam extinxit corde flagrantem,
Cum sancta cui spe consociatus amor,
Unica terrenam per vitam causa salutis,
Pulsa semel, nescis, heu, rediisse fides!

VANITAS.

Debueras nostros hodie stare inter alumnos;
Dixisses demum: scilicet hoc legere est!
Commotos omnes, arrectis auribus omnes
Vidisses: peream, me nisi major eram.
Talia collegis vanus jactare solebat
Ventosa rediens Mnesianax cathedra.
Quos inter quondam cerebro ferventior unus:
Laudibus o tandem desine, dire, tuis!
Sis qualis, quantus, semel ut totumque legamus,
Quos recitas, nobis fer, bone, fasciculos.

GASTROSOPHUS.

Nuper Gastrosopho peregrinus venit, amicæ
Quem commendabat littera danda manus.
Ille, bonus pinguem cyathis immergere nasum,
Hospitis at sancto tardior officio,
Ecce, viatorem cum sicco protenus ore
Collegæ ducit comis ad ova sui;
Neve parum forte adventu gaudere putetur
Hospitis, ad lautas considet ipse dapes:
Queis ubi sedentes sensit sophos usque refertum,
Fœcundo properat ventre reditque domum;
Hospitii ut cathedræ legesque et jura retractet:
Par capsis doctor sic agit ille suis.

APELLA.

(Versus e Rutilii *Itinerario* paraphrasis.)

Romanæ jacet, heu, per mundum gloria gentis;
Cæsaris, en, loculis fulcit Apella thronum!
Jam nervus rerum fortunarumque ruina
Humanis animal dissociale cibis.
Terrarum domini Solymam timuere subactam,
Et procerum curtam grex fovet, ecce, cutem.
O pudor, o turpis tibi labes, dia propago!
Roma jaces, aquilas ultus Apella tuas.

SCHILLER ET GOETHE.

Bina micant patriæ vates ceu sidera nostræ:
Ad grandes suevit Schillerus ire modos,

Sive lyræ mulcet numeris, præsaga cothurno
  Seu gradiens tacito corda pavore quatit:
Mirus, inexhausta variat dulcedine Gœthe,
  Ceu formis ludens Protea pieriis,
Qui *Tassum*, ponto qui fingit pocula mersa,
  Et *regem alnorum*, magnus in exiguo.

FONTI INSCRIPTUM.

(Malherbii *inscription pour la fontaine de l'hôtel de Rambouillet* *.)

Qui transis, viden', hæc eat utque abeat simul unda?
  Sic mundi it solo fama manente deo.

ALBO AMICI.

(Schilleri *einem Freunde ins Stammbuch.*)

Illecebris dives semper natura decorem
  Ut novat, ars formas par novat usque suas.
Felix, sancte senex! tu fervens pectus utrique
  Conservas: ævi sic sine labe viges.

ILIAS.

(Schilleri *Ilias.*)

Mæonidæ, libet ut, discerpite serta, perenne
  Perfectumque patrum, dicite, quot sit opus.
Una manes natura parens, æterna parentis
  Unius ora refert, scilicet ora tua.

IMMORTALITAS.

(Schilleri *Unsterblichkeit.*)

Mortem horres! Vitam nempe optas fine carentem?
  In toto vivas; te pereunte, manet.

BONUS ET MAGNUS.

(Schilleri *Güte und Grœsse.*)

Duplex est virtus, utinam sine fine revincta!
  Qui bonus, ut magnus, magnus ut usque bonus.

* Vois-tu, passant, couler cette onde,
Et s'écouler incontinent?
Ainsi fuit la gloire du monde,
Et rien que Dieu n'est permanent.

EXSPECTATA ET IMPLETA.

(Shilleri *Erfüllung und Erwartung.*)

Mille vehens velis juvenis petit alta, quiete
  In portum rediit sospite lintre senex.

VIA SAPIENTIS.

(Schilleri *menschliches Wirken.*)

Immensum stadii patet ingredientibus æquor,
  Sed minimo sapiens conficit orbe viam.

SORS COMMUNIS.

(Schilleri *das gemeinsame Schicksal.*)

Dum spes certantes, mens et sententia dum nos
  Dividit, en, tibi fit cana mihique coma.

AMARE ET CUPERE.

(Schilleri *Liebe und Begierde.*)

Recte! Homo amat, quod habet, Schlosser, quod deest, cupit, inquis,
  Nam omne cupit cor egens, non nisi dives amat.

NE GALLIS FRUSTRA CERTES, GERMANE, CAMOENIS.

(Schilleri *deutscher Genius.*)

Vi Romæ, pulchro Grajis contendere, nunquam
  Sed decet ad gallum Teutonas ire pedem.

PATER.

(Schilleri *der Vater.*)

Fac, quodcunque vales, semper disjungere, mundi
  Dum natura potens te probet esse sui.

PLISSA.

(Schilleri *Pleisse.*)

Plana mihi ripa, exilis rivus; nimis acri
  Me mea musa hausit, me mea prosa siti.

SPREA.

(Schilleri *Spree.*)

Linguam Ramler, rem Cæsar noster dedit olim;
Inde, sed, impleram quæ nimis, ora tacent.

FONTES SALUBRES IN * *.)

(Schilleri *Gesundbrunnen in* * *.)

Mira loca! Hic fluviis sapor est et fontibus; unus
Cultorum sit ubi, me latet usque, sapor.

ALBIS.

(Schilleri *Elbe.*)

Cætera cuncta solœca; ego Teutonum in amnibus unus
Teutonicum, idque una Misnia in urbe loquor.

ILMA.

(Schilleri *Ilm.*)

Pauper ripa mihi; at, tacito dum transeo fluctu,
Pectinis æternos audio sæpe sonos.

RHENUS.

(Schilleri *Rhein.*)

Teutoniæ, ut decet Helvetium, fide tego fines;
Sed placidas Gallus transilit amnis aquas.

DANUBIUS IN * *.

(Schilleri *Donau in* * *.)

Me nitido phæaca bibit gens lumine, solis
Lux est usque, foco volvitur usque veru.

MENUS.

(Schilleri *Mayn.*)

Nostra ruunt castella quidem, per sæcula priscum,
Sed me solatur, cerno quod usque genus.

SALA.

(Schilleri *Saale.*)

Multa brevi mihi gens, princeps mihi multus aditur,
Principe sed gens est libera quæque bono.

RHURA.

Quodque suis jactat Germanis flumen alumnos;
Est minimis etiam, fama sit unde, vadis.

Est Nicri, Plissæque, est gloria pauperis Ilmæ,
Est Cynthi suavis gloria Lotichius.

Tu, mea Rhura, tuos extollens, (me quoque jungat,
Quos numeret, dignis si tibi Dura viris;)

Germani latio cui vates ore loquuntur,
Me musam in ripa dic coluisse tua;

Et Duram celebrasse pium, cum civibus arva
Mirantem, et blandas, quas vaga volvis, aquas;

Ut, licet ingenii nequeat superesse, placere
At laus sit patriæ me voluisse meæ.

CREDE, AMOR ÆTATIS TE NEGAT ESSE MEÆ.

(De Béranger, *ma contemporaine*, albo matronæ inscriptum.)

Esse meos tibi, tu jactas, sed amor negat, annos:
Fila tamen Parcis nostra remista reor:

Binis at factis temere ævi sortibus, æstas
Verque tibi, autumnus cessit hiemsque mihi.

TEMPUS DIVISIT CORTICE JUNCTA TUO.

(Evar. Parny, elegia III.)

Cortice, sola arbor, quid servas nomina bina,
Ipsa nimis juuxit quæ mihi cara manus?

Mitte notas, falsamque Lenoram mitte: diremit
Tempus adhuc libro corda ligata tuo.

SCRIPTA MALO, QUAM LINGUAM.

Scripta minus lingua mihi sunt odiosa loquacis:
Scripta sino, invitum me est ubi lingua premit.

ÆTAS UTRAQUE.

(Opitzii *auf das Alter.*)

Triste mihi juvenis simul est ætasque senilis:
Quod venit hæc, æque, quod fugit illa, dolet

IN DIVITEM.

(Opitzii *auf einen Reichen.*)

Divitis est tibi res, inopis sed pectus et angor,
Heredi dives, pauper es ipse tibi.

EPITAPHIUM.

(Ad Gryphii *Grabschrift.*)

Qui jacet hic, vidit lucem octoginta per annos,
  Editque et bibit et dormiit atque obiit.

FLENS VENISTI, FAC, UT RIDENS ABEAS.

(Ad epigramma germanicum.)

Flens mundum intrasti, cari risere gementi:
  Fac, ridere abiens flentibus ispe queas.

EPITAPHIUM SILVII.

(Opitzii.)

Nil gratis, jacet hic, fecit qui Silvius: ipsum
  Hocce legi gratis hic licuisse, dolet.

SPES ET NEMESIS.

(Herderi.)

Una cum Nemesi te, Spes, veneremur in ara:
  Tu, spera, nunquam sed, monet illa, nimis.

HOMERI CAPUT SPHRAGIS.

(Schilleri *der Homeruskopf als Siegel.*)

Candide, Homere, senex, tenerum hoc tibi credo: poetam,
  Felix, nosse unum te volo, quam sit amans.

FALSUS SCIENDI ARDOR.

(Schilleri *falscher Studiertrieb.*)

Ecce, novi quot veri hostes! mihi cor dolor urit,
  Quum strigis ad lucem tendere cerno genus.

SEMEN SPARSUM.

(Schilleri *der Sæmann.*)

Aurea mandas, en, spe plenus, semina terræ,
  Et segetis lætus germina vere manes;
Idem ævi dubitas sulco dare facta, quiete
  Mente sata æternum quæ sapiente virent.

DIGNITATES.

(Schilleri *Würden.*)

Lucis ceu tractus rivi resplendet ab unda:
  Auratus proprio limbus ut igne micat;
Sed torrens undam volvit, pellensque priorem
  Altera per rutilam fugit et ipsa viam:
Talis et illustrat mortalem fulgor honorum:
  Lumen inest soli, quo meat ille, loco.

NAPOLEONI.

Naturæ pollens donis, ævoque recente
  Altior et priscis vise nitere viris,
Per stratos gaudens populos incedere, certus
  Omnia sub legem cogere Marte tuam,
Lassata tandem fortuna proditus, exul,
  En, rupe hostili sub tumulare manu!
Omnis qui mundi calcasset jura, superbum
  Non voluit Nemesis juris obire sui.

HELENA.

(Epitaphium Napoleoni.)

Hoc scopulo fortuna tuis te lassa triumphis
  Excepit, parvus cui modo mundus erat;
Lenta captivus, reges, ut tabe periret,
  Europæ cujus contremuere minas!
Non hic austriaco victricem ex ære columnam,
  At tumulum, victo quem dedit hostis, habes.

INCASSUM POPULO VITAM DANT PRÆLA NEGANTE.

(Ad Klopstockii epigramma.)

Mansuram artis opus laudem trahit ore nepotum:
  Utrius at vivat sæpius arbitrio,
Scribentum, fortasse roges, populine loquentis:
  Lis ævo nobis si dirimenda meo,
Jam multos ego post vivo, ridente benigna
  Queis populo æternum vivere præla dabant.

LYRA DISSERTANS.

(Ad Klopstockii epigramma.)

Desine, docte, strophis, Lyce dissertare canoris:
  Crede mihi, musæ nil habet iste labor.
Te rerum, poterant Flaccus Schillerque docere,
  Tractandi lyricis quæ via justa modis.

UT PICTOR, SIC LECTOR ERIT.

(Ad Klopstockii distichon.)

Omne poema sono recitas qui semper eodem,
  Cur non et, pictor quum regionis eris,
Cuncta simul viridi fingas umbresque colore,
  Cum pratoque gregem, cum pelagoque polum?

LEGES BINÆ.

(Ad Klopstockii *die beiden Gesetze.*)

Sancta quidem lex est, pulchrum quæ fingere jussit
  Artificem, pulchro, sanctior illa tamen,

Nobile quam vestire juvat; penitus tibi, si non
Hanc simul agnoris, nota nec illa fuit.

PUDICUS EST; QUEM NOMINIS PUDET SUI.

(Ad Klopstockii *Lob der Bescheidenheit.*)

Non pudet hunc, qui censor, aïs, sua nomina celat. —
Parce verecundum lædere, quæso, virum.—
Errabam, fateor: nomen, decet esse pudentem,
Ipsum cui notum sit pudor esse suum.

FRUI MALIS, QUAM SCRUTARI.

(Ad Klopstockii epigramma.)

Artis, vix paucis licuit quas cernere, leges
Ne scrutere: sophis tradita nonne docent,
Artificis, latuisse ipsos, queis paruit œstrus?
Se crucient alii, sit tibi dulce frui.

EXAGITAT TURPEM, REVERETUR HONESTUM.

Quos agat, impuros vult indignata, nec ulla
Mens unquam musæ casta notata meæ.
Bile juvat turpem tumida conspergere frontem:
Innocuis nostri sunt sine felle joci.

MAUROGENES TUMIDIS VULPECULA BLANDA LABELLIS.

Maurogenes ventum facilis versatur ad omnem,
Hybrida, dicebant, queis bene notus erat;
Maurogenes animam, ajebat, mutaret in æra,
Viderat in spissum qui pyra ferre forum;
Maurogenes fraudis vulpecula plena, monebant,
Quos vafro innocuos prodidit ore viros;
Maurogenem cave palpantem: quæ mella loquuntur,
Si propius spectes, hæc labra felle tument.
Heu, mea simplicitas! damno, nil credulus ulli,
Nequitiæ volui testis adesse meo.
Turpiter illusum me rides, simia; turpi
Sed me non deceat par retulisse pari.
Non ego, ne timeas, tibi fraude dolisve nocebo:
Sat mihi lambentum te sociare gregi;
Lingua tua ut nostris hinc floreat inclyta chartis:
Hoc placet in pœnas, blandule homulle, tuas.

ALEXANDRO.

(ALEXANDRI, VENTRILOQUI CELEBERRIMI, ALBO INSERTUM.)

Artifices vocis quondam mirabar in urbe,
Tendere quo, rarum quidquid in orbe, solet;
At bello ut macedo, magica sic omnibus arte
Oris, Alexander, tu mihi major eris:
Protea sed licet idem et vincas mille figuris,
Quæ miranda ætas prisca recensve tulit;
Non tamen ars homini par est censenda, volentes
Tot clari veniunt cujus in alba viri;
Quos me vis inter positum, cui teutona, si quid,
Ausoniis laus est musa locuta modis.
Scilicet ut mundus, tua, mundi dædali imago,
Alba suum summo dant minimoque locum.

DIC, EGO NUM PROPIOR NUNC TIBI, TUVE MIHI?

(Schilleri *die Antike an den nordischen Wanderer.*)

Torrentes trajecisti, perque alta natasti,
Alpica te tremulum per juga duxit iter,
Me prope ut adspiceres pulchram, coleresque, stupendam
Quam celebrat cunctis enthea fama plagis.
Jamque adstas coram, tibi me fas tangere sacram;
Ast ego num propior nunc tibi, tuve mihi?

MERCATOR.

(Schilleri *der Kaufmann.*)

Quo tendit navis? Phœnices vectat, ab arcto
Succina qui gelida cassiteronque petunt.
Fer mitis, Neptune, natanti parcite, venti;
Hospite dulcis ei murmuret unda sinu.
Vester enim, di, mercator: quærens bona pergit;
Conjunctum navi sed solet ire bonum.

NEQUAM MANES.

Ne pardum, bone, ne jactes in veste leonem,
Te nequam nomen dum decet usque tuum.

GRÆCOMANES.

O pulchra, o summis dignissima norma magistris!
Quæ puerum teneris format ab unguiculis,
Dum physices arcana, poli et miracula noscat,
Et mundi quidquid conditur historia:

Tum quæ sit patriæ cum vis tum copia linguæ,
Sub Gallis fuerat quam didicisse nefas.

Sed parvum, patriam teneas teneasque latinam,
Prima nisi in studiis Græcia cura tuis.

O ego quám stupui, pueros, ut psittacus olim,
Græca mihi variis verba referre modis!

Publica nam nuper docuere examina, quantum
Debuerit methodo nostra juventa novæ.

Discere qui binos tantum potuere per annos,
Quales credibile est post tria lustra fore.

Alter Oloriades jam surgit et alter Homerus,
Alter Pindarico grandius ore canet.

Non Nestor nobis deerit, non cantus Ulysses,
Non stygio trepidum qui trahat orbe canem.

O, mentis tenebras, nostra qui pellere terra
Vehisti, qualis nubila Phœbus agit!

Te, Rhenus dum volvet aquas, te laudibus una
Ad cœlum memores virque puerque ferent,

TUA TE VIRTUS DEFENDAT.

Fac satis ipse tibi, et populo, sine, teste maligno
Te vocet hic pravum, te vocet ille bonum.

Stant laudem culpamque inter, quæ judice digna:
Cuilibet est nimius vilia nosse labor.

FONS RUPIS.

(Matthissoni *die Felsenquelle.*)

Vitrea, per blandas vaga valles, filia rupis,
Quod tibi sit nomen, qua fluis, usque rogo.
Floram rore deumque juvas ingloria lucos,
Ut virtus, cœlo quæ modo nomen habet.

MALUM PERSEPHONES.

(Matthissoni *der Granatapfel.*)

Persephones nitet alta rubenti vinea malo,
Dulce quod adflictum cor meminisse vetat.
Dulcius admonuit ridens me Aurora doloris:
Pulchra, meis fugite, o, tristia mala, labris!

MATRIMONIUM DISPAR.

(Gœthei *ungleiche Heirath.*)

Nec cœleste pares par servat tæda: fit annis
Dum Psyche prudens, usque Cupido puer.

EXEMPLUM.

(Gœthei *die Lehrer.*)

Diogenes placide in cupa dum sole fovetur,
Ardentem Calanus gaudet inire rogum:
Quale tibi, fervens, exemplum, nate Philippe!
Exemplo si non major, ut orbe, fores.

PHILOMELA.

(Gœthei *Philomele.*)

Fallor, tene puer, siren philomela, Cupido
Eduxit, jaculo dans alimenta deus?
Innocuum sic tincta veneno guttur, amoris
Pectora vi spirans nunc, philomela, feris.

AGRICOLÆ.

(Gœthei *dem Ackermann.*)

Semina terra levis tenui tegit aurea sulco;
Altior, ossa teget quo tua longa quies.
Lætus ara, sere lætus: alendis hic, bone, vivis
Germen, spes illic ipsa sepulchra colit.

SOLITUDO.

(Gœthei *Einsamkeit*).

Saxa salutiferæ quercus nymphæque colentes,
Clam, faciles, optat quod sibi quisque, date.
Solamen mœstis, dubiis date noscere rectum,
Felix, votorum sit, date, compos amans.
Quemque ope fidentem, solando quemque juvare,
Non homini, vobis sed tribuere dii.

CHINENSIS ROMÆ.

(Gœthei *der Chinese in Rom*).

Chinensem vidi Romæ, gravis atque molesta
Prisca recensque simul cui domus omnis erat.
« Ah, miseri! » ille gemens, » spero, tentoria tecti
Lignea, sensuros, ut columella gerat;
Chartæque axiculique atque auro sculptile pictum
Culti oculi sensum ut sola juvent tenuem. »
Multorum, ecce, ægræ visa hæc mihi mentis imago,
Æternum solidæ queis sua aranea sunt;
Naturæ textum, solus sit sanus ut æger,
Verum et sincerum qui vegetumque vocant.

J. D. FUSS CARMINUM

PARS III,

VERSU HEXAMETRO COMPOSITA,

IN IISQUE SATIRICA ET CRITICA CONTINENS. *

DE PULCHRI MAGISTRORUM FUTILITATE.

Ad amicum.

Quandoquidem musam poscis quamcunque, faceto
En tibi Capripedi quondam responsa, latinos
Cur faciam versus, miranti, curque magistros
Sublimis fugiam cunctos pulchrique sophistas.

Nempe facis versus, nec cessas, æger inani
Jam dudum studio, nec curas, quæ nova pellit
Parnasso musas Latii censura recentes:
Scribere quum possis, Nimrod quot straverit ursos,
Vel Simoïs Troum quot corpora quotque Pelasgum
Volverit, aut Thuscæ fumum explorare lucernæ.
Vel, si jam sedeat, tantis finxisse minorem
Te Lachesin, juvenes, dubitas cur tradere, more
Quo nisi cathedra firmo stent poplite, dura
Nec quidquam metuant nugari fronte magistri?
Unde feras laudemque simul tumidamque crumenam;
Forsitan et clavo decorandus. — More malignum
Quum videam, mirerne, suo, veterique petulcum
Capripedem cornu? Quanquam ridentis amicum
Consilium fateor. Sed quid, parere jubenti
Si nequeas æger medico, medicamina prosunt;
Aut sua si quem damna juvant? Me ducere versus
Ater seu genius, seu jussit candidus, ex quo
Sudantem mortale genus divosque, viasque
Noscere naturæ, cœlumque erebique recessus,
Delusum spes vana dedit. Sic, grandia linquens,
Nunc levibus teneor, pennis, ridere paratus,

---

* Quæ in carminibus meis satirica sunt, uno, (V. pag. 25. serie 2.) et aliquot insuper epigrammatis exceptis, hac tertia voluminis nostri parte, utpote versu hexametro composita, continentur. Ex his autem alia, ut carmen *de critica nequitia*, quasi *didactico aut criticosatirica*, alia, ut *Nyctisophus* et *Pygolichia*, mere satirica finximus, plerumque in ridendis doctorum ineptiis et vanitate, interdum in turpioribus quoque notandis versantes. In utroque igitur genere, sed maxime in posteriore, fateor occurrere, quæ, nisi auctorem multa, hic tamen in lucem non protrahenda, defendant, juvenilis aut malignæ potius protervitatis, quam verum amantis esse, non temere existimares. Quo magis illa nunc, ætate etiam lenior, mallem nunquam composuisse; nec enim, si ab aliis millies irrisa mihi quoque ridere et sugillare licebat, ideo nonnulla ita dicere atque expingere necesse fuit, ut, eorum quasi umbram in se agnoscentes, homines quidam mei ordinis totum in se trahendum esse suspicari possent. De quibus unus et alter quum nihil non facerent, ut me cum invidia onerarent, tum fortunis etiam omnibus everterent, intellexi, quam periculosam rem, neglecto aliorum exemplo, suscepissem. Cæterum, licet cum illis, qui meo me genio indulgere noluerant, in gratiam post dudumque redierim; tamen si ea, quibus tanta tempestas concitata, quæque, ut modo confessus sum, indicta mallem: si igitur ea nunc, versus meos prælo reddens, omitterem, nonnihil verendum esset, ne quis malevolus, quales non semel anonymos quoque, turpissimos quidem illos mortalium, nactus sum, hoc ipso in me argumento uteretur; ideo nimirum omissa esse, quia, veram in iis calumniam fuisse, negare non potuerim. Maneant igitur, atque eo magis, quod cum aliis, quorum, non est, cur me pariter pœniteat, miscentur; maneant denique, si nil est aliud quo commendentur, ut linguæ neolatinæ, si modo sunt tales, lusus non plane inficetus, accedantque adeo iis, quorum componendorum ipsam linguam præcipuam causam habuimus.

Qui petit infirmis cœlestia templa, verensque,
Ut recte faciam, male quod si cesserit, obsim,
Turpibus exemplis monitus. Nam Mingerus ille,
Nonne fuit satius, natis male versibus urbi
Quum movit risum, quam fors ubi cœca misellum
Trans Rhenum Belgas jussit torquere cathedra
Discipulos? Ego, quid refert, pravosne bonosne
Conficiam versus, nullum docuisse laborans,
Pegaseo quantum deceat spumare liquore?
His me, defendam, quicunque petiverit, uncis
Naribus indulgens. Sua denique quemque voluptas,
Me trahat, ausoniam linguam musasque colentem,
Innocuus lusus, numeris connectere verba
Romulidum. Satis his tibi nostra probata, videto,
An ratio fuerit, parcas quo deinde pusillo. —
Quandoquidem nullis verum vis, accipe, sannis.
Omnino haud equidem jubeam deponere versus,
Si quem dira cupido, tenax ut pellis hirudo,
Arripuit semel, incassum nec brachia contra
Tendere torrentem; miror tamen usque, latinos
Cur versus facias, nec cures, omne perire,
Pieriis quidquid dignum modulere labellis.
Quin potius patrio tentas sermone terendum
Doctorum manibus componere, quale severis
A studiis hilaris cantat Capsicrepus, ulnis
Quale premens pectus, fumo miseratus ab alto
Et curas hominum et luctantis inania mundi,
Fabricius gemuit. Tibi cedat Horatius ipse
Sarmaticus plectro, dulces tenerive querelæ
Lotichii, quæso, quisquam miratier ausit,
Quum perdant oleum, multo monstrante sophista,
Defunctæ pedibus quicunque vocabula linguæ
Contexant? Nullam Libitinæ namque poesin
Vim vivam spirare tubis. — Non est, bone, quidquam
His cur adjicias; satis ipse superque magistros
Evolvi, reputans, quid maximus Herder, et alter
Effatus, criticum quem nunc habet Austria, fratrum,
Quid proceres alii, insulse quos serva suevit
Turba sequi, recte quidquid dixere secusve.
Nec mirum, egregiis ratio si claudicet usquam,
Aut secum pugnent, olim damnata probantes.
Sed male quæ reputata semel statuere, repente,
Quum pecus arripuit servum, jam mille per ora
Per chartasque crepant, cupida quas aure bibentes,
Quo mage densatis horrescunt dicta tenebris,
Hoc mage mirantur juvenes, capsisque recepta
De ludo referunt criticorum oracula vana,
Tu sine me nullos non ducere, quos sua quondam
Ut nostro inprimis plausus quos publicus effert,
Tempora laudarunt; sua nam sunt fata libellis.
Quos injusta premit, sententia sanior eosdem
Et luci et merito forsan mox reddat honori.
Nec vivent omnes patrio sermone poetæ,
Buccina nunc quos multa sonat, nec, fata negarint
Si nigra, Fabricius vivat post funera. Quodsi
Perpetuo mergat jam fors inimica sopore,
Quæ Vida, Fracastor, quæ tot monumenta dederunt
Illustres animæ, leve sit tot millibus una
Versiculos dormire meos, mecumque *querelæ*
Dormierint *cathedræ*. — Vanam te novimus olim
Cornicem et curtam vulpem caudamque caninam
In scamnis puerum, penso, finxisse, peracto:
Quas senior jam pace sinas gaudere. Sed, idem
Quod pulchri refugis criticos inimicus, ut omnes
Delirare putes, nec possis cernere quenquam,
Quin bilis tumeat, veniam des, hoc bene sani
Qui sit, non video. — Nec me vidisse putato
Hoc unquam. Sanus bene nam quis plurima posse
Præscribi dubitet, sive omni carmine, sive
Partibus in servanda suis? Quin multa vetustis
A criticis præcepta vides, in utroque probavit
Quæ simplex ratio, contra ut contendere sensus
Communis fugiat: sapienter qualia Flaccus
Multa notat, criticis queis nixa recentibus olim
Inprimis doctrina stetit. Quin ipse priorum
Aut nihil aut parvum præceptis addidit: idem
At, licet egregie nil non præceperit, omnes
Non sanxit pulchri leges, timuitve, minores
Ne quidquam adjicerent, neque carminis anxius omnis
Descripsit normam veteris, multasque recentes
Repererunt musæ formas: ut mancus utrinque,
Sed mage sit nobis auctor; mancusque manebit,
Si, quidquid Graji, quidquid monuere Latini,
Addideris, quidquid servat mutilata sagacis
Pagina Aristotelis, quidquid Vida doctus, et una
Nota diu gallæ lex et mensura Camœnæ.
His igitur, laus est, adjungere, si quid acuto
Pervideas animo, veteres nostrive poetæ
Quo placeant errentve, male aut præcepta repellas.
Præceptis etenim fons verus præcipuusque
Hic manet, ut fuerat; nam post, quis nescit? Homerum
Quæsitum, quo sint heroum facta canenda
More; nec Alcæus, critico monstrante, minaci
Pulsavit chordas, læto nec pectine Teius,
Nec breve florentes flevit Mimnermus amores.
Cætera ne referam: propria quo quisque nitescat
In forma et specie, scrutari aliosque docere,
Atque ita, quid deceat, quid non, sensisse per unum
Quodque genus, leges etiam hinc deducere quasdam

Et pulchri et recti, labor est, me judice, dignus
Vel magno ingenio, meritas multique tulere
Hinc laudes, etiamque feret, qui, mentis acutæ,
Limitibus prudens justis præcepta tenebit,
Nec docuisse velit, nulla comprendere lege
Quæ natura sinit, nec verbis ludere, trito
Tramite, qui timeat, vagus et nebulosus aberrans,
Ne pravum reputet, quidquid non congruat, ipse
Quam solus reperit, doctrinæ, publica quid vox,
Quid gentes, quid longa dies damnetve probetve,
Securus : labes nostro quæ tempore late
Per cathedras chartasque viget, juvenumque novorum
Invasit mentes avidas. Hinc quærere namque,
Quid pulchrum aut sublime, iterumque iterumque laborant,
Quotque gradus, vere ternos habeatne quaternos :
Qualia jactabat, juveni, quin nomina norim,
Quem lectum memini, post quinquaginta duosque,
Mirantem, Ramo se detexisse favente
Omnis naturam pulchri speciesque modosque :
Mens nebulis conflata meris. Ne longius æquo
Unius ducar ridens deliria : nudam
Naturam jubet hic, fictam jubet ille poetam
Ad pulchri formam componere ; nempe poesin
Esse negat, penitus species *ideale reali*
Quæ non exhibeat concretnm, quale calenis
Cæcuba si miscens neutrumque bibas et utrumque;
Materiæ formis, rerum sub imagine justa,
Æterna ut species se prodat corporis expers.
Qualia multa solent nostri garrire sophistæ,
Quæ, propius spectans, aut omnis inania sensus
Invenies, aut nil solennes condere voces,
Quam tritis quæ dicta simul capiatque probetque
Communis sensus, nec possit tendere contra,
Aut falsum tradi, cui mens animusque repugnent,
Inclyta seu veterum, seu volvas scripta recentum.
Doctrinam sed enim, qualem peperere, suisque
Principiis exstructa super paradoxa tuentes,
Turpia delabi viden' ad ludibria, quorum
Vel pueros pudeat? Sancto nisi corde profusos,
Hic pulchros versus negat ullos ; quippe creari
De sancto sanctum, nec quid differre bonove
Aut sancto pulchrum, nec quidquam a carmine vatem.
Tres ille excipiens vel summum quatuor, omnem,
Ecce, poetarum jubet albo cedere turbam,
Nugarique foro criticus quem rhetora dixit
Insignis, Tassumque simul, fidibusque tenellis
Kindiadem ; sapiens, memini, Schellingius olim,
Ille quidem nostri non infima gloria sæcli,
Ut cathedra cecinit : spissa mirante corona
Num minus aut mage desipiens? Æneis eposné
Sit dicenda, fuit, qui quæreret ; unius ass,
Est, qui Virgilium, quia non sit Homerus ad unguem,
Vix faciat ; lyra cui Venusini corque pusillum,
Grajorum quoniam est numeros artemque secutus :
Qui quanti fuerint, nulli jam noscere sano
Concessum critico. Quid, nil imitando docentes
Laudandum fieri? Quid, nil, nisi mente calente,
Exsiliens subito, Jovis ut de vertice Pallas,
Perfectum, nullo limæ vitiante labore?
Quid, vero qui nil dederint populare poetæ?
Quid, nullum carmen, nisit sit populare, probantes?
Non dabis, hos omnes quæsisse superflua multa?
Non dabis, excelsis operosa volumina nugis
Hoc crevisse modo, lateque hac labe teneri
Inflatos animos juvenum, discernere curvum
Ut recto nequeant? Critici quin, pulchra priusquam
Volvendo assidue discant sentire, repente
Imberbes vacuo jactant se corde magistri ;
Ægro nam fugiunt verum solidumque palato.
Nonne vides summos, ætas quos prisca recensque
Sacravit vates, pulchri ratione novella
Contemni pueris? Gœtheum nonne, nefandum!
Hinc orsi lacerare? — Ohe, jam desine ; bilis
Turgida ne noceat nimis, indignatio justa
Sit licet, atque tuis nostras hic adde querelis.
Fatalem fateor pestem hanc venisse puellis,
Et nebulis puchri doctrinam et turpibus esse
Plenam quisquiliis. Alio sed cætera — nunc ad
Creusigonum propero — melius mihi tempore dices,
Quum monstrare tibi, mihi respondere licebit
Materia in larga, paucis absolvere recte
Quam nequeas horis. Unum nunc adde roganti :
Hypsobatæ qualis visa est tibi musa sophistæ,
A superis curtum votis ubi poscit asellum,
Solus quo vastas sylvas per vectus et agros
Decantet dites, et inops et spretus, amores? —
Ah, male salse! sinas noctesque equitare diesque,
Dum lapsus collumve, cavum frangatve cerebri,
Cum sophia musisque suis cruce dignus et ipse.

DE CRITICA NEQUITIA.

Risimus, ausoniis deducta poemata verbis
Qui damnant hodie, dignum nil arte modisque
Posse cani veterum, jurantes, ore recenti.
Risimus et, nova quæ condunt præcepta quotannis
Et veri et pulchri, delirans turba, sophistæ,
Et magni capsam servantem dicta magistri,
Ante pilos critica censor qua lance, superbus
Arbiter, expendit primos imosque virorum.
Hæcce bonas late pestis diffusa per artes

Nullo non nocuit., nostro sed tempore demum
Futilis ad summum venit sapientia, sensum
Communem fugiens. Una tamen illa laborat
Stultitiæ culpa : multum diversa nefanda
Est ratio, criticos odium quum versat, et acri
Invidia, læsove sui furiantur amore;
Aut sua quum laudans vel carpens commoda vitæ
Sectatur, vestem, numos, vel forte vacantem
Si cathedram posito flagret scandisse pudore.
Infami servus lucro, turpissimus ipse,
Extulit indignos ad cœlum laudibus olim
Dirus Aretinus, redimat ni laxa crumena,
Dente ferox idem claros lacerare canino
Egregiosque viros, non cuiquam parcere, fustes
Ni timeat, gaudens, magnos vexansque minutos.
Huic similes nostro criticos si quæris in ævo,
Nequitia nihilo facile est reperire minores;
Sed nullo latrare solet vel nomine falso
Plurimus, ignotus quo sit tibi fœdior hostis;
Aut adeo pellem, vulpes, indutus amicam,
Dum coram laudat, *sentinæ* nigra venena
Inseruit criticæ. Quid non malesuada patravit
Invidiæ labes, vatis quum lurida felle
Pectora turgescunt? Non est immitior ense
Latro viatorem invadens, non fœmina tantum
Conjugis in gremio deprensa pellice sævit,
Alterius quam musa gemens hærere coronam
Temporibus. Quid, si, contemnens sponte furentem,
Discerpas hederam, qua crines gestit inumbrans
Ipsa suos? Odio quis finem, quisve potest jam
Vindictæ statuisse modum? Mendacia dira
Per chartas volitare, patet qua maximus orbis;
Et fratres ululare lupi; quin Cæsaris aure
Crimina ficta sonant, horrens surgitque repente
Tempestas; lare mox et fonte repulsus et igne,
Heu vanos frustra, demens, egisse dolebis
In rabiem Colacas! Tantum mendacia possunt;
Efferà tam præsens stillant præcordia virus.
Læsa nefas nullum famæ vesana cupido
Horruerit. Levis est contra risuque notanda
Multorum species, animum quæ torquet inanem,
Stultitiæ, chartis quæcunque illeverit, unam
Non potis expectare diem cornuque tubæque
Laudantis strepitum; quo ne fraudetur, et exspes
Vel puteo præceps, vel resti guttura mandet,
Devotos buccisque senes juvenesque potentes,
Ante premant fœtum quam prœla gementia, multa
Disposuit statione, simul gravis unde repente
Buccina concentum ventos diffundat in omnes.
Est quoque, qui, male ne fungatur munere turba
Laudatrix, musave, timens, exilior alta
Ne reboet clangor, judex auctorque laboris,
Ipse suo dignam dat serpere vertice laurum.
Sed veniam tanto famæ des pronus amori,
Quem satis esse putes ridendo poscere pœnam.
Diversum genus est, multo quodque acrius illo
Vel placidam stimulet bilem: nam plurima laudis,
Plurima blanditiæ criticorum prodiga gens est,
Hoc unum spectans, ut par vel gratia major
Palpantem decoret linguam, turpissima frontis
Præmia perfrictæ et fœdi commercia lucri.
Non, quod turpe, viri celsam si laudibus æques
Virtutem: quis enim reprendet, summa Tonanti
Munera si tuleris? quis, musas ore loquentes
Si fingas Gœthei, nec quærere dignius, ex quo
Casta sui vatis subierunt pectora, templum?
Magna poetarum quo nunc Germana caterva
Versiculos blandis cum suevit mittere votis,
Simius, aut picæ si quid balbutiit infans
Eloquium. Tanto nam sese judice credunt
Mox fore præclaros, quidquid cortina remittat,
Felices, modo ne citharæ pulsator asellus
Responsum ferat. Impatiens si forte silebit
Pythius, heu! miseram quo jam solabere musam,
Ne caput illidat foribus? Sunt, ore procaci
Qui tacitum incusent, certumque silere lacessant,
Muneribusque novis jungant precibusque minarum
Delicias. Ne me dicas finxisse malignum,
Fouqueos legito versus teneramque querelam
Nil respondenti : nullam si rumpere vocem
Jam durus perstes, vel sic mihi magnus, ut ante,
Cæsar eris. Mutus, quæso, quid denique fiet,
Si Cæsar maneas? Eheu, pia, Phœbe, caveto,
Vellere ne muto tibi mox infensa coronam
Dextra paret! Sed enim in magnum vana ira pusilli.
Hinc tenuem tenues, qui laudem laude reposcunt,
Mirari potius soliti, spes certior unde,
Quot mactent plagis, totidem mactentur ut ipsi,
Æquatos lento dirimat quin palma duello.
Hinc etiam partes laudum sub fœdere sæpe
Existunt, junctisque suæ quemcunque cohortis
Defendunt telis, alias aliisque videbis
Oppositas acies, et utrinque micantia signa
Lambentis sese populi : nunc agmina quale
Classica commiscens furit et *romantica* bellum.
Sæpe suos etenim fœtus verique poetæ
Ingenium, mentem, musæ veræque magistram
Factio concelebrans uno omnis clamitat ore;
Quoque magis placeatque sibi, mirandaque regnum
Ac sine rivali teneat, quos sancta vetustas,
Quosque suos populi vates coluere recentes,
Aut fama nimium dicunt florere minores;
Aut nullam meritos; proprii, vel denique, secli
Si quid protulerint doctis vulgove probandum,
Ast aliam majus sibi nunc quid poscere vitæ
Et morum faciem; melior, sunt scilicet ipsi,
Quos ætas jactet summos jactentque nepotes.

Ut tamen excipias paucos, heroa britannœ
Ipsis adjicias scenœ, quæque explicat omnes
Smyrnæi simplex vitæ mundique figuras
Musa senis. Sed enim deliramenta referre
Omnia si cupiam, centesima pagina surgat.
Hunc exosa gregem venusini candida musa
Irrisitque libens, largisque immitis ad ossa
Defricuit salibus, cœnis et jussit inanem
Vel tritæ famam venari munere vestis.
Hinc lacrymæ, bilisque tumens, unguesque minaces,
Quos metuens vates, nec naribus utier ausus,
Ut se dimittant, clamat, diludia poscens.
Nimirum reputes indignum, gratia servi
Ornet si pecoris, Maro quem cum Cæsare, doctus
Mæcenasque probent. Tu malis quantulus esse,
Quam vili rarus bucca magnusque sonari,
Venalique tubæ pretium retulisse pudendum.
Æmilii tua musa licet sonet ore minora,
Putida quum strepitant, Hugoni, blandus inepte,
Phœbea nolis chordas innectere fronde;
Nec laudes, dulcis male quod cantabit amicus,
Neu lepidam fraudes inimici laude camœnam;
Quamvis ille tuis quid amabile rideat, ille
Sanguineo livens conspurcet carmina tabo.
Nec, parvi, quœres, an magni nominis auctor,
Ut digne laudes, si quid laudabile ducas;
Neu magni carpsisse time, quæ digna notari,
Aut reverens potius, ne dicas falsa, tacebis.
Sic culpam fugies, criticos quæ plurima vexat,
Nec solos de plebe viros. Hanc inclytus Herder
Non meminit vitare satis, quum nomina censor
Klopstocki præclara colens, discrimine parvo,
Averso quidquid cecinit Phœbove favente,
Miratur: videas hominis, non carminis esse
Propositam laudem. Tam scilicet ardua res est
Hic quoque, nil odio, nil si concedere amori,
Oblitusque tui, nil præter cernere verum
Et laudare velis; magis illa labe carentes
Quo magnos mirere viros: non infimus inter
Quos Giraldus erat, doctus, gratusque Camœnis
Idem, scriptorumque insignis acumine censor.
Is multam meriti laudem semperque colendi
Nil potuit laudare Vidæ: quin sprevit acerbus;
Nec paucos injusta viri sententia traxit,
Quippe gravis; turpem sed quam Tiraboschius adfert
Ludibrii causam claro criticoque pudendam,
Est operæ pretium cognoscere. Namque magistrum
Quum vida Giraldum perpaucis laude beasset
Versibus, hos ipsos sua deinde *poetica* prælo
Delevit tradens: quos ut conspexit omissos,
Curtatus veluti vitæ si parte fuisset,
Giraldus miserum doluit, paribusque dolori
Protenus immanem in vatem se concitat iris,
Dedecus ulturus tantum factumque nefandum.
Ecce tibi carum deletos ante poetam
Versiculos, humilem frigenti pectore quem nunc,
Servilemque voces, pannis nitidumque Maronis;
Quamque viro docto possit mens esse pusilla,
Cum multis doceat Giraldus. Singula sed me
Longius avertant meta. Mirare repertum
Ingenuæ frontis verique unius amantem
Tu criticum. Quem, si quando decurrere tali
Non refugis campo, venerans, contemne profani
Applausumque iramque gregis; licet, agmine facto,
Mille petant unum calami, convicia mille,
Mille licet spirent tumidi mendacia folles.
Ipse autem, doctas, si quid tentaveris, aures
Quod teneat, vulgus, multum ne scire labora,
Quid putet, ut paucis placeas sapientibus, optans.
Nec tamen, ut taceant, desperes; ipse severus
Sed maneas judex operis, certumque rearis,
Vel mihi ne credas quidquam: componere dignum
Si tibi musa dedit, longum quod vivat in ævum,
Quæ bona tu multo duces examine, prava
Non fore confidas; quamtumvis optima non sint,
Ne, tibi sit, metuas, hæc emisisse pudori.
Quare, ne doleas, si plebs ipsique periti
Nil tua curarint, nec si latratibus instet
Cerbereum, nil quod genus est diffingere pravum
Egregiumve potens. Tandem siluere tumultus,
Mnemosynæque sacrum spirat quod pectore musa,
Illæsum livore viget semperque vigebit.

IPSE FAUENS, PULCHRUM SINE DEFINIRE SOPHISTAS.

Dicere, quid pulchrum, veteres multumque diuque
Conati frustra, Grajorum natio postquam,
Exhaustum veluti nimiis si fructibus arvum,
Desiit ingenii divinos edere fœtus.
Nequidquam priscis tentatum mille recente
Nunc etiam mundo critici monstrare sophistæ,
Sub duce vel Kanto, vel te, Schellinge, laborant,
Hegelis aut vendunt fumos, Ervine, tuove
Se nimbo, propriis aut involvere tenebris.
Nimirum sapiens paulum quis credere nolit,
Humana si res posset ratione doceri;
Jam pridem dixisse satis, jam munere plene
Perfunctam, pulchrum scrutando plurima turba
Quæ, nil proficiens, hodie post sæcula multa,
Quid sit, vestigat, tanquam, sudore priorum
Nil actum, reputans? Ergo magis usque videres
A vero, mage quo quærant, distare, puerque
Ut solet, inflando pulchras se pascere bullas.
Ne mirere tamen, criticis fiducia tanta
Unde sit, in rerum natura nulla latere
Pars quorum valeat sublimis acumina mentis,

Nec ratio ipsius, gignit quod cuncta regitque ;
Hinc etenim se se, jactant, diffundere pulchrum,
Ac veterum, ut magnum, repetunt effata sophorum :
Atqui complexum teneas si pectore numen,
Exiguam, quæso, quanti sit noscere partem?
Et genitum, et fluxisse deo, non est satis ergo,
Divinæ aut pulchrum mentis fecisse figuram :
Quod sibi quid velit, haud magni sit scire laboris,
Nec sane absurdum reputes : sed crassa tumentes
Implerunt fuco ventisque volumina, longe
Scilicet immensum in spatium lateque trahentes,
In queis vera queas bis senis dicere verbis,
Simplex quin ratio tritus sensusve repugnet;
Sed quorum causas simul explicuisse labores,
Continuo spissa fugiunt caligine mersa,
Longius a recto ut, mage quo scruteris, aberres.
Nos autem, quoniam sic decrevere sophistæ,
Esse unum pulchrum sanctumque bonumque sinamus,
Nec tribus his verum quidquam distare poetam;
Et quæ præterea, nugas et inania dicta,
Ægro circumfert *æsthetica* turba cerebro :
Nos, inquam, pulchrum queis ponunt, nubila tecta,
Hamatosque rubos circum noctemque profundam
Horrentes, ipso sensu magis usque fruamur,
Quem natura dedit, volvendo summa colentes,
Ingenium vario felix quæ protulit ævo.
Sit pulchrum sentire satis, dicamus ut esse;
Indole nec libeat quidquam confingere in ejus,
Ni ratio simul et culti experientia sensus
Evincant. Recti nobis hæc scilicet una
Est via judicii; qua tendens multa probabis,
Quæ docti monuere viri mentisque sagacis,
Ipsi non, quo sint, quærendo pulchra creantes,
Sed veras rerum solertes reddere formas,
Divite naturæ cordisque interprete lingua,
Nunc animum tenui, grandi nunc ore trahentes.
Quem prius hic memorem Venusino, gratia cujus
In labris residet, fidibus socianda severis,
Seu levibus recinit, satiræ, velut immemor artis,
Seu nectit numeros, salibus sine felle jocosis?
Cujus cui musæ penitus percepta voluptas,
Perpetuo, mirer, ni complectatur amore
Prudentem humanæ vitæ suavemque sodalem.
Nempe, hinc ut missis jam nunc ambagibus illuc,
Quo volui, veniam, pulchri non certius ullum
Hoc ipso indicium veri est; nec, ludere verbis
Ni metuam, proprie placeat mihi pulchra vocari,
Sed bellum potius, vel, si quis malit, amœnum,
Aut nitidum dicam, molle aut dicamve facetum,
Quæ semel atque iterum spectesve legasve libenter,
Postea si nequeant valde repetita placere.
Nil tibi sic citius natura suadeat ipsa;
Innumeris varians æternum pulchra figuris,
Quæ, quodcunque manu struxit finxitve potente,
Grandia seu tollit vastaque horrentia mole,
Mollia sive colore ornans diffundit et umbra,
Non oculos, animum non sic satiaverit unquam,
Quin nova ceu teneat cor commoveatque tuentis,
Utque novo semper niteat vestita lepore.
Adspice, qui læto miscentur gramine flores,
Vel quæ scena virens cum primo frondea vere
Per valles montesque redit; per lævia saxa,
Adspice, quæ blando properat levis unda susurro;
Adspice, quod resonat spumosis fluctibus antrum,
Aut nigra condentes caput inter nubila rupes :
Ad quæ sæpe licet, quantumvis nota, reverso
Redditur adspectu nullo satiata voluptas.
Sic, quæ naturæ parit ars imitamina pulchri
Egregias formas, sensus animumque tuentis
Æternum vivo mulcent perfusa decore;
Quin, mage quo spectes, intentum fortius usque
Deliciisque novis tenuere novoque nitore.
Nonne vides, subjecta modis, certisve soluta,
Arte atque ingenio summorum scripta virorum,
Sæpius ut repetas, pulchri dulcedine captas,
Ut repetita magis mentemque auremque morentur?
Qualia divino passim tibi Tullius ore
Præbuerit, non sensus ubi perfectius, auris
Fingere nec possit, ratio nec fingere justa.
Quid, primæ partes quibus oblectare movendo,
Queis vi nil prius est, prius est nil arte modorum,
Queis blandæque magis vivo nitidæque colore
Quæruntur species, animo seu divite rerum,
Phœbeo percussi œstro, miracula promunt;
Addere sive juvat venerem pondusque minutis,
Ludendove graves, sale vel plenosque lepore :
Nonne vides, fixum ut teneant, crescensque voluptas
Ut pulchrum nequeat se se explevisse tuendo,
Vivat ut, inque sua niteat res quæque figura?
Æneadum qualis magni per scripta poetæ
Vis numerique vigent. Surgentes, adspice, signis
Commotæ ventos naturæ ut nuntiet ore,
Instantesque imbres, trepidante ut fulmine cœlo
Mortales humili sternat formidine gentes;
Aut subito dira ut late pecudesque ferasque
Corripiat pascatque lues, sub vomere labens
Extremum gemat ut taurus, mœrensque colonus
Abjungat fratrem fraterna morte dolentem.
Quid Libyæ immensis armenta vagantia campis;
Aut Scythiæ glacie nivibusque informia tesqua,
Et densis umbris cœli pallentis imago,
Sulcatæque rotis undæ, terraque sub alta
Gens agitans hilares acida inter pocula noctes?
Quid teneræ dulces flammæ, miseræque furores
Didonis, structusque rogus, postremaque verba,
Terque toro se se transfixo pectore tollens,
Errantesque oculi quærentes æthere lucem?
Multarum at rerum, cerne, ut per summa citato
Incedat passu, Trojani ut plurima belli

In templo depicta, duces simulacraque pugnæ,
Et passo Iliades placantes crine Minervam;
Cælata aut clypeo magnæ primordia Romæ,
Sacra, viri, moresque urbis, raptæque Sabinæ,
Porsenæque minæ, Coclesque, et Clælia ruptis
Per Tiberim tranans vinclis; aut arva beata
Alterius quondam mutantes munere vitæ
Heroæ regumque animæ, sævusque securi
In natos Brutus, Fabii, Libyæque tremendi
Scipiadæ. Totas viden' in civile duellum
Terrarum vires generum soceruinque trahentes!
Adspice dein, grandem vates rem narret ut idem,
Quum libet uberius varias distinguere partes,
Quo vivant motu, vigeant quo cuncta colore;
Quod satis est, ultra nil ut sit; nil ut inane
Adjiciat, properetque morans. Viden', actia quæ vis
Ingenii rapiat referentem prælia; quanta
Majestas splendorque oris, quam vivida rerum,
Quas celerans miscet, multarum surgat imago!
Nimirum, ars quantum felixque imitatio possit,
Atque acer pulchri sensus, pectusque profundum,
Non alius doceat melius te vate, puelli
Sæpe hodie critici quem spernunt, vana, legendo
Quin ipsi norint, nugacis dicta cathedræ
Secum portantes. Insigni, at non ego, quamvis
Mulcear eloquio docti numerisque Maronis,
Cætera quæ veteres Phœbo cecinere favente,
Evolvi coluive minus; nec prisca camœnæ
Propter dona minus mihi sunt veneranda recentis,
Non ego, pindarici captus modulamine plectri,
Quum reducem miror juvenem Chironis ab antro,
Sub duce quo, dulci stimulata cupidine famæ,
Magnanimum manus heroum petit aurea longe
Vellera, tentantes primis freta turgida remis:
Non minus hinc teneram, Danti quæ narrat amorem,
Et cari victam quæ tradunt oscula flammis,
Franciscam stupeo, vel quæ, nil indiga laudis
Nostræ, nil miseris animum turbata querelis,
Perpetuo humanas dum res tollitque ruitque,
Se, volvens orbem, lætatur diva beata.
Quo vagor, ah, large pulchri per amœna vireta
Aonidum irrorans dulci mea labra liquore!
Quis potis angustis spatiis attingere, quidquid
Eximium prisci, quidquid cecinere recentes?
Ot o! mihi si ratio hæc mensuraque carminis esset,
Non operis potior nobis, non gratior ulla
Pars, claros patriæ quam sit celebrare poetas,
Teutonicæ quos præradiant duo lumina gentis.
Verum ego queis digne verbis, quo pectoris æstu
Excelsi canerem vatis magnumque sonantis
Os sacrum, plenamque dei de numine mentem!
Quove tuas referam miras, Gœthee, camœnas,
Qualis mille placet dives natura figuris,
Ludentes, parvisque decus tribuisse potentes!
Ah, satis ausonio ore mihi sit carmina vestra
Atque suis tentasse modis! Veniam date magnum
Viribus exiguis auso; patriæ mihi tantum
Caræ suasit amor. Priscis post scripta poetis
Non aliis potius, quæ vis dulcedoque pulchri,
Quam nostris, didicique imis sensique medullis;
Nec capiant ulli mage te moveantve potenter
Vel mira rerum specie, vel pectore celso,
Aut teneri votis animi læsive querelis;
Non alii potius cœlestia carpere mente
Mortales humili moneant tellure relicta.
Denique non ulli dederint tibi plura poetæ,
Quæ meminisse velis, nunquam lassusque teneri
Queis adames: summi quod pulchri scilicet esse
Diximus indicium; atque adeo, si ludere verbis
Non metuas, alia magis apte voce vocanda,
Illa quibus desit virtus: qua pulchra videmus
Naturæ æterna tanquam florere juventa.
Sed vanum sane est usum submittere linguæ
Arbitrio voluisse suo, solenne sophistis
Sit licet; ast ipsum, cave, ne discrimen inane
Ambiguumve putes. Etenim quis multa negabit,
Ut sibi sic aliis, vel valde pulchra vocari
Sæpe, diu quæ displiceant propiusque tuenti;
Jam, veluti rerum deceptus imagine falsa,
Ut se se damnet. Quid, totis gentibus illud
Nonne vides olim sic evenisse, jacere
Ut spretos merito censerent, quos prior ætas
Laudibus extulerat? Quidni hos fateare carere
Illo, quod vere pulchrum summumque vocamus,
Omnia quo pauci florent per sæcula vates,
Quales Mæoniden, Flaccum, qualesque recentis
Jam mundi mirere, dies quos longa sacravit?
Nec modo facundi est oris dos illa, loquentis
Aut Phœbo dignum; sed vi te mulcet eadem,
Grande quod ars saxo tollit, cælove beatum
Fingit opus, vitamve animum referensque colore.
Quid, Graji, memorem, quæ plurima Romave quondam
Splendida condiderit fora, circos, templa, theatra;
Reliquias quorum defixi hodieque tuemur,
Inque ipsis pulchri speciem legemque ruinis?
Nec veneranda minus, vasta quæ gothica mole
Extulit ars, æterna quibus meditantis in uno
Statque expressa deo cordis spirantis imago:
Quæ male barbariæ damnarunt crimine multi:
Nec meminere satis, varios quos pectore sensus
Religio cieat, varias sibi poscere formas.
Ære, quid, aut rigido vivunt quæ marmore signa,
Alcamenis miranda manus, miranda Myronis;
Qua credas oculos, quanta dulcedine credas
Spectantum tenuisse animos? Cujus licet artis
Plurima Grajorum nobis monumenta supersint;
Vix tamen ex illis quidquam sit, nobile fama
Scilicet antiquo pateat quod teste fuisse;

Praxitelis nota ut Veneris, vel Palladis ingens
Gloria phidiacæ, veterum celebrata per ora;
Cætera ne referam. Tamen ex his, reddita nobis
Quæ terræ e gremio, quædam, viden', ut satiari
Contemplans nequeas? Medicæ seu gratia nuda
Te Veneris, Pythii seu te victoris imago,
Fronsque comæque dei, gressus cepitque citatus;
Seu gemino pater implicitus natique dracone;
Par quibus ars ævo quid restaurata recente
Protulit? At nil Parrhasii, nil liquit Apellis
Pariete in effosso tempus post sæcula multa
Aut urna servans picturæ exempla vetustæ.
Insignis, quod si superent, ut fama, labores,
Non sit, cur pariter nos non miremur, opinor,
Græcia quæ stupuit, quæ Grajum Roma decora
Ingeniis; ratio quantumvis discrepet artis,
Quatenus antiquis licuit conferre recentes,
Vel genere eximios tenui, vel grande secutos:
Quorum suspendunt oculos animumque tabellæ,
Ut nequeas spectasse satis, quin sæpe reversus
Usque nova veluti capiaris imagine pulchri.
Talem me memini in sancto stupuisse Joanne,
Divina tabula, cœlum, præcursor Jesu,
Qui monstrat digito, quasi sic te voce moneret:
Jam nunc a terris cor ad cœlestia verte!
Nempe ea vis habitus, ea mitis fusa serenam
Gratia per frontem; superum sic conscia regni
Ora vides. Mage sed mirabile nonne videtur,
Ignota ars priscis tabula quum fingit aena
Tam pulchras species, nullo nitidasque colore
Luce suas tantum formas distinguit et umbra?
Nec minus hinc capiunt cæli miracula cunctas
Inclyta per gentes: quæ quamvis plurima summo
Proferat ingenio certans solertia; suavem
Non ego in eximiis dubitem numerare, puelli
Est mihi quæ Christi pastores inter imago:
Paucis hic adeo quam desripturus, ab ipsa
Dum re divertor; pulchri seductus amore,
Per conjuncta vagis meditans dum passibus erro,
Principium parvi quod carminis esse volebam,
Vix tandem vidi in longum mihi crescere carmen,
Pars minor ut fieret breviter tractata tabella;
Nec bene jam totum binis constare; suoque
Sub titulo placuit sejunctam ponere utramque.
Nam me ridentis vectum per gurgitis undas,
Curvaque lustrantem vario distincta lepore
Littora, jam longe in portum remeare relictum,
Atque modum decuit meminisse, et carminis artem.
At vos, Pierides, curarum pergite nubem,
Otia dum superant, blando depellere lusu.
Fidus eram tenero vobis qui cultor ab ævo,
Infesto, ah, mihi ne desitis tempore, divæ!
En instant funesta brevem post bella quietem,
Atque iterum infando turbatur nomine terra.
Libertas, fræno sceptrum raptura soluto,
In reges populos civile armatque duellum
Effera, fasque parans armis miscere nefasque,
Contemnitque deos, et crescit clade bonorum.
At tristem faciem mihi vos avertite; mentis
Neve meæ subiens conturbet nigra serenum,
A sæva profugum vestra in sacraria vita
Pergite, Pierides, blando me fallere lusu.

ADORATIO PASTORUM.

(Picturæ æri incisæ descriptio.)

Artis, quis nescit, chartæ quæ fingit in ære
Tradendas species, quam sint insignia passim,
Summorum manus artificum, vulgata per orbem?
Non ego docta tamen non inter raraque mirer,
Quod mihi de primis est exemplaribus unum
Eximiæ tabulæ; vix argumenta videres
Inter sacra typo quidquam jucundius illo.
Et vero res est, tractatam sæpius esse
Qua non crediderim magnis pictoribus ullam;
Religio nec habet Christi, quod celsius, imis
Quodque sit ut summis simplex et suavius una,
Quam pecudum in stabulo casta de virgine natus
Servator mundi, cœli jussuque ministri
Læta suam pubes circumstans rustica regem;
Mox, stella ducente, magi cui dona ferentes
Adsunt, et pueri prostrati numen adorant.
Ex his, nescires, utrum sit suavius, utrum
Invitet magis artificem: quam laudo, prioris
Est argumenti rarique tabella laboris.
In stabulo, cujus tectum de stramine parte
Murus, parte alia sustentant lignea fulcra,
In vili cernis panno stipulaque puellum,
In multa, circum quam fundit, luce jacentem;
Luminis auctorem sancti, fontemque salutis
Protinus humano generi quo noscere possis.
At caput in nati prono stat corpore mater,
Pulvillum manibus relevans, hæretque pudico
Demissis oculis in caro pignore vultu.
Virginis ad dextram Joseph, defixus eodem,
Fervida profundit commoto pectore vota,
Conjunctisque sedens digitis atque ore precanti.
Hos inter præsepe adstant prope bos et asellus
In puerum versi, densa quos pictor in umbra
Sic celat sapiens, avidas ut adesse videndi
Vel pecudes cernas, picturæ singula quærens.
At sponsæ contra faciem stat mista, tuentes
Divinam in prolem, pastorum turba, relictis
Omnes qui gregibus re mira lumina pascunt,
Sensus quisque suos, variis ætatibus, ore
Ac toto prodens habitu: lætos magis illos,
Hos magis attonitos penitus motosque videres,
Multaque volventes; senis est mirabilis illa
Imprimis facies. Longævos pone puellæ

Binæ consociant hilari sua gaudia voltu;
Quas juxta juvenis circum sua colla retortam
Gestat ovem, pueri velut immemor unus, amœnas
Rurigenas spectans. Extremo sed sed duo cœtu
Agrestem miscent musam lætantibus: alter
Multiforo ludit buxo, tumidum premit inflans
Alter caprinum, digitis modulantibus, utrem.
Parte alia plures tædam pastor tenet inter,
Perque cavam in stabulum mulier cum prole fenestram
Inspicit. Hinc longe, rumpant ceu nubila flammæ,
Attonitam cernis, tollentes brachia, turbam.
At supra puerum, en, levibus se se æthere pennis
Cœlestes librant genii, rerumque potentem
In stipula natum celebrant: patera gerit alter,
Fumante accensum vibrat thus alter acerra;
Bini christicolis promissæ pacis olivæ
Signa ferunt ramos; binis sinuata tenetur
Fascia, quam fingas inscriptam carmine, laudem
Ætherea quod sede deo, rectumque volenti
Dat pacem in terris. Pars est hæc altera fusæ
Per noctem lucis; tenebræ nam cætera circum
Obscuro texere polo, per nubila nigra
Extremæ tamen agnoscas ut cornua lunæ.
En tibi, queis omni possis discernere nostram,
Et dignam musa credas meliore tabellam.

NYCTISOPHI SOMNIA.

AD THELANDRUM.

Nyctisophos, (nebulas nam sic dixere legentem
Discipuli,) mire, quoties non potus, amator
Pacis, et ingenio miti, leporemque pavente
Et corde et facie referens est notus amicis.
Idem dilecti maduit quum munere Bacchi,
Innocuo sævas verbo turgescit in iras;
Ac veluti cœca læsus rabie ruit ursus,
Aut quondam ut præceps asinus flagrante cerebro,
Sic semel accensum nescit cohibere furorem;
Immemor officiique sui pensique diurni,
Nec pueros curat trepidos, nec, mollior agna,
Quam siccus pavet, uxorem: quin, hiscere quidquam,
Si libeat, pateras, cyathos testasque volare,
Et fractas videas sellas, et dextera quidquid
Vastatrix reperit: pereunt horoscopa, pictæ
Cum speculis tabulæ; pugnis ruit icta fenestra,
Fasciculique volant ipsi, quos nuper in ignem
Conjectos rapiens doctis ancilla magistrum
Provida servavit cathedris. Quid multa? Tremendis
Exemplis monitæ, conjux servæque bibentem
Irritare cavent, fugiunt cum sole cadente
Qui socii sapiant, (hoc nam de more Lyæi
Principium statuit sapiens,) fugit ipse clientem
Devotum Lichoprox. — Melius Botanoclyte fratrem
Tu quoque fugisses, miserum vastate capillos!
Rem lepidam paucis sine me narrare, Thelander.
Nuper enim seram in noctem, (jam lectus habebat
Conjugium,) large ducebant suavia vina
Concordes animæ, vario sermone liquorem
Miscentes placide: subito quum dira beatos,
Lis turbat. Vino prior an sit notio vini?
Quærit Nyctisophos; socius negat esse, jocande
Excipiens primum: sensim vehementior instat
Ille reluctanti, verbis nec parcit amaris,
Schellingumque simul Fichtenque deumque Platona
Incassum crepat: asperitas sic crescit utrinque.
Exemplum mutant: stolidum sophus ante vigoris
Ponere vim flores, iratus clamat; at alter
In proprio læsus fundo, tenebrosa sophistam
Carmina somnifera jubet in plorare cathedra.
Vix ea protulerat, sellamque caputque supinans,
Quum sapiens dextra pro verbis ora reducta
Mittit in adversi, tenuit quam forte, lagenam,
Fracturus caro frontem nasumque sodali,
Ni velox cubito voltum texisset; at ictu
Impulsum valido furibundus corripit hostis,
Conculcatque ferox pedibus, prensumque capillis,
Ut circum Iliacos Pelides Hectora muros,
Hospita ter circum mensas et pocula raptat,
Inverso præceps graviter dum crura scabello
Sternitur illidens: laxatum casus amicum
Hic servat, vix membra domum quassata trahentem.
At sophus, ut potuit sese relevare, profundo
Conjugis in gremio despumat vina sopore:
Qui postquam multa rupit jam lumina luce,
Sobrius, immani reputans sua facta dolore,
In semet talos pugnos vertitque nefandos,
Inque comas, aures, animosaque pectora sævit,
Lamentis impletque domum, lacrymabilis, exspes.
Tum vero conjux metuenda cubilia, vindex,
Jam sua jura tenens, intrat, pavidumque minaci
Exanimat facie, crebris et versat in orbem
Exagitans primum colaphis, mox, lenior instans,
Erigit abjectum consolaturque maritum,
Quæ facienda docens, per quæ placandus amicus,
Plurima præcipiens docili: te singula narrans
Ne morer, hoc satis est unum memorare, sophistam
Quod leporem decuisse putes. Nam luce sequenti
Contrito denis foliis probat, ecce, sodali

Suppliciibus verbis, quidquid fatalibus horis
Peccatum fuerit, sese nescisse, per omnes
Adfirmans divos; se pocula scilicet inter
Nonnumquam falsa specie vigilantis ab alto
Correptum somno vanas in labier iras,
Ignea seu febris, seu sit lunaticus error:
Tali se miserum tam dira patrasse furore,
Post longam sibi quæ uxorem retulisse quietem;
Nunc mera per superos orare ut somnia ducat.
His aliisque, tori socia moderante, benigum
Sollicitant hominem: longis dedit ille querelis
Lassatus veniam; tu mecum, docte Thelander,
Cum sophia leporis fatalia somnia ride!

CATHEDRAE QUERELAE.

(Scholæ genius sub cathedræ persona loquitur.)

Parcite probrosis, juvenes, incessere dictis
Innocuam cathedram me, et iniquo sidere factam;
Parcite spurcantes, et dura parcite calce.
Non ego vos miseris tempus consumere nugis,
Cimmeriisque animum jubeo torquere tenebris;
Nec ratione nova per nulli pervia menti
Infelix ductor, nubes et inania captans,
Deliro frænum rapior spernente caballo.
Nec vero, Hippotadæ doctor properatus ab arce,
Imberbem vobis sophiam capsisque reclusam
Advexi, pennis furtivis improba cornix
Ostentans caudam, vanum strepitansque magistros.
Scilicet is pueros perfricta fronte protervus
Et tumidis capiat buccis, torvoque supinans
Ora supercilio, pectus ne grandia fantem
Torpens et vacuum videant jactare cerebrum!
Non ego microsophos soccis quandoque carentem
Romanam nudis transisse per atria suis,
Nec castam refero, prisco de more marito
Sub jacuisse toro, non molli in graminis herba;
Nec ditis scrutans Luculli per vagor hortos,
Mitius an coryli pomum tulerintne myricæ.
Integra quisquiliis teritur dum talibus hora,
Quid mirum, in tristes trahitur si quando figuras
Voltus, et interdum manifesta ludere sanna
Si juvat, et pinguem crispo suspendere naso
Doctorem? gelidus mentemque animamque legenti
Imos cui pavor eripuit diffusus in artus:
Qualis pallenti quondam tremit ore puellus,
Orbilii quum nota manu jam virga minatur,
Interdum et rabida vidi qui bile tumescens
Surgeret infensus, deliramentaque cursu
In medio fugeret; vel qui scurrantis in ora
Atramenta simul thecamque librosque pararet
Mittere; ni socii tenuissent. Non ego laudem,
Si cuiquam vestrum veniat tam dira cupido.
Blanda sed ut patris nocet indulgentia nato;
Sic vos, ne noceat justo patientia major,
Neve malos faciat pejores usque magistros,
Commoneam; vanis in me sed vertier iris
Quid juvat innocuam? vestra quæ sorte dolere,
Et suevi merito; namque est miserabilis illa.
Quod tempus periit, taceo, loculos quod amari
Doctores vacuant, animis et quæ mala fertis
Plurima vos adeo placidis; sed, quo nihil ipsa
Sim mage miratus, clara qui luce potestis
Perpetuum, quæso, juvenes tolerare soporem;
Plures ut madidos noctes, quem vera laterent,
Juraret tepidis vos transegisse tabernis?
Sic humeros amat usque caput, sic lassa tenetis
Brachia, sic spissæ frontemque oculosque gravatos
Obducunt nebulæ, vario dum stertere nares
Concentu ingeminant. Nimium date forte procaci
Hanc veniam linguæ: fatuos risisse magistros
Somniferosque placet. Neque vos, quod membra veterno
Turpia languescant vernæ per tempora vitæ,
Fas culpasse foret; nam quæ medicamina tantam
Colchica vim somni spirent, quæ pocula Circes,
Vel quæ Mesmericis demulcens dextra figuris,
Hypsilali quantam pinguis, leporisque Lyrodæ
Diffundit facies? Sævum hunc quis verterit olim
In patria tragicus notissima fabula casus,
Musa referre jubet; mihi rettulit una sororum.
Saturni nam luce suos quum, sole cadente,
Fasciculos legeret, solitam scamnisque quietem
Discipuli caperent, sopor, ecce, invasit et ipsum,
Insidiosa suo cujus simul atque cathedra
Margine persensit mentum, rogat improba voce
Submissa, quos forte videt vigilare quaternos
De numero juvenes: macti adsint, seque cubanti
Inversam properent super imposuisse magistro.
Olli avida aure dolum muti lætique biberunt.
Nec mora, Cyclopes calidam ceu forcipe massam,
Doctorem rapido versant molimine, sede
Inque sua condunt. Curtis tum denique membris,
Atque caput læsusque genu costasque, profundo
Excutitur somno, versisque ad sidera magnum
Exclamat natibus; simul omnis turba, sopore
Consurgens, subitis stupuit perterrita monstris.
Mox hilares miscent risus fremitusque beati;
Nec satis est paulum gemitusque precesque sepulti
Et diras sprevisse minas; sed dignus ut esset
Exitus egregie cœptis, en, ocius omnes,

Unius ad valvas notum gressumque sequentes,
Deseruere domos : arcta miser ille querelas
Per noctes sub mole duas mediasque per horas
Nequidquam ingeminat ; nullas vox repperit aures.
Tertia lux Lunæ juvenes ad scamna reduxit.
Dum demum exiguum, *velut ictus ab Herculè Cacus*,
Protrahitur spirans : longum qui stratus in annum
Adflictis jacuit membris, multoque laborè
Servavit medico vitam ; sed, fata sub ipsa
Quem celer eripuit rigidum formidine pastor,
In dumeta lupus quum duceret aure prehensum,
Ut setas hircum leporinis fabula narrat
Commutasse pilis, lingua sic ille superbus
Antea, et ardentes, culicis si læderet ictus,
Attollens animos, leporis traxisse timorem
Horrendo arguitur casu ; quin ipsa per ora
Non obscura novæ serpunt vestigia mentis.
Hinc lepus est rector, pater hinc et amicus et hospes,
Atque gelotolyros : quo cur sit nomine notus,
Longior historia est, nec quæ prius ipse referri,
Quam veniat, possit ; quondam fortasse licebit.
At vos, quid valeat, juvenes, et quanta, videte,
Quamque sit immerito vobis invisa cathedra.
Fœdere quin facto jam nunc vivamus amici ?
Quin nostræ subeat sortis miserescere, vestra
Quæ multo pejor ? Vobis nam parva soporis
Tempora transibunt ; tetros me ferre magistros
Aeternum solamque decet. Ter fausta sororum
Fata, quibus muros inter contingit eosdem
Insignes gestare viros patriæque verendos !
Hinc ægris speranda salus : præcepta sophorum
Nobilis ars firmo sequitur podaliria passu,
Præsentemque manus sistunt miracula mortem.
Hic natura sinus effundit dia potentes,
Et sanctis reserat secretos læta recessus
Ingeniis. Casto at legum venerabilis ore
Puro majestas oracula corde profatur ;
Atque hominis civisque et regum jura beato
Et caram patriam nectit facundia vinclo
Felix, cecropiæ superet quæ fulmina linguæ :
Et vastum Clio condens sub pectore mundum,
Omnes incedit per gentes, omne per ævum.
Hæc tristis, juvenes, vobis solatia somni.
At me vix heros scandit tolerabilis ullus
Hypsilalum præter leporemque gelotolyroden —
Fallor, an ad portas? — Juvenes date membra quieti;
Et genio cathedræ linguis animisque favete !

DE SUZERIO, REGIS LEGATO, DISCIPULOS INTERROGANTE.

Suzerium nuper, quem fabula versa poëtam
Nobilitat, nostri trepidans male turba magistra
Excepit ludi : gilvus Botanauliòs ibat
Intrantem ducens, rubrum vinoque tepentem.
Cernere contractis debebas naribus illos
Productisque labris sophiam adfectare, severos
Luminibus rigidis, frontis rugisque verendæ.
His coram juvenes musæ, moderante magistro,
Dant documenta suæ : venit post multa Maronis :
Imperio premit, ac vinclis et carcere frænat.
Cur *premit imperio* vates dixisset, alumnum
Suzerius rogitat, cur non satis *imperat* esset ?
Respondet juvenis, sibi nil differre videri.
Tum vero indignans censor, voltuque magistrum
Immiti adspiciens, sceptro cohibere prementem
Luctantes ventos, inclusos utribus, inquit,
Hippotadem ; *premit imperio* sic, scilicet utres,
Singula pingentem, mire dixisse Maronem.
His abiit dictis : quem delirasse, sequenti
Luce puer lepide monstravit versibus, atra
In tabula scriptis; reduces legere scholares :
At tu censores posthac, rex maxime, mitte,
Aeolii melius nescant qui claustra tyranni.

IN HOMINES VENTOSOS.

Scilicet hic culicisve pedis miliive medullæ
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit.
O *opifex rerum ! mundi* o *melioris origo !*
Fama per extremas extemplo clamitat urbes ;
Conclamant laudis socii, conclamat et ipse ;
Nec jam Linneus, nec jam Cuvierius ultra
Nomen habet : magno naturæ tradere regnum
Tironi properant. Memori sub pectore servans
Ille, *modus, qualis, quantus*, quid sitque *relatum*,
Non sibi, non ulli carmen penetrabile menti
Cantavit : satis est. Nil dixit sanctius unquam,
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris.
Mirantur stolidum stolidi : sic, anser ut esset,
Natus sese inter positum lætatur olores.
Aeolio, ecce, alius par aut ventosior antro,
Sublimis, tumidus, claris sub scripta magistris,
Fasce sub ut quondam gradiens Romanus iniquo,
Ingenti, quo fata vocant, fert condita cista.
Hinc crudi stomachi balbo male cocta sub auras
Ore vomit : prius at vulgi quam dextera tangat,
Ut fœdum fingant ursum, quæruntur amici ;
Nec patrias satis est horrentem lambere linguas ;

Cornua trans Rheni, trans Scaldis mittitur undas;
Nec mora nec requies; centenos actus in orbes
Itque reditque, pilos mutans cum pelle, virili
Dum specie vario niteat sudore puellus. —

PYGOLICHIA.

Carmine res nulla est, recte tractata, nitere
Quæ nequeat; Gallis docuit quod maximus olim
Parnassi custos legis: semesa draconem
Lambere seu Cadmus sociorum corpora cernat,
Lurida seu ranæ vati per stagna coaxent,
Pumicibusve terant fœdati crura cinædi.
Succinctam canibus Scyllam, diramque Celæno,
Semibovemque virum, mare terrave, fingito, monstri
Quidquid alunt, lapidumve genus, quoscunque sophorum
Grex aluit fœtus animi; seu pica profano
Audax naturæ pulset sacraria rostro,
Seu mores pulchrumve regat, numenve supremum
Aut hederæ foliis juret latitasse trigonis,
Aut cruce sub quærat tarde gradientis aselli. —
Ne longum faciam, præceptis his ego fretus,
Quæque deum præsunt dapibus præsuntque choreis,
Tres Jovis arce, novemque vocans Helicone sorores,
Excelsum puer ut tulerit, cantabo, cathedram,
Pygolichæ gratus divæ, sub numine cujus
Ventosis buccis latum nunc personat orbem.
Hic, (regno pagoque satus, veteres ubi quondam,
Serius Aeolia qui se jactavit in aula,
Ventorum regnasse patrem cecinere poetæ,)
Romanæ Grajæque etiam primordia linguæ
Plagoso discens sub præceptore, quietem
Dum capit in stratis, multa cum luce repente
Libratam supra vidit se corpore nympham,
In risum prona facie, linguaque labella
Lambentem tremula; nitidas quæ blanda patente
Veste nates monstrans digito, mox talibus ora
Attonito solvit puero: Ter digna propago
Quo crescis generata solo, præceptaque nostra,
Ut serves melius, primis audire sub annis
Digne puer, jam nunc attentas omine læto
Queis præbeto aures; quando te cura futuræ
Tantillum tenuit sortis, variasque revolvis
Mente vias, humilis queis mox emergere possis,
Et sævam vitare famem, loculisque repletis
Gaudere, atque virum clarus volitare per ora;
Aloiden veluti prima lanugine malas
Vestitum traxit virtus traxitque voluptas,
Illa decens faciem, crudas contecta papillas,
Hæc nudis captans oculos, fucataque voltum.
At tu pellaces inter dubitare puellas
Clavigerum sinito, potior nec quære voluptas
An virtus dicenda bonis, an stamine ducto
Reginæ niveis nexum constringier ulnis,
An domitis Heben præstet conscendere monstris.
Non tibi Geryones ullus, non hydra domanda;
Tu doctum calcabis iter, tu pergito castris,
Quæ semel ingressus, lætæ prænuntia sortis.
Te cistis ducibus fas est parvoque labore
Doctrinæ magnam speciem gessisse, libellis
Quin miser insudes multum; sine pallida circum
Ora ferant stolidi, noctem queis dulce diemque
Ingenium torquere; satis tibi paucula summis
Est libasse labris de græcis deque latinis,
Et varia rerum sylva speciosa cerebro
Ornando nitidos veluti decerpere flores.
Pauca sed et memori curæ sit pectore condi;
Promere quæ prosit, quoties tempusve locusve
Commoneant; titulis, sed nil prius esse putato,
Quam multos novisse libros: sic sæcula nostra
Ingentes genuere viros, sic gloria cœlo
Dat vasta foricas subitura volumina mole.
Horum tu premito vestigia, temne profundæ
Mentis opes, nimio frustra sudore parandas.
Non hæ sunt cathedræ, qua te miraberis olim;
Sunt aliæ dotes, tibi quas regina benigna
Nostra dabit largaque manu: diffidere noli,
Pygolichen venerans, res omnes diva supremo
Quæ nunc humanas, magnas parvasque gubernat
Imperio, mitrasque simul longosque lacertos,
Et lances Themidos, titulos, fascesque crucesque —
Non meus hic, lector, nymphæ sed sermo profanæ —
Fulgentique truces galea, ludoque magistros
Exiguo miseros, celsa cathedraque superbos,
Virgineosque toros, vetulæ tabulasque beatæ,
Patronique dapes, levis et trechedipna poetæ.
Hanc tu luce, puer, prima quum strata relinquis
Impiger, et dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis,
Factaque cum votis divæ gratissima junge.
Illa tibi, regio præter quas patria buccas,
Naturamque dedit vanam ventique potentem,
Fasciculosque dabit doctos, humiles et amicos,
Per tua quos proprio niteant ut scripta labore,
Et fortem faciles leporem, balbumque disertum,
Et blandos dixisse ursos, asinosque sagaces,
Et solis radios nebulas superare loquentem.
Illa superciliumque dabit frontemque protervam,
Et torvos oculos, pueri quæcunque suerunt
Mirari; vento nequeas quos fallere, diti
Despice sede viros, et buccas lambe timendis.
Hæc tibi Pygoliche vitæ præcepta jubente
Fida ministra tuli; tu jussa facessere divæ!
Dixerat, et tenues abiit librata per auras.
At puerum sanctus, concussum numine tanto,

Excitat e stratis horror diffusus in artus :
Corda pavent, surgunt crines, vox faucibus hæret;
Vix horæ spatio mentem liquere tenebræ.
Tum vero voltum nymphæ gestumque revolvens,
Quæ sibi, qua domina tulerit mandata jubente,
Promissæque decus sortis, celsamque cathedram,
In genua ad spondam numen procumbit adorans,
Votaque commoto fundens ardentia corde.
Oranti lux alma venit : tum nomine demum
Quæ miro vis sit, ratio quæ rite colendi
Pygolichen, quærit, quæ sint gratissima divæ.
Sollicito quæ cuncta diu sub pectore versans,
Monstrantemque nates digitum linguamque secutus
Lambentem — longo nomen post tempore novit —
Quo felix ultro puerum natura ferebat,
Hoc sibi præceptum vidit, properatque patrare.
Sic statuens, licet humanas mandata reposcant—
Nec potis est proprias lingua contingere; solers,
Quod datur, interea fecit, dum vera liceret.
Nec mora, nunc catuli, nunc hirci ludit olentis
Sub cauda, vaccam placidam nunc ille, suemve
Setigeram mulcet — Paucis; fastidia rerum
Copia ne gignat turpis : sic ordine longo
Ad summam venit speciem, multosque per annos
Cultum Pygoliches, et amorem spemque fidemque
Servavit; quanquam graviores usque premebant
Crescentem curæ, quanquam promissa putares
Oceano mersisse Notos. Sed dulcior olim
Longinquos reparat sors lætabunda dolores.
Quam dea quum dare jam generoso vellet alumno,
Tartarea velut ut tractum de fæce Tonantis
Pasceret ad mensam, tragicum post denique casum,
Spectatum voluit promissam ferre coronam.
Avia nam suetus nemorum per solaque rura
Insidiis captare genas, sub proxima messi
Tempora ad agrestes, Phœbo vergente, penates
Inter tendentem rapuit virgulta puellam :
Gramine quam pronam molli jam jamque parabat —
Clamantem dire cunctos sanctosque vocantem :
Quum subito e latebra terni cum fustibus, ecce,
Adsunt pagani, pœnas læsæque puellæ
Ad talos repetunt a vertice cuncta dolantes,
Exanimi donec similem liquere, jacentem
Præterita quo nocte loco reperere parentes,
Portaruntque domum : qui postquam vis sua membris
Reddita, cum laribus patriis camposque, sacrosque
Exosus dumos, mitis jam numine divæ
Instigante Lini doctas pervenit ad undas
Phœbigeni vatis, portum requiemque laborum.
Hic Romæ tum sacra docebat, ad æthera cujus
Ibat fama viri; felicem dicere possis.
Terrenis sine labe plagis heu gaudia nulla!
Heu! geminas Groti sulcabant ulcera buccas
Fœda, machaonias longe tentata per artes
Incassum; norat miserando sola dolores
Lambendo lenire canis, quam diva recepit
Ad se se et vita meritam meliore locavit
Pygoliche, novus has partes ut alumnus haberet
Lætæ principium sortis; vix mœnia namque
Urbis Phœbilinæ nebula subit ille latente
Cum diva; quum cuncta canem per tecta requiri
Audit, et ipse videt, lacerum qui tangere vellet
Doctorem, frustra postquam jam plurima turba
Venerat. Hic subito, vocem, veneranda, tuumque
Agnosco, dea, numen, ait, tua jussa volensque
Et certo lætis animis sequor omine dextram.
Sic tacitus secum, properus petiitque dolentis
Tecta viri, linguamque offert. Quid multa? Roganti
Permittit sævas exspes, spatioque bimestri
Lævibus exultat, dictu mirabile! malis.
Tum vero gratus medicatum ingentibus ornat
Muneribus, vestemque ferens librosque vetustos,
Resque inter varias longe pretiosius, arcas
Fasciculis plenas; quos dein jubet æra merentem
Discipulis recitare datis; sic, Magne, magistri
Ingrederis stadium; mox, missus Petrobiorum
In vallem, læta scandis cum sorte cathedram
Promissam; nunc unde tuo te numine florens
Pygolichis jactas studiis ventisque per orbem.

VULPURUS

SIVE

VECTIGALIA MUTATA.

Olim magnanimus quum publica rex animantum,
Romulidæ terras qua tempestate tenebant,
In melius ratione nova componere, justis
Impensas velletque novas æquare tributis;
Continuo rumore omnes trepidare sinistro,
Aereum terræque genus, genus omne marinum,
Et quidquid repens, testasque habitansve coralla.
Mœret ovis, viridi mœrens stat bucula campo;
Discurrunt querulæ felis mustelaque, mures
Oblitæ; medio volitat strix improba sole.
Non granis formica lares, non nectare cellas
Implet apis; gratisque legit dictata magistri

Psittacus incassum blæsus, cuculusque Monomphos,
Solaque somniferis nugatur pica cathedris:
Omnia curarum, sunt omnia plena tumultus.
Nec simplex iræ ratio, nec causa timoris.
Hos agitat mala mens, illis exile cerebrum!
Aestuat ignaris rerum, sturnum ciet anser,
Et cervus leporem, pigrum ciet hircus asellum.
Hic regem stolidus culpat, ferus ille profano
Ore lupos aprosque vocat pardosque ministros;
Hic Nili nocuisse refert, hic Gangis alumnum
Somniat infandis fiscum spoliasse rapinis.
Immensum crescit vulgi malesuada libido.
Interea, procerum dum grex sudabat in aula
Consultans, quidam Vulpurus nomine dictus,
Sibiriis olim scutica decoratus in oris,
Uri sub placidi solers abscondere vulpis
Naturam specie, densa stipante caterva,
Ipsius ad regis scandit prætoria celsam,
Putidus orator, sedem, meliora docere
Intentos properans, fidens, cum luce sequenti
Gemmatamque crucem venturam et millia centum.
Hoc animo superis æquat cum rege ministros,
Miraturque novam legem ridetque priorem,
Et lingua titubante loquax illudit hiantes,
Indulgens tenebris, miscens quadrata rotundis.
Lassi quem rostris quum deturbare pararent
Jam dudum, finem confusis adjicit, ecce,
Perspicuum dictis: nunquam, mihi credite, fratres,
Nunquam post plenis dabitur gaudere crumenis,
Nunc plenas mecum vacuet nisi quisque libenter.
Tum vero exarsit brutis furor ossibus jugens;
Infensique instant fremitu dirumque minantes;
Jamque volans circum caput inquinat ardea merdis
Attonito, a certa sapiens quum rhetora morte
Servavit multo veniens cum milite Nisus,
Nisus, cui late vigilantia mira tuentis
Imposuit cognomen avis, nunc gloria regni,
Mercurio dulcis cygnus turbæque novenæ.
Is rerum longe prudens, et mobile noscens
Ingenium plebis, qualis pila torta per auras,
Ut levibus facilis momentis incita fertur,
Fœcundæ capit extemplo mirabile mentis
Consilium; mediis aulæ namque, ecce, Pithecum,
Pictorem, in turbis vulpinam pingere caudam
Vulpuri sub fronte jubet: sic pictus, asello
Impostus, populo vehitur plaudente per urbem,
Inscriptam turpis gestans post terga tabellam:
Uri sub specie, cives, cognoscite vulpem!
Grandia quam parvis sapientes sæpe potente
Consilio gessere viri! Quæ nulla movere
Jam ratio valeat, trepidi deliria vulgi
Vulpuræ pacat pecudis lepidissima pompa,
Fabula per totum currens gratissima regnum,
Pygolichæ merces studiis dignissima gentis.

SACRUM, LATII CUICUNQUE RECENTIS STUPRARE EST ANIMUS MUSAS.

Humanas experta vices, ut floruit olim,
Musa dolet Latii nunc vulgo spreta recentis;
Qua clarus, Fracastor, eras, dignumque sonabas,
Jessæa, Buchanane, lyra, qua Baldeus ardens
Teutonas increpitat, Getici quæ nomen Horati
Sarbivio tribuit, teneros gemuitque Tibulli
Lotichio questus, magnis juvenemque Batavum
Vatibus adscripsit; post longas pulchra tenebras
Quum miro Grajum, miro facundia Romæ
Omne incendebat generosum pectus amore;
In paucis nunc illa vigens, si dicere verum
Fas nobis, quamvis contra strepitante cohorte,
Quæ nugis devota meris, pars maxima longe
Ante pilos sapiens, regnum sibi vindicat uni
Romulidum linguæ, veterum temeratque protervo
Arbitrio chartas. Nimirum scire, latinum
Quid vere, quid non, spes est hac auspice tandem,
Mox fore, qui possit, via quum detecta, priores
Quæ miseros latuit. Nostri sapientia sæcli
Sic demum, Cicero quo fias, discet; ad unguem
Quo Crispum revoces, Livi manesve solœcos;
Quemque intra numerum et voces, formamque loquendi
Standum, Prinotopo scribas ut purior ipso.
Namque hic exemplar nugantum mille per ora
Nunc latiæ volitat suadæ, Muretus ut olim,
Sexcentis Tulli felicior æmulus ille
Concorde ingenio; quod cui non contigit, usque
Diviuæ frustra noctemque diemque revolvet,
Ut similis placeat, veneresque et fulmina linguæ;
Quique sequens, qua sponte via natura trahebat,
Egregius poterat fieri, mediocris ut esset,
Aut nullus, tanto lucratus sæpe labore.
Mureto sed enim, et quicunque aut proximus illi,
Aut par, aut major visus, Ruhnkenius inter
Quos etiam nostro cum paucis claruit ævo:
Omnibus his igitur parvum superabit honoris,
Janonymi quum bucca semel difflaverit, atræ
Quæ nubes latiam texere teguntque loquelam;
Cuncta styli, (puram Ciceronis paste medullam,
Da veniam voci;) quo sensim arcana patescant.
Scilicet, hoc nuper mira et præclara monente,
Quis non obstupuit? Nec epistola namque latine,
Occlusa vulpem per noctes chorte caveri
Qua jubeas, (verum juranti crede migistro,)
Sic scribenda tibi est, in Verris ut actio furta;
Nec fraudes eodem tibi factas ore probandum,
Cari quo patriæ lugendum in funere civis.
Ardua quis neget hæc? Ignorans quæ prior ætas

Omnia nempe uno scribebat tincta colore.
Nec mage callebant, variandus ut ambitus esset
Sermonis, membris eadem mensuraque cunctis
Ne foret ac numerus, quali moderamine, quali
Cæsaris hinc niteas Tacitive simillimus arte.
Quid, quæ momenti male quis nunc esse minoris
Contendat? Tenuis non hic quoque mentis acumen
Deprendis? Justo quandoque volumine monstrant
Singula tractantes, his quonam distet ab *iste*,
Quid *sub* quid velit *a*, quod *nempe* et *scilicet* inter
Discrimen Senecæ; verbis aut classicus ordo
Qui sit jungendis; *Nasonis carmina* recte
An, vel ubi dicas, ubi possis *carmina* rursus
Dicere *Nasonis*. Satis explorata superque
Scilicet hæcce rati, temere per sæcla recentes
Vixere ignari rerum, laudemque tulerunt,
Vanicrepus nemo tantum quo viderat ævo.
Nimirum hoc nobis servatum sorte benigna,
Scribere, quod carpat nec Tiro reversus ab orco,
Nec Matthiææ stirpis, nec Carabus ullus.
Felices homines! In vivis quærere linguis
Quæ porro nolit, nisi concussisse cachinno
Quem sanos juvet, ausonio sermone perennem
Scrutantes eadem hæc illi meruere coronam;
Quisquilias quam nectat amans. Ambage relicta,
De musis Latii repetamus cœpta recentis.
Quas malene, an merito contemtæ, quæstio chartis
Sæpius est aliis nobis agitata, pateret
Ut, quam desipiant, nec nostris digna, volentes,
Nec priscis linguis illos cantare poetas;
Quamque isti dispar summis sententia quondam
Sit testata viris; nec enim sprevere recentem
Musam, magna quibus nunc durat fama per orbem,
Quique suo imprimis priscorum scripta decori
Reddiderunt multi. Nunquam Casaubonus illam,
Non duo Scaligeri, non sprevit Grotius ingens,
Non alii, longum quos est hic ponere, nobis
Jam prisci; seu, quos nomen quæsisse latinis
Carminibus notum; laudem, seu dicimus, illam
Qui non tentarunt. Quin possis cernere utrosque,
Ingenio præstans ut quisque, et major habetur
Interpres veterum, magis hoc errore remotos.
Nec vero tales nostro unquam vidimus ævo,
Jam neglecta diu Latii quum musa recentis,
Damnasse hanc olim insigni cum laude colentes;
Nec mancam finxisse, excludendamque poesi
Ausoniam linguam, qualis nunc quantaque restat
In veterum scriptis. Non magnus Wolfius istum
Errorem fovit; neque, versus ipse latinos
Non faciens, aureo dignos componere sæclo.
Conatos sprevit; quamquam succedere paucis
Rem doluit potuisse; mala ratione secutos
Quippe illos nimio vestigia prisca rigore,
Assumto potius nitidos se prodere cultu,
Ingenii larga proprii quam tendere vena,
Fervida quo sensus animi virtusque vocaret;
Nec peccasse minus temere plerosque legentes,
Valde quæ nequeant, bene vel tractata, placere.
Hæc adeo recte doluit dignissimus idem
Interpres Grajum chartis chartisque latinis;
Quem longe ante alios malis audire docentem,
Nostris ut miram veterum vim scripta colendis
Usque habeant animis; ut pulchri pectora sensu
Mulcentes fingant; humanæ denique mentis
Æternum quare maneant monumenta verenda;
Quo citius credas, talem non temnere priscis
Et lingua et numeris ausos certare poetis.
Nec mage Mureti Ruhnkenius editor unquam,
Ipse licet prosæ tantum sectatus honorem,
Illius sprevit, cujusquam aut plectra recentum,
Fundere quem versus, (qualis Santenius inter
Cultus erat Batavos,) vidisset Apolline dextro.
At contra, quamvis doctos linguaque potentes,
Castaliæ stimulet nisi mens sibi conscia lymphæ,
Sudare incassum vetuit; minimeque ferebat,
Jejuni sicco qui nil extundere gratum
Quum possent cerebro, nullo verbosa lepore
Texebant, satis ad sensus animumque movendum,
Persuasi, fidibus quidquid strepitare canoris.
Hos adeo pulchri judex acerrimus ille
Ridebat merito, et salibus mordebat amaris,
Insuavem ut describit ubi, quem nutriit umbra,
Doctorem. Magnis testem juvat addere magnæ
Hermannum famæ, chordas movisse latinæ
Quem decuit quandoque lyræ; non futilis unde
Hunc lusus, infrave suum decus esse putasse
Rem videas, per quam summi sunt nomen adepti
Aut auxere viri; nec enim, fastidia late
Ut serpant, prorsus sapientum defuit unquam
Laus illis, nec deest hodie; quin maximus auctor,
Gœtheus, ab Latiis cui gloria nulla camœnis,
Immerito spretos, monuit, longeque priores
Rectius hic statuisse. Gravi, en, quo fidere teste
Malis, quam, galli Parnassi, quærere, quantum
Riserit antistes, vehemens aut Herderus acri
Infensus Klotzo; magno, vel, judice lis est
Si dirimenda viro, senior quid censeat idem,
Curabis potius, quovis majora Poloni
Carmina quum dicit pretio, Baldique jacentem
Extollit famam, summis decoratque poetam
Laudibus, haud uno vitiosum nomine eundem
Reprendens merito. Nimirum, aut cernere verum
Tum cœpit demum, calidis aut ante fateri.

Noluit indulgens rixis. Quem, cætera sanum,
Hic morbus quondam non delirare coegit?
Quid faciant, hebes est queis mens, queis crassa Minerva,
Quæ ludi in misero nolis tolerare magistro,
Haud refugit jactare ingens si Vossius ipse,
Creuzigenum fervente Lupum seu bile lacessens?
Credere nam semper si vis pugnare parato:
Ut summum, tulerunt quos sæcula nostra, latini
Attingant, Latii nemo gnarus tamen ullum
Dixerit antiquum; nec quidquam est ipse loquaci
Muretus melior pica. Dignum tamen idem
Multa Manutium sermonis laude fatetur;
Quippe ignoranti verum hunc saltem ore sonare
Ausonio: propriam sibi nam finxisse recentes
Ad veterum linguam; mentis quæ si omnia nostræ
Ex habitu reddat, forma reddatque venusta,
Qualis erat critices Ernesti gratia: pulchram
Esse quidem hanc, sed nec Tulli, nec Quintiliani
Sinceram vocem; sibi vero cura latinas
Unquam si fecisse notas, ne Quintiliano,
Se conaturum, vel certe, ne minor esset
Donato, prisco commentatore Terenti.
En tibi, quæ specie, quamvis vanissima dicta,
Ni propius spectes, valeant illudere recti,
Hoc adeo citius; falsis quia vera remiscet
Vossius. At sana quantum ratione remota
Singula sint, longum hic, monstrantis munere fungi
Si libeat. Pugnas ut amanti cætera dones,
Hoc ipsum, mirere tamen, fugisse; latinum
Scilicet antiquum quid sit, qui nesciat, idem,
Stultum esse, Augusti si correxisse laboret
Scriptores ævi, fecit quod Vossius, ipsi,
Mille locis statuens, quali sint ore locuti,
Quos multos vertit patrio sermone poetas.
Nec vero mirere minus, qui posse Maroni
Reddere se fidat vocem propriumque nitorem,
Grammatici si vix humili contendere linguæ
Hunc cernas ausum, tantoque errore teneri,
Ut, cui se esse velit similem, non viderit, illi
Haud aliter scire, ac nobis, licuisse, quid esset
Antiquum, quid non, aliis neque fontibus ullis
Sincerumque haurire decus veneresque latinas,
Quam veterum in scriptis, illi nobisque terendis.
Nam quid Donatus, quæso, quo vixit, ab ævo
Barbariem præter poterat sordesque referre?
Quid referunt, quorum superarunt scripta, poetæ,
Christicolas potius, seu contemplere profanos?
In queis, excipias si paucos, mista venustis,
Quæ melior casu dabat aut quærentibus ætas,
Horrida nonne vides passim vestigia sæcli;
Ut neque jam pulchre prosit sua gratia dictis?
Tum quoque sed veterum si quis præstantior oris
Æmulus, ut Cereris raptam sub Tartara natam
Qui canit; huic aliud dederis mihi, credo, deesse,
Quam priscæ dotes linguæ, ne carmine Carum,
Nasonemve, una possetve æquare Maronem.
Scilicet hoc, etiam dum floruit integra lingua,
Cernimus incassum conatos mille poetas;
Tam bene cum Tacito quum scripsit Quintilianus,
Ut stolidum summo dicamus jure volentem,
Nil canere Augusti tali sermone loquentes
Par potuisse ævo; contra quem solus Aquinas
Sufficiat testis, longe licet indole dispar,
Haud minor in satira Venusino scriptor habendus.
Rixandi sed enim, vitæ qua Vossius usque
Claruit ad finem, satis expendisse libido
Non sinit, indocto doleas quæ digna profatos
Egregios persæpe viros, ipsosque quieto
Quæ pudeat dixisse animo. Sententia contra
Eichhorni, (clarum culpanti ignoscite manes!)
Futilis, ut nequeas, quin sit, dubitare, loquentis
De rebus temere, quas non intelligat; idem
Sit quamvis doctos inter doctissimus omnes;
Quo rubeat magis, ignoti quod credere velles,
Judicio; vulgo repetens quum dicta recentis
In Latii vates, sic vano interrogat ore:
Innumera e turba, memores nos simus ut ejus,
Petrarcam quis nunc præter Vidamque meretur?
Nimirum nullus critico Fracastorus illi,
Nullus Flaminius, nil gratia Politiani,
Teutoniæ nil Balde decus, nil suavia plectra
Sarbivii, nil est Ioannis dulce Secundi,
Nulla est Lotichii, Buchanani gloria nulla,
Nullaque Commiri, Vanieri nulla camœna;
Et Walli meminisse nefas, castique Sidroni,
Meyerique, lyræ nulla non dote potentis,
Quosque alios pulchre Belgas Peerlkampius inter
Prædicat, Eichhornum, non gnarus, credo, duobus
Exceptis, famam cunctis clausisse sepulchro.
Tot tamen, eximiis quondam, mage vivere Vidam
Cur placeat, vellem, causas retulisset ad umbras
Transgressus criticus. Magni nam quod facit illum,
Non sane carpo; licet, an pervolverit unquam,
Nec vanus dubitem. Vatis sed honore latini
Claro cur Vidæ Petrarcam junxerit unum,
Quis non miretur, nisi qui, vel tempore nostro,
Ex illis, modo quos memoravi, nesciat esse
Laudatos etiam doctis; vix ulla Petrarcæ
Ausoniæ pridem fiat quum mentio musæ?
Nec tamen hinc volumus, quæ multa latina reliquit
Carmina, contemni, nec vero hinc esse putamus,
Ipsum cur mage miremur potuisse minoris
Credere momenti, Lauræ ingeniosus amore
Quæ patria lingua, *canzones* atque *sonetti*,
Plurima composuit; licet ingens venerit inde
Gloria, qua vulgi quoque notus mansit in ore
Ad nostrum tempus. Paucis, sed tangere rem me
Sentio, quam nequeas recte tractare. Sit unum
Hoc adeo dixisse satis, facile mihi docti

Quod, puto, concedent latiæ gnariquae camœnæ,
Romulea vatem lauro quæ cinxit in urbe :
Sit satis, hic quoque fax dii quod crebra refulget
Ingenii, heroum magni quod digna poetæ
Africa carmen habet, domita Carthagine clarum
Scipiadam celebrans, quod epistola multa lepores,
Qui non dedeceant Venusinum; quas canis inter,
Cætera ne referam, mores animosaque corda
Eminet enarrans; hominis fatearis ut esse,
Qui veros sensus, veras de pectore voces
Ausonia dives lingua numerisque profundat;
Servilis quin ulla oris vestigia cernas,
Ingenioque artem pulchro se jungere vinclo,
Et lætas sermonis opes; tamen has uti velles
Sinceras quandoque magis; namque est ubi labem
Traxerit ætatis, multisque hoc nomine cedit:
In quibus ingenio quosdam non esse minores,
Nec rerum gravitate videns, nec dotibus ullis,
His, merito quæres, latiam quo jure Petrarcæ
Anteferas musam, sola ut sit digna putanda,
Cum Vida quæ vel nostro memoretur in ævo.
Eichhorno sed enim, lethæa mergere nocte
Quos suadet vates, quales sint, discere nunquam
Contigerit; cursim scriptorum millia centum
Sive recenseti tempus superasse negamus,
Quo pravos legeret, nunquam, seu rere, fuisse
Noscere contemtos animum, ne turpe fatenti
Ignorasse foret, voluit quos nosse videri.
Scilicet in rebus, totas comprendere nulli
Quas datur ingenio, prope sors est omnibus ista
Communis, properi dum spissa volumina condunt,
Interdum ut similes illi cernantur, Apelles
Quem monuit, pueris ne pergeret esse, colores
Qui tererent, risus. De vatibus ergo recentis,
Qui sapiet, Latii Gœtheo credere, tali
Quam critico, malit; vere dum, judice semet,
Quid valeant, pote sit cognoscere, nempe legendo,
Non lectos hodie quos moris temnere, postquam
Neglecti jacuere semel, multisque premuntur,
Ne dubites, etiam, possint si vera fateri,
Qui tollant potius. Sed quæ non concupit ipse,
Quodve nequit retulisse decus, parvum quoque velle
Plurimus assuevit doctus. Nil te vetat esse
Egregie scriptis Grajum scriptisque latinis
Exculto ingenio, raro magnumque videri
Eloquio, prisca præcellere sive recenti
Optaris lingua; pangendo carmina quin sis,
Quam tibi Melpomene nascenti lumine blanda
Riserit, expertus. Nil hoc, Ruhnkenius alter
Ne tu sis, obstat, ne Wolfi, neve secunda
Baronis tu sis, aut Lipsi gloria nostri.
Ergo laude tua gaudens, contemtor inique
Sis aliis, cave; livoris ne labe minorem
Te quoque dicamus, ne doctum mente pusilla,
Non spernas, si quis musa præclarus, utraque,
Nec spernas, gemina potius sed cinge corona,
Si quis virtute emineat, fautrice beatus
Natura, si quis Tulli Tacitive sit idem
Carique, aut docti mirabilis ore Properti.
Sed rarum, quis nescit? eas conjungere dotes,
Quacunque in lingua; nec erit, præstare latinum
Cur magis hoc poscas, omni quod tempore paucis
Contigerit. Clarum satis est, splendere solutis
Quum nequeas numeris, romanæ tangere fila
Si docte videare lyræ, nec vatibus impar
Eximiis prisci seu mundi sive recentis;
Si, veterem vano fugiens geminare labore,
Esse tui dici sis dignus Horatius ævi,
Quin, tanto meritum quo te tollamus honore,
Romulidum similis lyrico cernare, severa
Expensus trutina. Propriis ante omnia namque
Te volumus fulgere bonis: hoc denique jure,
Germanis Burgerus uti, Popiusve Britannis,
Sic tu, romanæ vivet dum gloria linguæ,
Non populi mage quam mundi laudere poeta;
Seu veterum pronus mentem amplecteris et artem,
Indole seu citius musæ capiere recentis,
Vel medius, veluti Petrarcam interque Tibullum,
Klopstockive inter genium blandique placebis
Ausonii; in vivis quo nomine sunt quoque linguis
Laudati criticis. Neque res est parva putanda,
(Hoc ne prætercam, quamvis fortasse recuses
In propria testem causa,) pulcherrima felix
Vivarum si quis linguarum carmina donet
Interpres Latio; nostro quam tempore palmam
Teutones adfectant, te, Schillere, scilicet illi
Tentantes, (quid enim potius?) diasve camœnas,
Gœthe, tuas. Nemo quos, optima quæque legentes,
Culpet; (sub propria mediocria quippe figura
Contemni satis est,) onus imposuisse puelli
Si caveant humeris, robur vix ferre virile
Quod possit. Neque enim, si vis mihi credere, laudem
Hinc facile referet, nisi quis componere et ipse,
Cui plaudant docti, valeat. Quanquam sibi longe
Persuadent aliter, Romæ vix prima lepore
Musæo queis labra madent, vix unus et alter
Mollius incomptis voluit queis currere versus,
Hanc vano capiti properant quum carpere laurum;
Ingressus modo ceu ludentem tiro palæstram
Audeat invicti pugilis contendere palmis.
Ne mirere igitur, Saponum de grege si quem
Fert animus Gœthei divina poemata panno
Vestire ausonio, nec, si fœdissima quæque
Id genus extollunt præconia mutua se se
Palpantum. Fidens propriam Saponius, ecce,

His nuper musam emisit, sub nocte profunda
Turgentes volvens fluvios, spumaque feroces
Quemque sui ad stellas nomen resonare poetæ;
Quos sociæ fumos turbæ, sine, vendat ineptus.
At nos quo pacto culpa, dic, oro, pudenda
Solvemus doctos pulchri sensuque decoros,
Nil potuit bilem facies queis tetra movere
Primorum patriæ vatum; ceu simia turpis
Formosæ certet Veneri, Phœbove protervus
Cornuti satyrus capitis caudæque caprinæ?
Qui culpa solvemus eos, nisi forte pusillos
Non tanti illis esse putes, ullius ut iram
Concieant sani? Sanum sed me neget ipsum,
Qui satius ducat, nullo vexante, quietos
Cum musis gaudere suis; fatear tamen, æquo
Insulsam me animo nunquam tolerasse catervam.
Quare, dum sannis sapientum territa, dum, quo
Supplicio digna est, tandem mactata silescat,
Nec porro quidquam prælo frons tradere dura
Audeat, interea romanæ, non ego possum,
Quin orem linguæ genium, manesque verendos
Lucreti Flaccique una magnique Maronis,
Quosque colit Verona, quibus se mœnia parvi
Tollunt Sulmonis, famæ quoscunque dicavit
Æmula Grajorum musæ mavortia Roma,
Adsint ut cuncti, et diris per somnia visis,
Sinequeant aliter, meque Igniculumque simulque
Heinigenum, et quisquis Saponis turpia ritu
Posthac condiderit, Latii veterisque sacratas
Impurus fœdo stupraverit ore camœnas,
Hunc ut terrificent, pacem dum poscere versus
Cœperit ejurans. Caroli de tempore Quinti
Tuque adeo, Buchanane, redi, nigri tibi dentis
Siquid adhuc superest, spumans, mordeque, *palæstræ*
Buccina quæ ructat; linguæ tu maxima cujus
Gloria, sacrilegam turmam defende, parantem
Hircino Aonidum saltu turpare choreas!
Germanos videas quoscunque aliosve latinos
Agresti numero lutulentum ducere carmen,
Immitis nullo morde discrimine, pravos
Quin adeo docti, veniam ni versibus oret
Piscator. Posthac monachorum tutus ab ira
Sic semper maneas, etiam quos cannabe torta
Tartarea tibi sede ajunt instare minaces.
Nec minus elysiis huc vos adsitis ab arvis,
Sublimes umbræ, vos teutona sidera! Te quas
Inter, Schillere dic, (juvat Saponis ab ore
Hic voces legisse,) *trahens nigra agmina ad austros*,
Nominis ibycei vindex, *comes una sequatur*
Grus; cumque hac diræ Eumenides, *sine sanguine malæ*
Queis *pendent, tenuem, quæ vix tegat ossa, trahentes*,
Horrida membra, *cutem*, veniant, *stupeas ut* utrasque
Attonitus, reus insana impos stans ratione,
Terrificis et corda modis, Seyfferte, secatus,
Jamque sonare videns vincla, stuprare latine
Post fugias, pulchrum quod teutona cunque camœna
Protulit. Hac cunctis cupimus te lege solutum,
In patrios tibi quæ commissa piacula vates;
Sicque novæ veniat tibi laus crescatque *palæstræ*,
Non tua Maseni minor ut sit fama, poetam
Quem tecum colimus musæ dignumque magistrum,
Nostræ quem Rhuræ popularem jactet alumnus.

ANIO EXHAUSTUS.

(Alph. De Lamartine *la perte de l'Anio*, ex ejus harmoniis poet. l. II. harm. III.)

Præcipitis quondam fovit mea somnia murmur
Albuneæ: priscis qua funditur arcubus umbra,
Dormit ubi templi sub rudere, cespite, Flaccus
Quem trivit, recubans, spatiosa sub antra ruentem
Videram, ubi pendens Iris ludebat in undis,
Aera deserti sonipes dum findit, ut alba
Ventus amat lusisse juba; spumante videbam
Longius in musco divisam currere rivis,
Fumantemque etiam, fluitantia retia tanquam
Laxare et premere, atque errans ceu fundere aquarum
Gramina per velum, strepitu atque adspergine vallem
Implere, et vitrea longe unda tendere cursum.
Fluctibus hisce diem defigens lumina totam,
Quærebamque sequens, amittebamque vicissim,
Ut mentem, varias animus dum fluctuat inter,
Amissam revocans relegit vestigia cæca,
Attolli, volvi, se condentemque videbam,
Et claris oculos undis præstringere amabam.
Æternæ, radii, queis gloria cingitur urbis,
Eluxisse mihi longe, visique per ævi
Ad fontem verti tenebras, etiamque coronam
Tiburis in radiare jugis; largoque barathro
Aunis cum biberet murmur sublime gementis
Gurgitis, hos æstus, fremitus hos inter aquarum,
Quos centeno iterans echo volvebat ab ore,
Per spatium trepidos populi motusque gradusque
Immensi audivisse mihi vocesque videbar,
His similis, cursu sed festinantior, undis,
Margine qui strepuit suo, in æternumque quievit.
O, amnis! dixi, regnum, o, qui sæcula ripis
Et cessisse tuis vidisti et tollere! cujus
Nomen, liberti tenui te stirpe canente,
Provocat illius dono, quod transiit, ævum;
O, mundum prope te dominos qui errare promentes

Vidisti, et votis tua poscere murmura somnos;
Ægri delicias cordis spirare Tibullum;
Scipiadam fasces lictoris spernere, in umbra
Victorem Magni lassum requiesse triumphis;
Famæ avidum Mæcenatem palpare poetis,
Et Brutum scelus, et virtutem agitare Catonem.
Centum, amnis, tua quid dicent mihi millia vocum?
Flacci fersne sonos mihi pectinis, anne minacem
Cæsaris aut blandam vocem, aut fora fœta procellis
Herois populi, qui præceps ore tribuni
Æstuat, inque suo tumidus, tua ut unda, furore
Per terras, ripa ceu torrens vastior, ibat?
Omnes, heu, nunquam redituri, abiere tumultus,
Arma, forum, lyra, amor! Stillans modo lympha sonorum
In saxum remanet; solus tu labere nempe,
Dasque etiam murmur. Quid dixi? Nempe dedisti!
Nunc silet, exhaustisque arescit fluctibus alveus;
Pendentesque super rupes, siccæque cavernæ,
Et quæ gemmanti caret arbor rore, vagansque
Bucula cum cerva veniens volucrisque pluentes
Ad saxi guttas, incassum, lympha reversa
Ut mutæ reddat valli cum murmure vitam,
Exspectant; solisque locis, inopesque relictæ,
Concordi tanquam repetunt, VANA OMNIA! voce.
Ah, quum regna cadunt, res num miranda putetur,
Debilibus nobis manibus quum structa ruere;
Si, quod natura æternum formasse videtur,
Mortalis, sensim mutans, delebitur instar?
Si spumans amnis, quem currere sæcula cernunt,
Vanescens subito sua littora nuda reliquit?
Interiisse amnem! Sed, qui nunc æthere regnant
Mole gigantea, sua montes subruet ætas;
Sed, sparsa cœlum veluti queis fulget arena,
Deficient viduas extincta hæc sidera noctes;
Sed spatium hoc ipsum supremo in fine peribit,
Et, quidquid fuerit, quondam nil cuncta futura.
Cuncta futura nihil! Mundorum tu sed origo,
Qui facis, ut rutilent ignes, labantur ut undæ,
Qui facis ire dies in gyrum temporis axe,
Tu duras, tu, qualis eras, domine usque manebis.
Extinctæ illæ omnes stellæ; quique aruit amnis,
Quæ ruerunt juga, qui mundi periere, sub ævi
Sæcula mersa barathro, ipsumque ævum spatiumque
Deletum, et ridens, quod finxerat ipsa, potestas,
Illum, qui superat, totidem hæc sunt ora verentum;
Et, tempus quodcunque rapit mortale creatum,
Æternum qui te recinunt, accedit ad hymnos.
Defle, terra, tuos, defle, ah, terra itala colles!
Historiæ mundi quorum monumenta ruinæ;
Altius, ex orbe imperium dum transit in orbem,
In quibus impressit passus vestigia; signo
Nomine ut usa tuo, splendens ubi gloria velum
In nudo liquit trunco! Mihi clarius omni,
En, tua quod loquitur sacra inter fragmina! Plora!
Responsura tuas vox est miserata querelas.
Tellus, quam facit imperium fortunaque sanctam,
Fons populorum et communis regina parensque!
Non stirpi modo tu generosæ cara, senecta
Quam viridi peperisti; ipse invidet hostis, amatque,
Omni quæ patria est, magnum quod nascitur, umbram.
Mensque carens requie, quam gloria sæcla vetusta
Libertasque trahunt repetentem, et, purior aura,
Mens, qualem irrorat securam sortis, adorat
Quæ frustra mundus, mens spernens numina, quæque
Unam longius it quærens atque altius aram,
Vero nempe deo solique atque omnibus uni;
Corde ambæ tenero te complexæque querenti:
NOSTRA PARENS! dicunt, in pulvere te venerantes.
Ossa tuo capulo ventus quum præripit, ipsam
Insultat veluti famam luctumque profanat;
Deque omni monumento, aperit Romæ quod aratrum,
Herois spirare putes te cernere manes;
Templumque immensum hocce, deus quo christicolarum
Gentilis posuit Jovis inter rudera sedem,
Intrans mortalis mage sentit quisque precando,
Quidquid adoret eum, tua templa huic esse dicata.
Quæque tuis famæ sacris in montibus arbor,
Quisque super tumulum moriens flos vomere læsus,
Rupes quæque exesa, omnis, quæ deficit urna,
Omne tui labens sancto de fragmine saxum,
Audax ceu sonet ævi ictu graviore securis,
Alto cuncta movent populorum pectora sensu;
Quæque tuam majestatem res cunque supremam,
Te maculans, ipsos quoque nos maculare videtur.
Mutata tibi sorte uni reverentia crevit.
Omne tuo adspectu lumen, cor nomine flagrat;
Palpebramque premens humilem fulgoribus, idem
Sol tuus in te ceu famam lucemque refundit; (*)
Quodque tui modo sulcavit maris æquora velum,
Dum procul attollis cœli te grandis in ora,
Commotum magnis hisce horrescensque figuris,
Sponte sua se demittit, tua littora tangens.

(*) Obscura sententia reddidi binos archetypi versus, quos equidem non magis perspicuos, quam meos dicerem: ut judices, en ipsos:

Ton soleil, trop brillant pour une humble paupière,
Semble épancher sur toi la gloire et la lumière.

Nec sequentium versuum posterior:

Quand les grands horisons se montrent dans les airs,

Ambiguitate caret. Ego, si non verum, certe nec ambiguum dedi, nec vero a re alienum.

Ah, longe serva, viduæ tu gentibus instar,
Ah, mutilos pia quos venerentur sæcula, serva
Tu nobis titulos, humanæ funera famæ,
Sub pedibus disjecta tuis in pulvere Romæ.
Omne verere tui; laceræ quoque fragmina pallæ,
Nec mage sis tanquam fulgentibus invida fatis;
Suprema, sed, qualis erat se Julius hora
Veste cruentata involvens, quamcunque futura
Sortem ætas foveat, te vastam gloria, tellus,
Involvat! Quid, ubi regnum et victoria, refert?
Non erit æquans ulla tuam per sæcula famam.

QUEM DICAM, QUALEM FINGAM, QUA SEDE LOCABO?

Quid sis, sancte deus, mihi quæ sapientia monstret,
Aut mea qui ratio potis hoc sensusve doceri?
Qui nuper paucos huc veni degere soles,
Moxque tuo nutu, nec, quonam, gnarus abibo;
Omnia, ut intereant, video qui nata, vicesque
Omnia perpetuas vitæ mortisque referre,
Tu quid sis, rerum fons servatorque creatis,
Quis mihi mortali ostendet de semine cretus?
Omnis principium qui motus, primaque vis es,
Qua vi te dicam, quo dicam gignere cuncta
Consilio, quam te causam movisse, tueri
Qua totum ratione rear, quo nectere vinclo?
Immensi qui me, ceu roris ab æthere guttam,
Fecisti partem mundi, mens cujus ubique,
Cuncta creans et alens, finesque potentia nescit,
Tempore qui spatioque cares, qua sede regentem
Cuncta, deus, qua te rerum regione locabo?
An pelago, vasta tibi ludere mole per undas
Quo cete gaudent, altis terræne cavernis
Te ponam, æterna formas ubi nocte metalla,
Et novere tuam crystallina corpora legem;
An lætis arvis potius, rapidove ubi sole
Torrida non ullo vestit se gramine tellus,
Rupibus aut ponam, niveo quæ nubila findunt
Vertice, vel stellas inter, quas syrmate cœli
Te lyra Jessidæ recinit per templa trahentem;
Sidereove super spatio, mea limite mens quo
Rerum circumdat summam, numero unde carentes
Despicias mundos? — Quo ducor inania fingens,
O deus, immenso sedem reperire laborans!
Nos, terræ soboles, te, rerum tecta, caventes,
Ne domino desint, in cœlo dicimus esse,
Et solium regi, circum seraphimque beatos
Et cherubim facimus tua semper in ora tuendo.
At qua te dicam specie, deus, esse, creator
Qui maris et terræ, qui cœli cuncta figuras,
Innumerisque elementa modis mentemque ligasti?
Membrorum tene includam compagine, forma
Ut certa teneam, carnis cingamque decore?
Quo mihi te liceat meditanti cernere fronte,
Omnipotens ubi majestas, sedeatque serenum,
Ipse graves qualem fundis super æthera nubes;
Ut tribuam rerum penetrantia lumina molem,
Et capitis, quo summa tremant atque infima, nutum:
Scilicet ut facie similent te, munera magnos
Quos tua terrigenas inter redduntque verendos.
At tibi nec locus est, nec, qualem fingere formam
Mortales valeant. Hominem quis ponere possit,
Te, deus, inquirens? Manuum sic facta mearum,
Unde ego sim, dicant, ut te mihi nosse creato
Æternum fas sit. Densa caligine nempe,
Tu quid sis, agitans, aciem quo dirigo cunque,
Involvor; perculsa mihi dum pectora terret
Arcanus subiens horror, confusa cupido
Quo damnans se se refugit conamen inane.
At mea te ratio nequeat cognoscere quamvis,
Terrenæ qualem voluisti jungere sorti;
Alma parens tibi testis adest natura, loquentem
Quam mihi monstrantemque tua miracula dextræ
Formasti: rabido per hiantia vortice saxa
Te resonat torrens; strato tibi cærula rident
Æquore, vesano surgunt tibi turbine venti,
Fulgentisque tremit cœli sub murmure tellus;
Te nemorum secreta mihi, per frondea tecta
Ramorum leni te nuntiat aura susurro;
Purpureum te mane jugum, te nocte silentes
Arcano referunt lunæ sub lumine campi.
Nempe creatori totus, tua gloria, mundus,
Mille tamen testes inter tibi clarius omni
Ipse loquor mihi voce: meum te scilicet esse
Cor clamat, penitusque tuo se numine sancto
Percussum sentit, te præsentemque pavore,
Unde mihi subito trepidarunt membra, fatetur,
Quis sim, dum reputo, cur mundum meque crearis,
Quæque mea in terris, quæ sors a morte futura;
Quum sine te nil esse, deus, me sentio, numen
Prostratusque tuum, quo spiro pulvis, adoro.

AQUISGRANI REGIONIS AMOENITAS, IN EAQUE MONS FRANCORUM (FRANKENBERG), CAROLI M. ARCIS RUINÆ.

Cum natis uxore domi librisque relictis,
Grani nunc quid Aquis faciam; quo more tepenti
Non ægri vulgo quæramus rore salutem;
Molliter ut tractem concessa per otia corpus,
Utque animum oblectem; qualis pulcherrima circum,
Quidque habeat regio prisci memorabile sæcli,
Dum crebris cœlum contristant nubila nimbis,

Cui narrem potius, tibi quam, doctissime Paulsi;
Si mea quid tenuis pulchro gaudentis amici
Musa queat cepisse aurem mentemque sagacem?
Inclyta tu patriæ magnorum carmina vatum
Laudabas ausum Latiis inferre Camœnis:
Aspice, age, et nostris te nugis, parva ferentem,
A gravibus lassus recreas quum pectora curis,
Concinna numquid tenera vel voce moremur,
Nec nimis ægroti, nec ab omni parte valentes.
Quippe cutem thermis, sat recto corpore, dudum
Curamus laceram; male nam mihi quatuor annos,
Principiis parvis, dum negligo, dumque monentem
Contemno medicum, prurigo crescit inhærens.
Nunc igitur ferro vitiati et sulphure fontis
Ternos quoque die cyathos potare calentes,
Ipsisque extractum thermis sorbere jubemur
Pulvereum sulphur, tepidaque lavarier unda.
Sulphura post cœnam, requiem quum membra reposcunt,
Sumimus, a quinta potamus mane, per horam
Post potum modice xysti sub fronde movemur,
Balnea dum petimus: sic horis cuncta duabus,
Quo voluit medicus, peraguntur more. Lavati
Prandemus, prima cœnamus; cœna secunda
Circiter octavam sequitur vix lancibus impar.
Nam vini, ratio non est, cur vespere nolis
Sumere tantumdem. Sic nos, sic plurimus hospes-
Multi namque ægri tecto versamur eodem-
Et laute satis, et largo potuque ciboque,
In genium faciles, ignavas ducimus horas.
Nam dives nimium memores nos esse salutis
Mensa vetat, multumve viros curare medentes.
Scilicet ægroti, ternis vel forte quaternis,
Non vere sumus, exceptis; mala sed bene multa
Fingentes ægri nobis aliisque videmur.
Quoque minus pigeat cum tempore perdere numos,
Non desunt, magna qui curent arte valentes,
Aut grave qui faciant, leve quidquid tentet: utrumque
Turpiter; at sane sinceri dura, fatendum,
Conditio medici; morborum nam sibi mille
Qui species fingens miserum se versat et angit,
Huic, lucra contemnens, nunquam persuaserit, ut se
Esse putet sanum: numos, mox invenit idem,
Religio cui sit misso non ferre pudore.
Paucis ut dicam: calidæ bibit hic duo tresve,
Viginti hic cyathos; fervente hic, ille tepente,
Hic frigente lavat; vapor ardens concoquit illum;
Prorumpens huic unda tubo vi brachia magna,
Crurave, vel collum, vel lentam verberat aurem;
Ast illi vexat ventosa cucurbita pellem,
Per tenues rimas, faciunt quas scalpra minuta,
Cessantem augens non mitis hirudo cruorem.
Sic ægros multi relevant torquentve labores,
Quos alios alii ridemus sæpe ferentes,
Ut frustra miseros, longe et diversa, jubemus,
Ut pulsis agitent medicis; quin ipsa jocosis
Hospitis oblique torto bona filia collo
Est argumento, patris quid balnea possint.
Nec minus interea sperare hinc quisque salutem,
Et variis tentare modis. Ego simplice cura,
Si cute decedat prurigo, cætera sanus,
Experior: cui quod satis est ubi mane tributum
Temporis, aut paucis, musarum non sine lusu,
Oblector libris, nisi quis visendus amicus-
Qualis Aquisgranum carus colit indole rara,
Et docto suavis mihi *Zitterlandius* ore,
Candidus, et fuci fugiens Germanus inanis-
Aut lare cum dulci solatia prole carenti
Rus peto; namque deus ruris me fecit amantem,
Et miro invitat regio jucunda nitore,
Pulchrior, ut dubites, sitne hæc, an tecta Leodi
Quæ circum ridet. Lato pars altera campo
Funditur: hic segetes hortique et plurima prata,
Multa fluit flexo ludens ubi lympha meatu;
Excipiunt passim claro quam stagna liquore,
Et ripa viridante placent; at canna palustris
Prætexit, tremulisque comis procera coronat
Populus, et tacita candens nat cygnus in unda.
Mœnia sed circum longo mirabile regnat
Ars spatio, genus arboreum virgultaque mille
Cespitibus norma gaudens sociare britanna,
Ut via curva novis oculos juvet usque figuris.
Suaviter hic viridem variant sylvosa colorem;
Tranquillas florent hic circum gramina lymphas;
Hic longas tiliæ contexunt frondibus umbras.
Nil adeo melius, nil gratius arte videres
Dispositum; sed quis vincat, certare quis ausit
Deliciis, natura, tuis? Pars altera montes
Et colles regionis habet nemorumque recessus,
Unde petunt campos liquidi cum murmure rivi,
Muscosis celerem volventes rupibus undam.
Hic deserta jacet, multo quæ tramite aditur
Sylvosum flexo per clivum antiqua ruina-
Francorum dicunt Montem-quam fama vetusta
Miraque concelebrat, medii miracula multa
Qualia sunt ævi. Saxoso fragmina colle
Stant arcis Caroli Magni: pars eminet altæ
Semirutæ turris, cui curtus adhæret utrinque
Extremis tangens adjectas partibus ædes,
Murus; at ipsius vix intus pauca supersunt
Rudera castelli. Quercus sublimis inumbrat,
Quæ circum virgulta virent. Hic rustica mensa
Cum scamnis, solas requiescere sive ruinas
Inter, seu Cereriscupias vel dona Lyæi.

At muros hederæ cingunt, et saxea circum
Stagni ripa riget condensis horrida dumis.
Unda immota silet, quæ, musco tecta virente
Pallentiqne ulva, miserans lugere videtur
Herois quondam squalentia rudera tecti.
Nec, cui cor tenerum possint humana movere,
Hic tacitam pudeat lacrymam flevisse; quieti
Margine seu stagni defixus, sive reducto
Stet prato solas spectans mœstasque ruinas,
Umbrosos inter colles stagnumque patente,
Fragmina per rupis querulum qua lympha susurrat.
Flebilis hic ævi nil non carpentis imago,
Perpetuum sub sole monens nil posse vigere,
Quidquid seu magnum tulerit seu terra beatum.
Scilicet hæc taciti loca sunt mœroris amica,
Et teneros capiunt animos; jucunda poetis
Hæc sunt præcipue; Musis nam mollia corda.
Hic stantes multum, multum gemuere sedentes,
Hic flere et dulci juvat indulgere dolori,
Et mundi sentire nihil, lacerataque sævis
Pectora vulneribus sanare, animique tumultus,
Aut gliscens, pacare, urit quæ flamma medullas.
Nempe poetarum sunt hæc, nec carminis ulla
Materies est grata magis. Quas nullius aures
Mortalis, claras hic echo sola querelas
Audit Rousseaui, teneram cui musa loquelam
Annuit. Ast alius, regales, clamat ineptus,
Quo mensæ, festæ quo nunc abiere choreæ?
Quo citharæ strepitus? Ubi dulcis gaudia lecti,
Et roseis Fastrada genis? His annulus ille
Miscetur magicus, priscæ miracula famæ.
Nam magnus Carolus, Populos qui, maximus ipse,
Ingentes sceptro rexit domuitque rebelles,
Nos minus ut parvos pudeat, devinctus amoris
Servitio, dominæ totus pendebat ab ore,
Inque una felix Fastrada nocte dieque
Ardebat, pulchro delibans corpore florem.
Quam cito, væ, sævo mutantur gaudia luctu!
Deliciis dura, heu, mors nescia parcere nostris!
At non, qui teneri flagrabat in ossibus, ignem,
Sedavit; dominæ nec vis in pectus amantis
Est minor extinctæ. Non carum linquere funus
Est potis, aut precibus dictis aut flectier ullis,
Ad se se ut redeat; cor consumitque dolore.
Quippe amor eripuit mentem. Non cura suorum,
Non subit imperii; vitreo quin corpus amatæ
Inclusum servat capulo, nec pervigil unquam
Lumina deflectit, nec membra quiete cibove
Est recreare memor. Miserans videt aulica turba
Fatali heroem vesanum tabe perire;
Et gemit incassum: sapiens quos inter et arte
Imbutus magica Turpinus, vincula, gnarus,
Que teneant ægrum, quæ vis arcana volentem
Conficiat, Caroli dum victa sopore premuntur
Lumina, clam vitream recludens, subripit, arcam,
Funeris innexus torto qui crine latebat
Annulus, et stagno subreptum mergit in alto.
At Carolo subito magica vi sana soluta
Mens rediit, tristesque sui jam liquit amoris
Reliquias, nemorisque umbras per amœnaque prata
Errans, ad stagnum casu venit ecce quietum,
Quo magus arcanum pignus demersit amoris;
Et stetit, ignarusque hæret miratus in unda,
Quid teneat: dulcis mulcet præcordia mœror;
Et molles carpunt flammæ, semperque reverti
Cogitur, et tacito requiem sub gurgite quærit.
Quo commotus amans hanc molem condidit arcis
Et coluit Carolus, stagnis circumdata cujus
Rudera nunc sylvas inter camposque virentes
Cernimus, herois memores. Salve, inclyta proles
Francorum! Clarum nigris te noctibus astrum
Lucentem late populis miramur, et armis,
Artibus et pacis magnum, pulchrisque faventem
Ingeniis, pura inque deum pietate verendum.
Salve! Sancta tuæ præsens mihi mentis imago,
His regni vitæque tuæ vestigia terris
Dum sequor. Ah, subito quo me fers impete Musa!
Divini Caroli referamne ingentia facta?
Ah, mihi ne talis veniat fiducia! Parvo
Sit magni meminisse satis. Tu, dulcis amice,
Post humili loca quum versu mihi dicta revises,
Sis nostri memor. Irrisum tibi dæmona quondam,
Proque anima humana pretium retulisse lupinam,
Ingens, et montem, cujus de nomine lis est,
Pieria primum madidus quo Smetsius aura,
Suaviloquos tenero pulsavit pecte nervos,
Ac si præterea quid miri fama vetusta
Prodidit, hinc alias forsan narrare placebit.
Nunc lusum satis. En, largis tandem imbribus actis,
Me campi, me prata vocant sylvæque silentes.

SOLITUDO.

(Alph. de Lamartine *meditatio* VIII. *Solitude.*)

Felix, a nostro qui flexus tramite passum
Deserti celatque umbris, et, pulvere vilis
Excusso mundi, terris vestigia vivus
Jam sua delevit, solo tandemque recessu
Spe sese abscondens alit, atque oblivia potat! *
Quales qui puri volitant genii per inane,

---

* His e *meditatione* VI. (pag. 25.) cf. sic a me reddita:

In vita nimium, ah, vidi sensique et amavi!
Lethæis requiem quæro superstes aquis.
Vos loca pulchra mihi dans este oblivia littus:
Non ego jam felix, si memor, esse queam.

Tranquille spectans umbram, quæ præterit, ille,
Tutus et æternum ludente libidine sortis,
A quo descendit, sequitur jam lumine currum!...
Ille animi cernit fluitante in gurgite motus
Vela procelloso implentes mortalia flatu;
At dubiis ultra pax non turbatur ab auris,
Mens cui freta deo nunquam mutante quievit.
Grandia quem gaudet contemplans ille creantem,
Montes, qui vincunt ventos et fulmen et ævum,
Robur ubi, seque æternum deus ille verendæ
Et solidæ inscripsit moli, Qua flammeus hora
Auroræ vertex radios reddensque colorem,
Qualis nocte incensa pharus cœlestis, in umbra
Scintillas fugiente vibrat, jam concitus ille,
Quos per radices late mons fundit, amœnos
Exsuperat colles, sensimque evectus opacum
In latus, æternas passu repente penetrat
Sub pinus. Sicco torrente hic alveus unum
Præbet iter, pendetque super nunc fornice rupes,
Nunc retro, subito suspensus margine, cedit
Attonitus, stupet augusto lumenque pavore
Una horret gaudetque, diu volvensque tuetur
Sub pedibus barathrum! Scandit; diffunditur usque
Latius ora poli; scandit, seque explicat illi,
Auroræ velut ante novæ se porrigat ora,
Immensum; mundus passu sub quoque videtur
Luminibus nasci, supremo in vertice donec
Libera jam spatiis gaudent dominata vagari!
Sic, ubi nostra suum ad fontem mens avolat, omne
In tempus tandem terrena valle relicta,
Quovis in cœlum pennæ quo tollitur ictu,
Largior est oculis ejus qui panditur orbis,
Mundorumque patent subjecta arcana volanti;
Usque novum reperitque et tollitur altius usque
Ad sacros apices, seraphim quo limite visus
Immensis spatiis immergit lumina nullo.
Celsa, nive et glacie salvete o arva corusca,
Mortalis quæ servastis vestigia nulla!
Ipsæ vos acies horrent; mihi cognita soli
Atque aquilis, prima sub luce creata, verendæ
Pyramides, solido ipse deus fundamine tutas
Quas posuit, mundi extremum, queis ambitus illa
Magna ab luce suus, constans mansitque figura;
Vestra per incassum sonuerunt culmina nubes,
Turgente incassum sulcatur ab amne vorago,
Incassum feriunt duratam fulmina frontem;
Nam cito discussis frons vestra augusta tenebris,—
Nox fuscis nobis ut circumfunditur umbris —
Nigrantes longe demittens vertice crines,
Ictus, quo tremuit, victrix, hodieque videtur:
Ecce tuam! dixisse deo, quo fixa triumphat,
Me vero super hæc solum en confinia mundi!
Infra me longe volat hinc cum murmure fulmen;
Nubila, ventorum penna percussa rotantum,
Illiso pariter luctantia vortice, ut illi,
Ceu novus oceanus sub tempestate tumescens,
Volvuntur nullis sine fine coercita ripis,
Et positis animis hæc ante cacumina magnis,
Perpetuo ad scopulum se scindunt impete vastum.
At circum chaos hocce pedes dum exæstuat atrum,
Sol nunquam cessante caput splendore coronat:
Ætheris in spatium curru qua fertur ab hora,
Usque ejus pelagi qua labitur orbis in undas,
Obliquo signans hoc cœlum tramite sidus
Non illic unquam maculavit lumen in umbra,
Et jam stellatis nigra nox descendit ab oris,
Quum vale illo etiam repetit sol culmine longum.
Illic lætitiæ mihi sub torrente natanti
Latius adspectusque animusque effunditur una,
Et, libertatis respirans aera sede,
Fulgorique suo credit reddique sereno.
Vitæ nempe gravans his cœli cura sub auris,
Contemtusque hominum livorque odiumque feruntur
Mersa, nec hinc comites unquam mortalibus hærent:
Ima petunt ultro, vilis ceu lamina plumbi.
Sic, quo pura magis, magis hac homo mergitur unda.*
Effigiem nostri secum vix extulit orbis!
At tua imago, Deus, vastis hic sparsa figuris,
Ad te se tollens, nostris stat vultibus aucta;
Utque sacerdoti sancti penetralis in umbra,
Secreto te animo vestigia quæque revelant;
Sylvaque opaca silens et nox sublime susurrant
Arcanum tacito, scenis infixaque miris
Deserti discit tua mens oracula voce.
Vidimus oceani tremefactos æquore fluctus,
Non secus ac bijuges raptos per plana feroces,
Ore tuo jussos madidos evolvere crines,
Et rabido superare fragosa repagula saltu,
Tum, subito fræno tibi cuncta tenente repressos,
Attonitum in barathrum retro volvisse gementes;
Vidimus et flumen ripæ viridantis amore
Paulatim molli libasse umbracula fluctu,
Inque suis oris velatum frigore et umbra,
Piscantis leni cymbam motare susurro;
Vidimus et fracto reboantia fulmina telo

---

* Quo minus mireris in hoc carmine quædam obscura nimis ratione conjuncta, plures ex eo versus deperditos esse, animadverte, quibus interim nulli ab auctore substituti. Itaque hic unus, post versum *sequentem* duo, et ante *vidimus oceani* quatuor desiderantur.

Flammantis super undam instar micuisse draconis;
Et Zephyrum dulces halantem mellis odores
Cæruleum placide velamen verrere cœli;
Humentesque etiam pennas siccare columbam,
Et timidos posuisse pedes in margine nidi,
Aeris in numerum mox ictu pellere fluctus,
Atque gemiscentem considere littore ponti;
Quo resides cœlo, vicinas vidimus arces,
Quasque nives aurora rosis conspergere gaudet,
Brumæ divitias illas, arentibus unde,
Mille per ambages geminatis cursibus, agris,
Ut tibi quæque tepent, centum crystallina saxa
Festinant sedare sitim morientibus herbis!
Suspensaque illi rivi de rupe pluentes,
Torrentesque illi granite in hiante sonantes,
Culminaque illa, dies victrix ubi substitit, omnia
Nempe tuas natura canit, tua gloria, laudes.

J. D. FUSS CARMINUM

PARS IV,

HOMOEOTELEUTA, QUÆ E GERMANICO,

SCHILLERI PLERAQUE,

LATINE VERTIT, ET GERMANICA GRÆCAQUE NONNULLA,

CONTINENS.

PUELLÆ QUERELA.

(Schilleri *des Mædchens Klage.*)

Quercetum fremit,
Eunt nubila,
Puella sedet
Ad littora,
Fracta æstuat unda et æstuat,
Illa nigram in noctem gemitum dat,
Oculos plorando turbata.

Cor mortuum, mundus
Est vacuus,
Nec voto quidquam
Habet amplius.
Tu, sancta, tuam prolem recipias:
Mihi contigit terræ felicitas;
Ego vixi et amavi beata.

Lacrymarum flumen
Manat irritum;
Non suscitat planctus
Tibi mortuum;
Amoris sed rapta post dulcia,
Quid levet sanetque, dic, pectora,
De cœlo ego dabo ploranti.

Lacrymarum flumen
Manet irritum;
Non suscitet planctus
Mihi mortuum!
Nil, suavis amoris post gaudia,
Tam dulce mœrenti beat pectora,
Quam dolor et planctus, amanti.

HECTOR DISCEDENS.

(Schilleri *Hectors Abschied.*)

Mene æternum linquens, Hector, tendis,
Nunc Patroclo manibus tremendis
Qua Pelides litat horridus?

Parvulum post tuum quis vibrare
Docet tela, deos quis orare,
Te quum niger haurit tartarus?

Siste fletum, conjux cara; ardente
In duellum ego feror mente;
Hæ defendunt manus Pergamum.

Sanctis aris dimicans deorum,
Vindex cadens civium meorum,
Flumen ad descendo stygium.

Iners hasta in aula stat, armorum
Nunquam sonum audio tuorum;
Ili stirps heroa moritur.

Nullus, ibis, dies qua lucebit,
Qua Cocytus per deserta flebit,
Amor tuus Lethe mergitur.

Quidquid cogito, silenti vado
Lethes, quidquid cor suspirat, trado;
At tu mecum trajicis.

Audin? Ferus muris instat fremens:
Ense me recinge, fletum premens:
Lethen transit amor Hectoris.

TRIPLEX MOTUS SPATIO.

(Schilleri *Spruch des Confucius.*)

Triplex motus spatio:
Impete perpetuo
Longum fertur, mora sine
Nullo latum tendit fine,
Nullo altum mergitur.
Te quid moneant, tuere:
Porro nitens ne morere,
Nunquam lassus hæreas,
Cœptum quo perficias;
Mundi, latus evolvare,
Videas ut formam stare;
In profundum sed descendas,
Vim creantem ut deprendas.
Meta stat constantiæ,
Plenitudinis est lumen,
In barathro veri numen.

TEMPUS TRIPLEX.

(Schilleri *Spruch des Confucius.*)

Terno passu tempus it:
Tardum veniens se fert, æternum
Requiescens stat hesternum,
Ut sagitta, præsens transilt:
Nemo properans cunctanti
Alas addit, impetum
Nullus metus avolanti,
Nullum frænat dubium;
Nemo, quum stat, pœnitendo,
Nemo moverit mulcendo;
Sapiens tu viam lætam
Ut ad vitæ pergas metam,
Cum tardante consule,
Cum citato perage;
Inimicum ne fac permanens,
Nec amicum fugiens.

REX IN THULE.

(Gœthei *der Kœnig in Thule.*)

In Thule rex amavit
Fidus ad tumulum,
Moriens scyphum donavit
Cui pellex aureum.
Nil carius habebat,
Quovis in epulo,
Madente hauriebat
Et semper oculo.
Mortisque jam futurus,
Regni urbes numerat,
Heredi nil demturus,
Scyphum sed nulli dat.
Cœnabat rex suorum
Equitum in medio,
In arce ad mare, avorum
Celso cœnaculo.
Hic vetus potor rore
Stans ardet ultimum,
Sacrumque jacit ab ore
In undas poculum:
Ruens, bibens videbat,
Sidensque in pelagus,
Nox oculos premebat,
Nil bibit amplius.

GAUDIO.

(Schilleri *an die Freude.*)

Alma divum flamma, natum
Gaudium Elysio,
Tuo cor inebriatum
Ferimus sacrario.
Cessit, homines qui distinxit,
Tuis mos illecebris,
Omnes tuis amor vinxit
Alis nos sub placidis.

Chorus.

Mundum, fratres, amplexemur!
Gentibus hoc osculum! *
Tecta super siderum
Bonum patrem veneremur.

Cui amicus, alea gravis,
Contigit, in gremio
Cujus jacet Laura suavis,

* Germanicum *Seyd umschlungen, Millionen! Diesen Kuss der ganzen Welt!* sensu reddidimus; vocem *Million* non habet lingua latina.

Misceat se jubilo*
Suum vel qui vocet ullum
Solis cor sub lumine;
Subtrahat se, cui nullum,
Hocce flens a fœdere.

Chorus.

Sympathiam colat, donum
Quisquis terræ fruitur,
Super astra tollitur,
Ad ignoti ducit thronum.

Gaudium bibunt animantes
Ad naturæ ubera,
Bonus, improbus, sectantes
Rosea vestigia.
Suavia, nectar dat Lyæi,
Dat ad mortem comitem,
Per quem vermis gaudet, Dei
Cherub spectat faciem.

Chorus.

Creatorem adoratis,
Strata mundi sæcula?
Cœli super atria,
Quem testatur cor, quæratis.

Gaudio se natura mota
Reparat perpetuo,
Gaudio mundi vasto rota
It in horologio.
Flores germine pellexit,
Soles plagis lucidis,
Globos volvit, quæ dispexit
Nulla lens, in spatiis

Chorus.

Læti, soles ut volantes
Campum per æthereum,
Vestrum, fratres, stadium
Ite, victor ut, ovantes.

Flammea scrutatori ridet
Veritatis speculo,
Lassus ardet, aspro videt
Quum virtutis scopulo.
Signis ejus radiare
Cernis arcem fidei,
Angelorum choro stare
Rimam per sarcophagi.

Chorus.

Meliori toleretis
Mundo, gens terrigenum,
Cœli super cærulum
Magnum vindicem habetis.

Di nos curant, nil egentes:
Pulchrum esse similem,
Lætis subeant dolentes,
Sublevemus pauperem.
Ira, ultio pellatur,
Diris venia hostibus,
Consciis nec cor rodatur;
Nec tabescant fletibus.

Chorus.

Dimittatur, qui debebit,
Nectat mundum gratia:
Fratres, super sidera
Judex homini sedebit.

Gaudium fervet in cratere,
Rore mitis aureo
Cannibalus fit, terrere
Discit desperatio.
Sede, fratres, emicate,
Scyphus it quum Teutonum
Spuma cœlum salutate:
Bono genio poculum!

Chorus.

Stella laudat quem rotata,
Seraphim quem canticum,
Bono genio poculum,
Templa super qui stellata.

Contra mala pectus forte,
Bonis tutor flentibus,
Fides nulla nutans sorte,
Veritas et fratribus.
Viri regum ante thronos,
(Sævum nihil terreat),
Meritum coronet honos,
Fraudis monstrum pereat.

Chorus.

Denso choro hæc sacrate,
Vinum hoc per aureum,
Fœdus sit perpetuum,
Cœli vindicem jurate.

CANTICUM EQUITUM.

(E Schilleri *Wallensteins Lager*.)

In equum! in equum! io socii!
In libertatem, in bellum!
In bello vir sui est pretii,
Hic cor expendit duellum;
Hic nemo vice ejus fungitur,

* *Jubilum* non est nimis classicum; sed latinum tamen ea, qua hic accipi volumus, notione, nec facile foret, quod eandem vim habeat, substituere.

* Schilleri *Wahrheit gegen Freund und Feind* ambiguum est. Possis malle *veritas et hostibus*.

Se totus uno hic nititur.
Chorus. Hic nemo etc.

Ex orbe libertas evanuit:
Servos reliquit et reges;
Fraus regnat, astutia deprimit
Ignavos mortalium greges.
Qui mortis tuetur in faciem,
Non liber est vir præter militem.
Chorus. Qui mortis etc.

Ærumnas humanas vento dat;
Nil curæ, nil habet timoris;
In fatum securus equitat,
Nunc adsit aut crastinis horis:
Nos dulcis, venit si crastinum,
Sorbeamus jam vitæ quod reliquum.
Chorus. Nos dulcis etc.

Festiva cadit e nubibus
Ei sors, non ullo labore:
Fodit humum mercenarius,
Hic gazam speraverat fore:
Rimatur et fodit, dum spiritus it,
Fodit, lectum sibi dum foderit.
Chorus. Rimatur et etc.

Caballo eques in rapido
Venit hospes formidatus:
Micant lampades in palatio;
Venit nuptiis non vocatus:
Nec procus est diu, nec aureum
Fert, florem rapiens, pretium.
Chorus. Nec procus etc.

Quid plorat, quid se macerat?
Sine puppa, sine vagantem:
Non fixa in terris sede stat,
Fides nec stat in amantem;
Fors illum præpes abripit,
Cor suum nusquam reliquerit.
Chorus. Fors etc.

Nunc ensis mundus sub ictibus:
Beatos o ense valentes!
Io, milites, vigeat animus!
Vos mundi, vos rerum potentes.
Stet firmum, sublime stet solium,
Generosi fit pugilis spolium.
Chorus. Stet firmum etc.

Quare, eia, sonipedem, pectora
Levantes, in arma frænate!
Juventus fremit; io, fervida,
Macte, vita dum spumat, ovate!
Ac nisi ponatis in medio,
Nec vita viceritis præmio.
Chorus. Ac nisi etc.

VIRGO DE PLAGA PEREGRINA.

(Schilleri *das Mædchen aus der Fremde.*)

In valle, vere sub recente,
Pastores virgo pauperes,
Alauda primum cum strepente,
Visebat, mira species.

Non erat illa valle nata;
Nec quisquam, unde, noverat,
Nec, quo se ferret, occultata,
Simul ut vale dixerat.

Præsente virgine beati,
Laxabant omnes pectora,
At salva celsæ gravitati
Manebat reverentia.

Ferebat fructus atque flores,
Quos plaga nutrit mollior,
Alius solis quos calores,
Natura quos felicior;

Cunctosque hospites donabat,
Hic fructus, ille virginis
In tecta flores reportabat,
Cum sene curvo juvenis.

Nemo non gratus; accedebat
Sed ubi par amantium,
E donis optimum legebat,
E floribus pulcherrimum.

ITER NOCTU.

(Lud. Uhland *Nachtreise.*)

In arvum equito piceum,
Non lunæ fax, nec siderum
Micat, bruma fremente.
Hac sæpe meabam, aureis
Ridente sole radiis,
Tepente aura querente.
Ad nigrum equito hortulum,
Dant rami arentes gemitum,
Frondes cadunt marcentes.
Cum amore hora rosea,
Amoris quum sunt omnia,
Ibamus hac frequentes.
Extinctus solis radius,
Flos marcet rosis omnibus,
Amor sepulchro datus.
In arvum piceum equito
Sine face, cauris pallio
Sub asperis velatus.

CANTUS CYGNEUS.

(Ad Bürgeri *Schwanenlied.*)

Doloris ut sum totus!
  Cor ægrum ut ingemit!
Non somnus me, non potus,
  Non cibus reficit.
Quidquid florebat, jacet,
  Quod lætum, mœreo,
Mors, amor mi, nunc placet;
  Hoc cygnus recino.

Liquore tu medenti
  Sis plenum poculum;
Haurire sitienti,
  Heu, non das integrum!
Cui dulcis inest tantum,
  Tam dulci dulcius;
Bibam sed, inest quantum,
  Suspirem amplius.

Ardoris, da, liquescam
  Sic nulla satie,
Da, tuo contabescam
  Dolens in pectore.
Tuo dulcem mortem ore,
  Cor dulce, combibam,
Amantis unum angore
  Hoc solvet animam.

EQUES TOGGENBURG.

(Schilleri *Ritter Toggenburg*, *Ballade.*)

Fidum, eques, cor amorem
  Hoc sororis dat;
Nolis alium, dolorem
  Mihi ne adferat.
Te venire, te cedentem
  Placidum videam;
Non intelligo silentem
  Tuam lacrymam.

Audiit, mutusque gemit,
  Corque rosus it,
Ulnis cara membra premit,
  Equum insilit.
Sanctum trossulos vocavit
  Terra suicica
Ad sepulchrum, decoravit
  Cruce pectora.

Facta fortia hic virorum
  Gerit brachium,
Crista fluitat conorum
  Globis hostium.
Toggenburgi conterretur
  Turca nomine,
Sed mœrente nil medetur
  Vulnus pectore.

Annum fert, nec tolerare
  Ultra potuit,
Nec quietem impetrare,
  Castra deserit.
Joppes ora videt navis
  Vela turgida,
Terram petit, ubi suavis
  Spirat anima.

Crucis ad castelli sonat
  Miles januam,
Qui recludit, eheu, tonat
  Vocem horridam:
Quam requiris, sumto velo,
  Christum prætulit,
Lux hesterna sponsam cœlo
  Festa tradidit. *

En, avorum de castello
  Exit ultimum;
Arma linquit, equum bello
  Linquit socium.
Toggenburgo de saxoso
  Nulli notus it,
Pulchra membra nam setoso
  Panno vestiit.

Ecce, condit se, nigrarum
  Qua cœnobium
Stat sub umbris tiliarum,
  In tugurium.
Mane solus hic sedebat,
  Solus, pallida
Nox dum redit; spes nitebat
  Voltu tacita.

Suspicit cœnobium, horis
  Longis suspicit
In fenestram sui amoris,
  Donec striduit,
Dum amanda se monstravit,
  Cara imago dum
Vallem placide lustravit,
  Os angelicum.

---

* En insignem Schilleri strophen:

Und an ihres Schlosses Pforte
  Klopft der Pilger an,
Ach! und mit dem Donnerworte
  Wird sie aufgethan:
Die ihr suchet, trægt den Schleier,
  Ist des Himmels Braut,
Gestern war des Tages Feier,
  Der sie Gott getraut.

Tum se gaudens, se solatus
  Tum quieti dat,
Mane, tacitum lætatus,
  Quia redeat.
Questum premens et dolorem,
  Talis suspicit
Dies annosque, stridorem
  Donec audiit,

Dum amanda se monstravit,
  Cara imago dum
Vallem placide lustravit,
  Os angelicum.
Mane quodam sic sedebat
  Funus: rigidis
In fenestram tuens pallebat
  Mitis oculis.

FESTUM VICTORIÆ (1)

(Schilleri *das Siegesfest.*)

Alta Pergama jacebant
Inter Trojæ rudera;
Celsis navibus sedebant,
Ebrii victoria,
Graji, spolium vehentes,
Helles a littoribus
Pulchram lætis repetentes
Græciam adfectibus.
  Voce festa concinamus,
  Solum nam in patrium
  Versa prora, gremium
  Nam in laris remeamus.

Pallidæ sed passo stabant
Crine longæ series,
Gemebundæ verberabant
Mœstum pectus Troades.
Illæ gaudio frementes
Inter miscent næniam,
Sua fata congementes
Et jacentem patriam.
  Vale, tellus adamata,
  Vale, dulcis: dominum
  Sequimur nos exterum:
  O functorum sors beata!

Magnis, ecce, dis libavit
Calchas, ardet hostia,
Urbes, vocat, quæ fundavit
Quæque sternit, Pallada,
Et Neptunum, amplexantem
Vasto terras gurgite,
Et pavores jaculantem
Quassa Jovem ægide.
  Debellatum, superata
  Urbs est ingens, temporum
  Post fatale spatium
  Lucta gravis perpetrata.

Populorum recensebat
Dux Atrides agmina,
Lætus olim quos ducebat
Ad Scamandri flumina,
Et doloris atra nubes
Regis texit oculos,
Ingens est secuta pubes,
Paucos agit reliquos.
  Ergo læti concinatis,
  Revocat quos patria,
  Vita queis est fervida;
  Pauci namque remeatis.

Patria non quisque, caram
Quum videbit, gaudeat,
Sunt, paternam quos ad aram
Forte cædes maneat.
Quondam, Mavors cui parcebat,
Dextra cadit hospitis,
Ithacus voltu monebat
Mentis pleno Palladis.
  Felix, casta cui servatur
  Fide conjux larium;
  Mulier nam varium,
  Dolis mala delectatur.

Præda sed nova lætatus,
Agamemnon avidis
Stringit ulnis, ter beatus,
blandi membra corporis.
Ausis prava pereundum,
Ultor urget facinus;
Æquus nam de cœlo mundum
Ordinat Saturnius.
  Mala malis expiavit
  Stirps profana Paridis,
  Jupiter jus hospitis,
  Juste librans, vindicavit. (1)

Fas, felicem prædicare,
Superos, Oileo
Natus clamat, gubernare
Celso justos solio.

---

(1) Je ne finirais point, si je voulais parler de toutes les poésies de Schiller qui renferment des pensées et des beautés nouvelles. Il a fait sur le départ des Grecs, après la prise de Troie, un hymne qu'on pourrait croire d'un poète d'alors; tant la couleur du temps y est fidèlement observée. Mme de Staël; *de l'Allemagne*, vol. I.

(1) De locutione cf. Prud. hymn. in laud. mart. Cæsaraug. — Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram.

Lege nulla cœca regit
Dona forsque dissipat,
Nam Patroclum terra tegit,
At Thersites remeat.
Urna quum Fortunæ fata
Cœca spargat temere,
Exultemus hodie,
Vitæ sors quibus jactata.
Nempe malos Mars tuetur:
Frater, arx pugnantibus,
Usque tua celebretur
Fama Grajum cœtibus.
Classe Danais ardente,
Salus tuum brachium,
Sed versuta vafro mente
Pulchrum cessit præmium.
Sancte, pace jam gaudeto!
Non te bellum rapuit,
Ajax sibi cecidit:
Fortes, heu, dat ira leto!

Vina magno nunc parenti
Libat Neoptolemus:
Omnes supra tu fulgenti,
Pater, sorti genitus.
Inter cuncta vitæ bona
Gloria pulcherrimum;
Corpus reddit terræ dona,
Nomen est perpetuum.
Tua sæclum per diffusa
Laus, invicte, fulserit;
Nam terrena transfugit,
Dat perennem vitam musa.

Hymnus victum quum honore
Fraudans virum sileat,
Hector meo vivet ore,
Diomedes prædicat,
Lares sanctos dum tuetur,
Quem dejecit fortior,
Palma victor decoretur,
Causa victo pulchrior;
Murus ut, qui fortiore,
Larem tutans, jacuit,
Nec in hostis interit
Ejus unquam nomen ore.

Nestor nunc, cui potanti
Terna fluunt sæcula,
Fronde cinctum dans ploranti,
Hauri, inquit, Hecuba,
Bromii potum, levamen
Mœstum pacans animum,
Mira dona, medicamen
Cordis hauri vulnerum.
Hauri poculum, levamen
Mœstum pacans animum,
Mira dona, vulnerum
Cordis hauri medicamen (1).

Quin, perculsa superorum
Ira sæva, Tantalis
Sensum domuit dolorum,
Grana gustans Cereris.
Namque vitæ fons in oris
Donec spumat margine,
Propulsata vis doloris,
Lethes mersa gurgite.
Nam vitalis spuma roris
Donec tingit labia,
Pulsa, velut somnia,
Mersa Lethe vis doloris.

Ecce, deo suo vates
Sentiens cor turgidum,
Arduas stans super rates
Fumos spectat, Ilium.
Fumus est, quod terra crescit,
Ceu vaporis vortices,
Quidquid magnum fert, vanescit;
Soli perstant cœlites.
Navim cura comitatur,
Cumque tendit equite,
Gaudeamus hodie;
Quia nobis cras non datur.

---

(1) Vocis *balsamum* in archetypo singularis est suavitas, sed nescio, an apud bonæ ætatis poetas latinos in simili re occurrat. Qui servatum velit, stropham sic legat:

— Bacchi donum, recreato
Luctu torpens animum,
Mira dona, vulnerato
Hauri cordi balsamum.
Hauri scyphum, recreato
Luctu torpens animum,
Mira dona, balsamum
Hauri cordi vulnerato.

En stropham archetypi:

Nestor jetzt, der alte Zecher,
Der drey Menschenalter sah,
Reicht den laubumkrænzten Becher
Der bethrænten Hecuba.
Trink ihn aus den Trank der Labe,
Und vergiss den grossen Schmerz,
Wundervoll ist Bacchus Gabe,
Balsam für's zerrisne Herz.
Trink ihn aus den Trank der Labe,
Und vergiss den grossen Schmerz,
Balsam für's zerrisne Herz,
Wundervoll ist Bacchus Gabe.

CASSANDRA (1).

(Schilleri *Cassandra.*)

Troja lætabatur ante
Quam ruebant Pergama;
Hymnis, aurea sonante
Lyra, fremunt atria.
Lacrymosis feriatur
Omnis dextra prœliis, (2)
Pulchra Priami nam datur
Diæ proli Thetidis.

Festis laureis decorum
Agmen agmen sequitur,
Sacras ædes ad deorum,
Ad Thymbræum tenditur.
Vasto vicos per clamore
Volvunt se bacchantium,
Suo solum cum dolore
Cor manebat unicum.

Sola, fugiens frementes,
Mœsta, procul arbitris,
It Cassandra per silentes
Sui lauros numinis.
Penitus sese remotis
Vates umbris abdidit,
Et irata sacerdotis
Humi vittam projicit.

« Cuncta gaudio beantur,
Omne pectus penetrat,
Spe parentes hilarantur,
Decorata soror stat.
Uni mihi fas lugere;
Nec errore mulceor,
Præpes muris imminere
Hisce fatum gemit cor.

Tædam cerno non vibrantem
Hymenæi manibus,
Fumum cerno non rotantem
Festis ab altaribus.
Festa video parari,
Deum jam sed audiit
Mens præsagiens grassari,
Qui lamentis dirimit.

Et infensi sunt querenti,
Mœrens sum ludibrio,
In deserta cum dolenti
Sola trahor animo.
Risum lætis me fecisti,
Me beatos fugere,
Grave mihi tribuisti,
Malum numen, Pythice!

Tui cur projiciebas
Huc oracli nuntiam?
Usque cœcis cur mittebas
Me fatorum præsciam?
Quod non valeo mutare,
Quare mihi cernitur?
Quod fatale, nescit stare,
Nec tremendum vertitur.

Imminente, quid, terrore,
Velum juvat tollere,
Vita solo sub errore,
Mortis instar sapere.
Tolle mœstæ claritatis,
Tolle tetram speciem,
Dirum, tuæ veritatis
Fieri vas hominem.

Redde tenebris assuetæ
Gratam menti nebulam,
Redde cantus ante lætæ
Tua vox quam fueram.
Venientia dedisti,
Auferens præsentia,
Horam dulcem rapuisti,
Tolle dona perfida.

Numquam myrrheos ornavi
Nympha crines floribus,
Tibi postquam me dicavi
Mœstis et altaribus.
Vitæ fluxit ver dolorum,
Fluxit fletus consciæ;
Atra quævis sors meorum
Cor angebat teneræ.

Lætas socias amore,
Læta circum tueor
Cuncta juventutis flore,
Uni mihi dolet cor.
Frustra mihi ver adparet

---

(1) Une autre pièce de Schiller, Cassandre, pourrait plus facilement se traduire en français, quoique le langage poétique y soit d'une grande hardiesse. Cassandre, au moment où la fête des noces de Polyxène avee Achille va commencer, est saisie par le pressentiment des malheurs qui résulteront de cette fête: elle se promène triste et sombre dans les bois d'Apollon, et se plaint de connaître l'avenir qui trouble toutes les jouissances. On voit dans cette ode le mal que fait éprouver à un être mortel la prescience d'un dieu. La douleur de la prophêtesse n'est-elle pas ressentie par tous ceux dont l'esprit est supérieur et le caractere passionné? Schiller a su montrer, sous une forme toute poëtique, une grande idée morale: c'est que le véritable génie, celui du sentiment, est victime de lui-même, quand il ne le serait pas des autres. Il n'y a point d'hymen pour Cassandre, non qu'elle soit insensible, non qu'elle soit dédaignée; mais son âme pénétrante dépasse en peu d'instans et la vie et la mort, et ne se reposera que dans le ciel. Mme de Staël. Quæ an Schillero quid affingant, non inquiro.

(2) Si omissa prœpositio displicet, lege *dextra a:* omissam tueri longum est.

Terram læte decorans;
Vitæ munus quis amaret,
Vitæ fata penetrans?

Felix mihi prædicatur,
Ebria nunc vana spe,
Quæ Grajorum amplexatur
Optimum, Polyxene.
Pectus graditur elata,
Vixque capit gaudium,
Suo, superis æquata,
Somnio ludibrium.

Mihi quoque suspiranti,
Vidi, cor quem flagitat,
Pulchris oculis amanti
Flamma mitis emicat.
Libens sponsum me ducentem
Sequerer in patriam,
Noctis at nos dirimentem
Umbram cerno stygiam.

Mittit, luridum larvarum
Quidquid est, Proserpina,
Ubi vado, stant umbrarum,
Ubi moror, agmina.
Juventutis se miscere
Lætis dira lusibus
Turba gestiunt, gaudere
Mihi nescit animus.

Ferrum cerno fulminare
Et latronis aciem,
Et immotam me spectare
Fas horrendam speciem.
Nefas gradum detorquere,
Noscens, cernens, extero
Comes, ubi fas implere,
Fata cadens impleo. »

Vixque dicta fudit ore;
Audin? templi foribus
Misto resonat fremore;
Jacet divæ filius.
Eris concutit serpentes,
Fugit turba numinum,
Dira murmurant pendentes
Nubes super Ilium,

GRUES IBYCI.

(Schilleri *die Kraniche des Ibycus. Ballade.*)

Ad quadrigarum et cantorum
Certamen, Isthmo quo Grajorum
Unitur læte populus,
Dis ibat carus Ibycus,
Hunc cantu Delius beabat,
Hunc ore dulci carminum,
Plenus deo, levi meabat
Sic pede, linquens Rhegium,

Jam dorso rupis eminenti
Arx Ephyres nitet pergenti,
Picque horrens pineum
Nemus subit Neptunium.
Quies circumdedit, sequuntur
Solæ grues, nigrantia,
Procul tepentes quæ feruntur
Ad austri flatus, agmina.

Avete, mihi sociatæ,
Mari me turbæ comitatæ!
Vos bono cernam omine,
Est votum nobis simile.
Longinqui hospitum petentes
Venimus larem, hospitis
Nos curet ultor venientes,
Defendens ignominiis.

Et alacri gressu tendebat,
Et sylvam mediam tenebat,
Quum, ecce, duo exigua
Premunt latrones semita.
Imbellis pugnæ se paravit,
Mox lassa manus deficit,
Non arcus illa vim curvavit,
Sed fila lyræ feriit.

Et homines deosque implorat,
Heu, surdas frustra sylvas orat!
Ut ut vox late funditur,
Hic vivum nil conspicitur.
« Sic exteris me fas obire
Terris, illacrymabilem,
Latronum manu interire,
Nec cædis esse vindicem! »

Ictuque labens vehemente,
En, penna cominus strepente,
Grues, jam nequit cernere,
Horrendum audit canere.
« Vos cœlo grues quæ volatis,
Humana vox si nulla sit,
Vos cædis reos arguatis! »
Sic fanti lumen riguit.

Reperitur (1) corpus spoliatum,

---

(1) Quum aliter non possem, primum pedem anapæstum, ut infra in *ferit atra*, et alibi etiam, sed raro, feci; idque monendum, ne trochaicus pro iambico rhythmo pronuntietur.

Agnoscit carum mox, fœdatum
Sit licet os vulneribus,
Hospes gemens corinthius:
« Et talem fas me reperire,
Corona crinem pinea
Dum spero vatis me vincire,
Decorum ejus gloria! »

Et omnis audit turba mœsta,
Neptuni veniens ad festa,
Per Græciamque dolor it,
Cor illum quodque perdidit.
Et prytanin petunt furentes,
Densis fremuntque cœtibus,
Latronis sanguinem poscentes,
Piamen vatis manibus.

Sed turba gentium ex undante,
Ludorum pompa convocante,
Ubi, factum nefarium
Quod prodat, est vestigium?
Furesne imbellem percussere,
Clamne inimicus invidens?
Sol unus potis est docere,
Terrestre quidquid intuens.

Fors medios, quos pellit hora,
Proterva fert per Græcos ora,
Vindictæ dumque quæritur,
Facto nefando fruitur.
Fors pede divum insultanti
In templi stetit limine,
Mixtusque it cum fluctuanti
Ad scenam illic agmine.

Ab omni namque confluentes
Exspectant terra Grajum gentes,
Stipatæ per subsellia,
Vix trabes ferunt onera.
Vastum ceu maris dant fremorem,
Globisque circus hominum
In orbem usque latiorem
Ad cœli crescit cærulum.

Quis hospites hic numerabit?
Quis gentes omnes nominabit?
Thesea urbe, Aulide,
Laconia et Phocide,
Ab Asia adsunt minori,
Et insulis ab omnibus,
E cuneis horrendum chori
Melos bibentes auribus,

Gravis, severus, prisco more,
Qui lento gressum fert tenore,
Ex ima scena prodiens,
Theatri orbem ambiens.
Non sic incedunt, quæ gignuntur
In domibus mortalium,
Humanam longe gradiuntur
Mensuram super corporum.

Ferit atra lumbos palla, tædam,
Furvo rubore flammam fœdam,
Manus coruscant osseæ;
Genæ rigescunt pallidæ,
Et blande frontem qua mulcentes
Comæ jactantur hominis,
Venenis alvum hic tumentes
Miscentur angues viperis.

Et orbe horridum volvuntur
Hymnique melos ordiuntur,
Cor lacerans qui penetrat,
Nocentem vinclis illigat.
Illudens cor, confundens mentem,
Cantus sonat Erinnyum,
Sonat ossa urens audientem,
Nec barbiti fert strepitum.

Felix o simplex cor et purus,
Qui culpam fugit admissurus!
Ultrices nos non tremuit,
Vitæque cursum liber it.
Sed grave væ nefas audenti!
Væ cædis menti consciæ!
Nos plantis figimur latenti,
Noctis tremendæ filiæ!

Fuga nec speret se evasurum (1);
Volantes adsumus, et crurum
Nervo tenemus præpetem,
Dum ponat humi verticem.
Sic indefessæ agitamus,
Nec pœnitendo flectimur,
Ad manes usque territamus,
Per manes ipsos sequimur.

Sic choream ducunt canentes,
Quiesque, umbræ ceu silentes,
Consessum gravis occupat,
Numen velut immineat.
Et ambientes prisco more
Theatri lente caveam,
Solemni gressuum tenore,
Per scenam exeunt infimam.

Et omne verum cor pendebat
Fictumque inter, et pavebat,
Vim metuendam venerans,
Clam judicat quæ vigilans,
Investiganti quæ tenebris
Fatorum nodum texuit,

---

(1) Elisionem, nisi coacti, vix usquam admisimus.

Sentitur cordis in latebris,
Sed solis lumen refugit :

Summis quum gradibus repente
Auditur circo vox silente:
« Heus, adspice, Theotimi, (1)
En tibi grues Ibyci ! »
Statimque cœlum obscuratur,
Et gruum, ecce, attonitam
Nigrante agmine densatur
Caterva super caveam.

« Ibyci ! » — Novus it ad nomen cari (2)
Per corda mœror, inque mari
Ut undam unda celerat,
Ad os ab ore properat :
« Ibyci ! quem gemimus, necavit
Quem latro inter nemora !
Quid hoc ? sciens quid hic clamavit ?
Gruum quid volunt agmina ? »

Et fremitus crescit rogantum,
Ut fulmen ferit pavitantum
Præsaga corda : « vindices
Præsentes, ecce, Eumenides !
Dis carus vates vindicatur,
Percussor semet tradidit !
Qui verbum dixit, rapiatur,
Ecui dictum fuerit. »

Ast illum terret, evolasse,
Incassum pectore servasse
Quod vellet : ora pallida
Se produnt culpæ conscia.
Ad judicem rapti trahuntur,
Tribunal ipsa scena fit,
Scelusque fassi puniuntur,
Quos ultrix flamma tetigit.

FRIDOLIN.

(*Schilleri der Gang nach dem Eisenhammer. Ballade.*)

Fridolinus erat famulus,
Pius qui Domini (3)
In metu heræ deditus,
Savernæ comiti.
Hæc lenis bonaque nimium,
Sed ille vel ludibrium
Vexantis æquo cum ardore
Gaudens implesset Dei amore.

A primo mane, vesperæ
Dum precem recitat,
Uni vivebat dominæ,
Nil satis judicat,
Quumque illa : ne sis nimius,
Huic madebat oculus,
Et muneri se reputabat
Deesse, si non cruciabat.

Præ turmis inde famulis
Hunc comes tollere,
A pulchris usque labiis
Laus ejus fluere,
Habebat nec ut famulum,
Nam fecerat cor filium,
Clarumque lumen grata mora
Venusta tuebatur ora.

Venator unde lividus
Robertus arserat,
Et felle niger animus
Diu tumuerat;
Ad facinusque celeris
Dolis apertam comitis,
Sequens venatu revertentem,
Suspicione turbat mentem.

Quis te, comes, felicior ?
Astutus incipit,
Non tremit anceps tibi cor,
Nec sommum refugit,
Nam tibi conjux nobilis,
Pudoris tuta cingulis,
Non speret ausus hanc tentare
Pia de fide triumphare.

At comes, torvus faciem :
Quid, nequam, narras mi ?
Mulierine fiderem,
Ut unda mobili ?
Mox blandis se dat vocibus,
Mea fides stat firmius,
Saverni comitis uxore
Tentantem spero procul fore.

Et alter : recte judicas,
Dignum ludibrio,
Qui tantum audet, reputas,
Natus de famulo,
Votis qui fertur stolida
Ad dominam lascivia.—
Quid ? (ille corde contremente,)
An hæcce narras de vivente ?—

Næ, quod in ore omnibus,

---

(1) Nomini *Timotheus*, ut versum conficeremus, *Theotimius* substituimus ; quod si displicet, lege Timotheu mi.
(2) Duos hic anapæstos coacti admisimus. v. not. ad p. 109.
(3) Sc. dei, des *Herrn*, *du seigneur*.

Latebit dominum :
Sed quia condis sedulus,
Sit sane conditum. —
Mortem vis, scelus? loquere !
(Severus ille et horride)
Quem Cunigunda scis ardere? —
Quem, nisi flavum illum, rere?

Non invenustus specie, —
Dolose subjicit,
Dum comitem per glacie
Ceu mutans ignis it.—
Heu! non videbas, domine,
Hanc unam illum cernere,
Ad mensam temet nil ut tremat,
Ad sedem ejus fixus gemat ?

En versus, flammam improbus
Fatens quos scripserat —
Fatens! — Et nequam, mutuus
Sit amor, supplicat.
Comes quod, lenis mollisque,
Fors miserans celarit te,
Mî, mallem nunc, non excidisset;
Nam, dic, pericli quid fuisset? —

At comes equo, efferus,
In sylvam vertitur,
Altis ubi fornacibus
Ei ferrum coquitur;
Hic diem, noctem, seduli
Alebant ignem famuli :
Scintilla micat, vitro molles
Ceu rupes mutent, spirant folles.

Aqua vim ignis socia
Hic licet cernere,
It unda raptans spumea
Rotam vertigine,
Intus gemit perpetuum,
Tudes pulsant in numerum, (1)
Et ipse ferri rigor victus
Ad duros sese flectit ictus.

Binisque servis innuit,
Et, a me, imperat,
Missus qui primus venerit,
Et sic interrogat :

Quod dominus vult, factumne?
Hunc flammis hisce mergite,
Cinis ut statim fiat, eum
Ne cernat unquam lumen meum.

Hinc gaudium carnificis
Par ferum concipit,
Nam pectus illis hominis
In ferrum riguit.
Et instant acrioribus
Fornacis alvo follibus,
Ad victimamque stant parati,
Diræ se dantes voluptati.

Robertus inde puero
Falsis blanditiis :
Age dum, puer, domino
Statim fac præsto sis.
Hic Fridolino : currito
Ad *malleum* hinc illico,
Ibique famulos rogato,
Factumne e meo sit mandato?

Et ille, vado, retulit,
In viam seque dat,
Sed subito stans, jusserit
Nil illa? reputat.
Et dominæ dum sistit se :
Ad *malleum* (2) mittor, quare, me,
Dic, si quid forte vis jubere,
Quod servo dulce sit implere.

Sacram, Saverna reddidit
Cui sonis lenibus,
Audirem missam, impedit
Sed æger parvulus.
J, fili, mea gratia
Piam tu precem recita,
Memorque supplex peccatorum,
Sis, rogo, memor et meorum,

Gratissimoque munerum
Lætatus abiit,
Pagum sed præceps infimum
Prius quam attigit,
Campanæ ferit solitus
Currentis aurem sonitus,
Solemne quemlibet peccantem
Ad agnum vocans expiantem.

Deum ne vites, obviam,
Inquit, si venerit,
Domumque Dei vacuam
Mutamque subiit.

---

(1) Accentus in secundi pedis initio hic, propter sequentis syllabæ gravitatem, minus displicet. In præcedenti Schilleri versu, *die Werke klappern Nacht und Tag*, pariter sonus rem imitatur. Ego, ut evidentius totius operis sive machinæ strepitum a malleo pulsante distinguerem, prætuli vocem *gemit*, cui respondet germanicum *knarrt*, quatenus utrumque de machinæ moventis crepitu usitatissmum. *Intus*, quum rotæ externæ opponatur, non potest non continuo referri ad vocem *Werke*, (opera, machina,) qua commode uti versus non concedebat.

(2) Malleum hic disyllabum pronuntia : de quo cf., quæ nos in dissertat. de versibus homœoteleutis, § 29.

Messorum namque fervida
Vigebat agris dextera,
Non chori puer, ad altare,
Adest, qui sciat ministrare.

Nec ille diu dubitat,
Et sacristanus fit,
Moram nec illam reputat,
Quam cœlo dederit.
Et stolam atque cingulum
Dat sacerdoti, limpidum
Fontemque et vinum fert mundatis
In vasis missæ consecratis.

Queis gnave factis, reverens
Ad aram manibus
It sacerdoti præferens
Missale, nutibus
Et dexter aram lævusque
Intentus premit poplite,
Ternumque *sanctus* repetenti
Respondet ære tinnienti.

Tum pie quum inclinat se
Sacerdos, digitis,
Ad aram versus, tollitque
Dei corpus hominis,
En, sacristanus persono
Dat signum tintinnabulo,
Et quisque pronus se signabat,
Et ante Christum cor pulsabat.

Sic diligenti peragit
Mentis solertia,
Quæ templi ritus præcipit,
Nam tenet omnia,
Ad populum dum vultibus
Versis sacerdos: *dominus*
Vobiscum, benedictione
Mox clausa missæ actione.

Tum munde quodvis solito
Reponit ordine,
Purgatoque sacrario,
De sancto limine
Ad malleum fert conscitum
Recti serenus animum,
Et pater noster addit, plena
Ut series sit, duodena.

Et fumos ut, et propius
Ut vidit famulos,
Quod jussit, clamat, dominus,
Factumne? rogo vos.
Et tortis labris ostium
Fornacis monstrant flammeum:
Hunc nemo bene jam curabit,
Comes ministros prædicabit

Responsum hoc ad dominum
Gradu fert concito,
Procul videns qui properum
Vix credit oculo.
Infelix, unde agis te? —
A malleo. — Nunquam hodie!
In via ergo es moratus? —
Non longius, quam sum precatus.

At te nam veniens, domine,
Da servo veniam,
Num quid jubere vellet me,
Rogavi dominam.
Missam audirem, dixit mî,
Libenter ego parui,
Pro teque et illa dum oravi,
Rosaria quatuor recitavi.

Attonitus hic subitum
Comes inhorruit:
Dic age, quid ad malleum
Responsum tibi sit. —
Obscurum sensu, domine;
Flammas monstrabant hilare:
Hunc nemo bene jam curabit.
Comes ministros prædicabit.

Et comes, ossa gelidus,
Robertus, obviam
Nusquamne tibi? Serius
In nemus miseram. —
Non rure, non in nemore
Hunc usquam vidi, domine.
Tum comes, statque consternatus:
In cœlo reus judicatus!

Manuque, non sic solitus,
Servum ad insciam
Uxorem ducit placidus,
Perculsus animam:
Carus tibi, non purus sic
Est angelus, sit puer hic:
Nos malo lusi consultori,
Cum hoc Deus et cœli chori.

CAMPANA. (*)

Vivos voco, mortuos plango, fulgura frango.

Coctilis, muro firmata,
Forma stat in fovea:
Pueri, campanæ nata

(*) Quum Füglistalleri versionem *Campanæ* legissem, et ipse, quartus mirandi poematis latinus interpres, quid possem, experiri constitui. Sic operam difficilem sane,

Lux est : maete opera !
Sudor ferveat,
Fronte defluat!
Sic magistrum laus coronet,
Cœlum si benigne donet.

Quod opus serio paratur,
Et sermo decet serius,
Qui fauste dictis comitatur,
Procedit labor lætius.
Nos sedulo nunc cogitemus,
Minuta vis quæ proferat;
Ignaviam nos contemnemus,
Quod condit, quæ non reputat.
Sic homo nempe decoretur,
Et inde mente præditus,
Alto sub corde contempletur
Ut procreata manibus.

Sumite de trunco pini
Ligna, sed siccissima,
Pressa flagret ut camini
Flamma per foramina.
Cupro fervido;
Stannum illico,
Massa lenta, detis lene,
Ut campanæ fluat bene.

Imo sub aggeris juvante
Quod igne fingit dextera,
Sublime, turris in sonante
Nos prædicabit camera.
Motura seros posterorum,
Vox nota clanget auribus,
Mœstoque socia dolorum,
Sanctisque templi ritibus;
Ludentis infra sortis hora
Quod pulveris fert filio,
Aena pulsans ciet ora,
Quæ grave sonant populo.

Euge, massæ jam liquatæ;
Bullæ canæ emicant;
Sale cito saturatæ
Alcalino coeant.
Sitque spumeo
Pura mistio,
Ut liquente vox ab ære
Plena clangat et sincere.

Sonore festo nam nascentem
Carum salutat parvulum,
Ad limen vitæ quem gementem
Pacavit somni brachium;
Celante tempus cui beatis
Sinu remiscet nigra fatis;
Sub matre caro ridet hora,
It vitæ blandiens aurora.
Ut telum, transit sæculum.
Cœtum contemnens puellarem,
In mundum puer irruit,
Ferox vagatur orbe, larem
Sub patris hospes rediit,
Ævique fulgidam decore,
Cœlestis instar speciem,
Casto genas sparsam rubore
Coram tuetur virginem.
Cupido gliscens, en, tuenti
Cor tentat ineffabilis,
En, fugiens choro frementi,
Rigans it ora lacrymis.
Trahit pudentem venerata,
Beat salutans tenerum,
It prata per, quærens, amata

---

at minus tamen, quam putaveram, breviore, quam decebat, temporis spatio peregi, novamque versionem, carminibus a. 1822. vulgatis additam, criticorum censuræ subjeci, mancam, sed, si quid sinceris doctisque judicibus credendum, non plane infelicem. Hanc biennio post denuo, qualem nunc, paucis exceptis, vides, eo studio perfectam edidi, ut, meliorem per me fieri posse, merito desperem. Rölleri *Campanæ* versionem legi quidem; sed, paucissimos versus memoria tenens, quum libello carerem, nihil ex ea desumere potui. Füglistalleri autem me vix vocabulo, phrasi utique nulla adjutum esse, comparanti patebit. Scilicet clariss. viri laboris ea est ratio, ut, maximo cupiens, nonnisi paucissima inde depromere potuissem. Nam nec metrum archetypi ubique servavit, et versuum numerum sæpe auxit, quandoque duplicavit, multa sententiæ vertendæ addens, aut, quum brevitati studeret, omittens, prorsus id agens, ut, quod in singulis præcipuum, id certe redderet. Mihi diversa placuit, sed, si quid judico, una ratio, qua ad archetypi præstantiam prope accedere neolatino, et nonnulla fortasse superare etiam concedatur. Itaque et alia præstare conatus sum, et paucissimis locis syllabarum numerum una alterave augens, metrumque vix semel mutans, versuum numerum ubique servavi. Heinei *Campanæ* versio (Hameliæ, 1810) qualis sit, nosque in verbis *anxiam dat Campana næniam* congruere, post meam vulgatam cognovi. Ad quatuor, quas memoravi latinas versibus que homœoteleutis compositas, accessit a J. B. Niethammero (Reutlingen, 1826.) edita; quam an una pluresve secutæ sint, ignoro. Antiquis autem numeris, vix dubito, quin plures prodierint, sed ego unam novi B. G. Fischer, inter ejus *poetarum aliquot germanicorum carmina* (Stuttgardiæ, 1826.) vulgatam; quam Feuerlein, quum ipse nec versus homœoteleutos facere, nec antiqua metra, Fischeri exemplo, miscere vellet, in suam Schilleri lyricorum versionem, Stuttgardiæ a. 1831. editam, recepit. Cæterum, quæ de *campana*, deque ejus interpretibus latinis, aliis in scriptis sat multa dixi, ea hic repetere, ut longum, nolo. In uno (*réflexions sur l'usage du latin moderne, etc.*) gallicæ quoque versionis æmil. Deschamps, quam habes inter ejus *études françaises et étrangères* (Paris, 1828.), censuram suscipere, sed Germanus eo tantum proposito ausus sum, ut, forma sententiisque immane quantum ab archetypo discrepare, omninoque tali opera nihil effici posse ostenderem, unde, quale poema, quamque pulchrum sit *campana*, aliquatenus perspiciatur. Quod ego quum Gallos, linguæ germanicæ ignaros, intelligere nimis vellem, simul, ut amico cuidam gratum facerem, ipse veram poematis, sententiis, forma, et, quantum concedebatur, numeris quoque expressis, translationem tentavi. Verum hocce specimen, ut illo nomine fortasse non plane spernendum, sic gallici carminis suavitate adeo carebat, *filius ut me nataque certantes riderent*: quos ne alii velint imitari, satis habebo, versibus ex illa opera, in notis ad hoc carmen, partis utique *campanæ* formam et rhythmicam rationem exhibere.

Quo niteat, pulcherrimum,
O flamma mitis, spes, amoris
Soles recentis aurei!
In cœli lumen hæret oris;
Cor rore plenum gaudii.
O prima pulchro flamma vere
Æterna possis si vigere!

En, ut tubi jam furvescunt!
Hancce mergo, vitreæ,
Mox fundemus, si nitescunt
Circum virgam crustulæ.
Macte, pueri,
Nunc scrutamini,
Anne mixtum molle duro
Signa fausta det futuro.

Nam dura juncta mollibus,
Severa juncta mitibus
Jucundum generant sonorem:
Æternum, dissonantia,
Hinc cave, jungens pectora,
Ne brevis error det dolorem!
Suave comis flos coronans
Ludit in virgineis,
Clara quum campana sonans
Convocat sponsaliis.
Vitæ ver, heu, terminatur
Festo hoc pulcherrimo,
Blandus error, heu, nudatur,
Rupto velo et cingulo!
Cupido languescit,
Rosæ nec fas,
Dum fœta marcescit,
Satietas.
E lare vir vitæ
In sæva vocatur,
Fervensque conatur,
Seritque creatque,
Captatque raptatque
Audendo, tentando,
Fortunam venando.
En, undique manant uberrima dona,
Beata, en, replent granaria bona,
Et latior domus jam spatiis est.
At intus gubernans
Matrona pudica,
Mater natorum,
Sapiente cura
Sub lare dat jura,
Docetque puellas,
Puerosque coercet,
Et manu citata
It nunquam lassata,
Et geminat mente
Parata prudente,
Et opibus cistas replevit halantes,
Et stamina circum dat fusos sonantes,
Lanæque armario lævi nitorem,
Et niveum lini recondidit florem,
Gaudetque, cum bono si decor nitescit,
Et nunquam quiescit.
Læto sed pater lumine
Florentem copiam domus
Longe lustrat e culmine;
Celsasque pilas postium,
Plenumque mirans horreum,
Et granis tecta curvata,
Et undante culmo sata,
Jactat cum gloria:
Ceu mundi mœnia,
Sortis ludibrio
Securus floreo.
Heu, quis fato vincla nectit?
Quis perenni pacto flectit?
Quis citatum cohibet?

Massa pulchris, ut fundamus,
Fracta suadet dentibus, (*)
Fluere sed ne sinamus
Piis sine precibus.
Pellite (**) embolum!
Serva tegulum,
Deus! Per canalis curva
Fertur undans flamma furva.

Vis ignis alma, domita
Sub hominis custodia;
Quæcunque fingit, procreat,
Hæc dia vis consociat.
At dia fit terribilis,
Erepta vis quum vinculis,
Suoque gressu libera
Naturæ tendit filia.
Væ, laxata quum, pavente
Populo, per oppidum,
Nullo, crescens, resistente,
Vastum fert incendium!
Elementa nam fingente
Manu dolent hominum.
Ubertate
Nubes fluit,
Imbre ruit,
Nube micant horrida
Fulmina.
Audin' turris, audin' gemitum?
Heu, incendium!
Ceu cruore,

(*) Schiller: *schœn gezacket ist der Bruch*. Ego, si peccavi, veniam peto, quam infra in voce *Mantel*. In priore editione male legitur *fractus* pro *fractum*, i. e. fracta massa; sic enim intelligo. Cæterum, qui hic rigidum se censorem præbeat, næ ille id agat, ut ineptum esse sciamus.

(**) Hiatum in hoc carmine rarissime admisi; elisione autem binis modo locis, quum aliter non possem, metrum reddidi.

Nubes ecce rutilas;
Non a solis hoc ardore!
Quæ per plateas
Turba volvitur!
Vapor tollitur!
More turbinis flammarum
Pila crepitans viarum
It per series, aurarum
Æstus ut fornacis ore
Flagrat, ruunt cum fragore
Postis, trabs, fenestræ clangunt,
Matres errant, nati plangunt,
Pecora gemunt,
Rudera premunt.
Quisque salvat, fert, citatur,
Flamma soli nox æquatur;
Per catenas en certantes,
En volantes
Situlas, tubis vibrata,
Unda tendit arcuata;
Surgit venti vis alata,
Flammam quærens ululat,
Fremens illa devorat,
Inque siccas horreorum
Trabes, in strues granorum
Irruens, ceu fugitura
Terræ molem rapiat,
Vasto scandens æstuat,
Quasi cœlum correptura,
Impete!
Sine spe
Homo deum vim miratur,
Opera, stans contemplatur,
Sua ruat ut natura.
Cinis texit
Devastata,
Fœda sævis ventis strata,
Fenestrarum
Ora hiant horrida,
Antra super
Spectant cœli nubila.
Oculos
Fortunarum
Ad suarum
Homo refert tumulos;
Tum lætus it; quidquid flammarum
Vis rapiat, solatium
Dulcissimum liquit migranti;
Carorum, caros numeranti,
En, nullum deest capitum.
Bene forma tenet fusum,
Terra celat creditum;
Artis dabitue, reclusum,
Et laboris præmium?
Si fors luserit?
Forma ruperit?
Forsan, eheu, dum speramus,
Accidit, quod doleamus!

Telluris almæ nos secreto
Hic facta damus manuum,
Dat spem colonus seminum,
Cœli secundum culmo læto
Quæ germinent arbitrium.
Nos, cariora cum mœrore
Condentes terræ gremio,
Speramus, sorte lætiore
Ut floreant e capulo.
Grave mœret,
Anxiam
Dat campana
Næniam.
Lugubris, severa, profecturo,
Mundi scena sonat discessuro;
Eheu, conjugi dilectæ,
Eheu, fidæ sonat matri!
Horrens quam rex inferorum
Patris ulnis, liberorum
Grege raptat tenero,
E florente gremio
Læta quos ab ubere
Mater vidit crescere.
Eheu, blanda vincla domus,
Solvit in perpetuum!
Mater erat nam quæ domus,
Regna colit manium.
Hera fida deest lare,
Et quæ cara vigilet,
Orbis nesciens amare
Alienos imminet.
Dum campana defervescat,
Quisque lassus opera,
Mollis, ales ut, quiescat,
Ludens inter folia.
Sole condito,
Blandus puero
Vespertinus redit sonus,
Nil magistri levat onus.
Longe lætus gradum tecta,
Vastos celerans per saltus,
Fert viator ad dilecta;
Domum balans tendit ovis,
Grexque lævis
Fronte lata venit boum,
Mugientes,
Nota stabula replentes.
Invehens
Nutat plaustrum,
Grave spicis,
Flava dona
Flos corona
Decorat,
Ad choreas metens pubes
Convolat.
Foro, visis cœpit quies,
Flamma sociantis tædæ

Congregavit membra laris,
Urbem porta strepens claudit.
Nox pullata
Velat terram,
Tuto civi quies grata,
Suscitat
Quæ latronis horrens strata,
Legis namque lumen vigilat.
Alma, cœli sancta proles,
Urbium molita moles,
Sponte, lex, qua sibi nata
Læte, facile ligata,
Quæ dé sylvis convocasti,
Ferum fero sociasti,
Hominum casas subisti,
Molle mores docuisti,
Quoque nexu sanctiorem,
Patriæ nectens amorem.
Acres pacto se vigente
Mille manus adjuvant,
Inque motu fervescente
Omnes vires emicant.
Cum magistro puer læti,
Libertatis àtrio,
Sua certant vice, spreti
Fastum rident mutuo.
Civi labor est decori,
In sudore copia,
Regi sceptrum est honori,
Nobis guava dextera.
Pax o alma,
Dulce vinclum,
Mane, mane
Urbe super hac amica!
Non lucescat ille dies,
Belli quo feroces turmæ
Hac quieta valle fremant,
Quo, qui, cœlum
Suave pingens, mitis vesper
Rutilat,
Urbis et pagorum vasta
Flamma fulgens horreat.

Age, domus jam rumpatur,
Suo functa munere,
Cor et oculus pascatur
Ut formosa specie.
Macte malleo!
Rupto pallio, (*)
Macte, forma surgat fracta
Ut campana cœlo facta.

Qui fecit, tempore prudente
Is formam manu fregerit;
Sed flammeo, væ, quum torrente
Æs sæviens eruperit!
Tonitrus cœco cum furore
Perfractum tectum dissipat,
Et orci pestem velut ore
Ejaculando territat,
Vis sine mente qua grassatur,
Imago nulla conformatur;
Gens ipsa vim quum dejicit,
Ferocem major conterit.
Væ, sensim sinus oppidorum
Quum plenus fervet fomitis,
Vindictam ruptis populorum
Quum spirat ira vinculis!
Campana, proh! seditionis
Concussa palmis ululat,
Quæ sacra pacis tantum sonis,
Ad vim ruentes concitat.
Plateæ, fora plena fremunt:
Libertas et æqualitas!
Latronum globus terræ tremunt,
Horrescit armis civitas.
Hyænæ fiunt ululantes,
Et dira jocus fœminis,
Fumans cor hostis exultantes,
Ceu dente carpunt pardalis.
Profana cuncta, quovis fracto
Vinclo pudoris, scelerum,
Cœtu bonorum terrefacto,
Lex una regnat omnium.
Tremendum leo suscitatus,
Horrenda tigris dentibus,
Sed homo mente furiatus
Terrorum terror maximus.
Æternum, væ, qui caliganti
Cœlestem lucis facem dat!
Non lucet illi, sed flammanti
Cum urbe pagos devorat.

Gratiæ benigno cœlo!
Globus, en, ut aureus,
Clarus, lævis exit velo
Nucleus metallinus.
Umbo, ambitus,
Sol ut fulgidus,
Et insigne scutis scitum
Arte prædicat peritum.

Adeste, o,
Adeste choro celebrando,
Campanam sacro dum lustrando:
Concordia nomen gerito.
Sinceram congregans ad unitatem,
Amante nectat corde civitatem.
Et, quo creata nomine,
Functura jam nunc munere,

(*) *Pallium* diximus, quod hic malleo frangendum, eodem jure, quo germani *Mantel*, nisi forte hoc non a similitudine dictum. Quare, si hic peccatum, veniam peto rem ignoranti. Quantus autem in binis strophæ minutis versibus et hic et alibi labor fuerit, expertus intelliget.

Vitæ super terrena tendens,
In cœrulo tentorio,
Tonitribus vicina pendens
Mundoque sit stellifero.
Superna vox sit, ut parentem
Quæ turba laudat siderum,
Claroque brumam post rigentem
Ver orbe ducit floreum.
Perennibus sit consecrata,
Severa labris æreis;
Horamque nuntians citata
Tangatur ala temporis.
Torpensque donet ora fato,
Expers et ipsa sensibus,
Vibrata vitæ consonato,
Quæ plena ludit vicibus.
Et clangor ut sub aure perit,
Quo pulsa magnum reboat,
Nil stare sic, quæ terra gerit,
Sic auras ferre, doceat.

Age, fune nunc librante
Se campana fovea
Plaga tollens in sonante
Ætheri sit socia.
Macte, trahite!
Pendet: tollite!
Lœta nobis signat dato,
Pacem primum resonato. (*)

(*) Eximio Schilleri poemati haud inutile visum hic addere, quæ cum gallica ejus, quam tentavi, translatione typis aliquot abhinc annis tradidi. V. pag. 114.

Observations sur LA CLOCHE *de Schiller et sur la traduction française de ce Poème.*

Les œuvres poétiques de Schiller se composent d'un nombre considérable de drames, et de ce qu'on appèle proprement les poésies de Schiller. C'est un recueil en deux volumes, aussi varié par le sujet que par la forme des poèmes. Il y a des ballades, des romances, des épigrammes, des poèmes didactiques, des élégies et un grand nombre de morceaux lyriques. Tout, dans ce recueil, comme on le pense bien, et même les morceaux les plus importans ne sont pas également intéressans, ni pour des juges compétens en matière de goût, ni pour le vulgaire des lecteurs; mais il n'y eut peut-être jamais des poésies plus généralement lues et admirées que celles dont nous parlons. Les Allemands s'y sont attachés comme à des productions essentiellement nationales: aucun de leurs poètes, sans excepter même Gœthe, n'a parlé avec autant de charme que Schiller, soit à leur coeur, soit à leur imagination; et, chose digne de remarque, ces poésies presqu'exclusivement sérieuses, et en grande partie du genre élevé, ou, si l'on veut, sublime, par les idées et la manière de traiter le sujet, on les dirait populaires, si l'on en jugeait par l'enthousiasme qu'elles produisent dans des personnes d'un esprit et d'un goût peu cultivés. On reconnaîtra ici le privilège du génie: mais mon but n'est pas d'apprécier, sous ce rapport, ni sous aucun autre, l'un des plus grands poètes de tous les temps; je me borne à quelques observations sur la *cloche*. Ce poème fait les délices des Allemands, et sa réputation s'est répandue au loin parmi les peuples de l'Europe. Plusieurs Allemands l'ont traduit en latin, on l'a traduit en anglais et en d'autres langues européennes; enfin il a trouvé des traducteurs chez les Français qui ne dédaignent plus, comme autrefois, la poésie et en général la littérature des Germains. Un poème si cher à la grande nation de son auteur, et attirant à un tel point l'attention des étrangers, ne saurait être une production médiocre. Toutefois je ne partagerais pas le sentiment de ceux qui voudraient trouver tout admirable dans un morceau d'une étendue si considérable. J'avoue, au contraire, que plusieurs poèmes de Schiller, et entre autres l'élégie intitulée *der Spaziergang* (Voy. pag. 6.), me semblent des compositions plus parfaites que la *cloche*, quoiqu'ils ne soient pas également admirés du grand nombre des lecteurs. Je ne puis, du reste, ici justifier mon sentiment, à cet égard, ni entrer dans des détails sur la nature et le mérite d'une composition poétique si extraordinaire sous plusieurs rapports; et, au lieu de louer simplement un poème tant vanté par mes compatriotes; j'aime mieux rapporter l'éloge qu'en a fait madame de Staël (*de l'Allemagne* 2. partie, chap. 13. Voyez la note pour la page 116, col. 2.)

Les paroles de cette femme illustre qui se plait à rendre justice au talent des Allemands, caractérisent assez bien le poème pour l'auteur duquel elle se sentait une profonde vénération. Cependant, pour être vrai, il faut avouer que, dans l'enthousiasme avec lequel elle peint l'effet de la *Cloche*, elle a vu plus qu'il n'y a réellement, et notamment en ce qui concerne l'harmonie imitative. Cette exagération a dû influer sur son opinion touchant l'impossibilité d'une traduction satisfaisante du poème en langue française, impossibilité qui du moins ne me paraît pas suffisamment démontrée par ce qu'en dit Madame de Staël. La meilleure manière de la réfuter serait sans doute de donner la traduction dont elle semble ne pas admettre la possibilité; et c'est ce qu'un poète français, Emile Deschamps, a essayé de faire, si l'on peut appeler traduction ce qui n'est vraiment que la paraphrase d'une partie des pensées de l'original dont d'ailleurs le traducteur ne rend nulle part le rhythme, ni en général la forme métrique si variée et d'un si admirable effet; de sorte que son travail, fût-il même parfait pour l'expression des pensées, ne pourrait donner une juste idée du poème. J'ajouterai que, tout en essayant de réfuter par le fait l'opinion de Madame de Staël, le même traducteur paraît n'avoir pas compris que celle-ci, en ce qu'elle dit de la difficulté d'une traduction française de la *Cloche*, ne parle nullement d'une paraphrase, mais bien d'une copie fidele et des pensées et du rhythme, pour autant du moins que des vers français pourraient rendre celui de l'original. Je présume qu'Emile Deschamps est resté jusqu'aujourd'hui le dernier traducteur de la *Cloche*.

Long-temps avant lui, en 1817, M. Massot, habitant de Créveld, mais français de nation, s'était en quelque sorte piqué de réussir dans une entreprise dont il croyait que le préjugé national des Allemands exagérait la difficulté. Un seul passage, que, dans une note, nous donnons de sa traduction de la *Cloche*, suffira pour justifier ce que nous en avons dit ailleurs, c'est-à-dire qu'elle ressemble assez à une parodie. Une véritable traduction française, qui reproduirait au moins ce qu'il y a de plus essentiel, soit pour l'expression des pensées, soit pour le charme rhythmique, était donc encore à faire; et il me semble que la tâche est aussi digne d'occuper le talent de quelque poète français qu'elle est difficile. Je ne puis, sans devenir trop long, m'expliquer sur les causes de cette grande difficulté, que pourtant je ne juge pas tout-à-fait insurmontable: au surplus, si elle l'était en certains endroits, ce ne serait que dans les plus petits vers de l'original, où l'on pourrait sans beaucoup nuire à l'en

semble de l'harmonie rhythmique, s'écarter légèrement d'une rigueur indispensable dans le reste du poème, si l'on veut parvenir à une traduction digne du suffrage des connaisseurs. Quan à moi-même, j'ai poussé cette rigueur assez loin pour me borner au nombre des vers de l'original que dans trois ou quatre endroits seulement j'ai été forcé d'augmenter d'une ou de plusieurs syllabes; de manière que ma traduction qui d'ailleurs n'omet pas une pensée de l'original, pourrait être satisfaisante, sous le double rapport que je viens d'indiquer, si mes vers étaient harmonieux comme ceux de Schiller, si mes expressions étaient partout claires, faciles et nobles autant que les siennes, si enfin tout était d'une perfection que je serais ridicule d'avoir voulu atteindre, et qu'il serait presque absurde d'attendre d'un Allemand qui, avant de traduire la *Cloche*, n'avait jamais fait cinquante vers français. Aussi n'ai-je pu ni ignorer combien mon travail serait au-dessous de l'admirable original, ni avoir, dans une traduction véritable, quelque mauvaise qu'elle puisse être, d'autre but que celui d'engager quelqu'un, fait pour se charger d'une pareille tâche, à essayer de faire infiniment mieux que moi, pour offrir aux amateurs de la poésie allemande une traduction de la *Cloche* aussi satisfaisante, aussi parfaite, que le génie de la langue et les règles de la versification française permettent de la rendre.

Pour mon but il était essentiel de conserver la mesure, et d'exprimer, autant que possible, le rhythme des vers de Schiller : il n'en était pas de même, quant à des termes techniques, tels que *Schwalch*, *Mantel* et *Bruch*, pour l'expression exacte desquels je ne connaissais pas assez l'opération à laquelle ils se rattachent. Ils sont en très petit nombre, et leur expression par des mots techniques français ne pourrait ajouter beaucoup au mérite d'une bonne traduction, ni en augmenter la difficulté. En revanche, j'ai dû ajouter à celle de quelques passages, où j'ai rendu des vers blancs par des vers rimés, n'osant mettre des vers blancs dans un poème français. Quant au rhythme, il ne suffisait pas, pour exprimer celui de l'original, de donner au vers français le nombre de syllabes du vers allemand; il fallait encore le même rapport entre les longues et les brèves, pour rendre ce que j'appellerais la cadence des mots allemands qui, du reste, est assez bien imitée dans une partie des vers de ma traduction. On la trouvera, par exemple, dans les deux vers, *mais au jours il se découvre* et *en terre nous cachons semence*, dont le premier répond au trochée *wird's auch schon zu Tage kommen*, et le second à l'iambe *dem dunkeln Schoos der heil'gen. Erde*. Mais cette conformité de cadence que le hasard produira rarement, serait pour le traducteur français qui voudrait la produir partout, une difficulté insurmontable, à cause de la différence des deux langues, par rapport au rhythme des mots, différence qu'ici je ne puis suffisamment expliquer. Quant à moi, qui n'ai pas voulu l'impossible, j'ai trouvé des difficultés d'une auture nature assez grandes, pour ne pas espérer de les vaincre sans profiter largement de la licence poétique des inversions, dont je crains même d'avoir abusé quelquefois au point de tomber dans des constructions vicieuses. Tout en cherchant dans l'expression de la pensée, autant que possible, la conformité des locutions et des tournures avec celles de l'original, j'ai dû souvent y renoncer, soit parce qu'elle était incompatible avec l'expression fidèle de la pensée, soit par d'autres raisons; comme dans les vers *pour monter au ciel, de terre la cloche se doit défaire*, que, du reste, je condamne, bien qu'ils expriment l'allusion qui est dans le mot *auferstehen*. Abstraction faite de celle-ci, et admettant le mot *crever*, l'allemand se rendrait exactement par *pour que la cloche se lève, il faut que le moule crève*; mais cette expression me semblait ignoble, comparée à celle de l'original,

J. D. FUSS GRAECA.

ODÆ SAPPHICÆ DUÆ.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Ad Thelandrum.

Μη θεοις ου'δεν νομισῃς, Θελανδρε,
'Εργον 'ανθρωπων ε'νι πραγμασ' ει'ναι,
Μηδε μοχθηρας κατα γησ Φρονησαι
Ου'ρανιωνας.

Ἡδυς Ἑλληνων 'Επικουρος οἱα
Δογματ' ε'ξευρων α'πεφηνε μωρα,
Ἡδονην Γ' ευ'χησι καλεῖν θεαων
Ος Φατο μουνην.

Και χθονος μην Α'υσονιης μεν υἱεις
"Ηνεσαν πολλοι, θυγατηρ 'Αρηος,
Ευ'τε παν Ρωμη, κρατεουσα λαων,
Αισχος ε'γεννα.

Τοισι και κλειτος μεγαλου Γλυκειαν
Ληματος μουσαν προχεων α'οιδος,
Φροντιδος θειας α'τερ 'ως πεφυκ', ε'-
μελπετο, κοσμος.

'Αλλ' ο' γε ζωην στυγεων μακαιραν,
Δαιμονων στηθος καθαρον Φοβοιο
Φασγανῳ τυψας, θανατου βραδειας
"Ελλαχε κη'ρας.

'Αθλιης μνημων συ τυχης, Θελανδρε,
Ευσεβεις μαλλον Φιλεων α'οιδους,
"Ηδιον ζησεις· υ'πο παντα τυφλη
Μη βαλε μοιρα.

Ου'τε πω σκηπτρον Διος ε'ν χερεσσιν
"Ωλετ', ου'τ' αυ'δην τρεσε πω ματαιαν
Δυσσεβων βρυντης· τινα δ' αυ' κιχησατ'
"Αρτιπος α'τη;

Πατριας, ιδ', ω'ς α'πο τηλε γαιας
Πασαν α'ν χωραν ςυγεροι πλανωνται,
'Αγνον οι'ς σφακτου βασιληος η'σχυν'
Αἱμα προσωπον.

'Οψε δ' αρ τυψεν νεμεσις Φονοιο
'Ολβῳ ε'ν δαιην μεγαλῳ γελωντας,
'Αντιτιμωρουσα πολυςενακτον
Αἱσαν α'νακτος.

Μητιδος σημει' α'ριδηλα θειας!
Τις κεν ου' Φαιη; Συγερη' δε μαλλον,
Πασα τον θαυμασσε πεσοντα γαια,
`Τισατ' ε'ριννυς.

'Εθνεων κεινος δαματωρ α'πηνης
Τηλε θνητων ζῃ βαρυθυμος ε'δρων,
Ζῃ γε μην μαρτυς φοβερος θεοισι
Παμβασιλευσιν.

AD CHRISTUM IN CUNIS.

Χριςε, το'ν Φωνη μακαρων προφητων
"Υμνεεν σωζοντα γενος βροτειον,
'Ες σκοτον πρωτης θανατοιο μητρος
'Εμπεσον 'ατῃ.

Φευ! θεου πατρος σε γονην 'ερωτος,
Φευ! σε γαιης τ' ο'υρανιδων τ' α'νακτα
Σχετλιος, χειει νιφαδ' ο'φρ' α'ν α'γραυς
Χειματος 'ωρη.

Οἰκιων ἀγνωτ' ἀπο κοσμος εἰργων,
Παρθενου κολποιο χυθεντ' ἀφ' ἁγνου,
Ἐν βοων αὐλῃ φαος ἡλιοιο
Βλεψαι ἀνωγεν.

Και γαρ ἡνοιξας μεροπων ταπειναις
Οὐρανον ψυχαις, ἐνι και ταπεινοι
Κειμενον χορτῳ σ' ἱλαροις δοναξι
Ποιμενες ἠσαν.

Ὑψι δ' ἀρ φωνη μακαρων φαλαγγος
Ἠχεεν· παντων ὑπερ ἀστρα κυδος
Κοιρανῳ θεῳ ἀεναον κρατουντι,
Γηγενεων τε (1)

Φυλ' ἀν' εἰρηνῃ καθραισι βουλαις! —
Ὀλβον εἰρηνης, ἀγαπην μογουντι
Εἰσαγεις, σκηπτρου σεο, Χριςε, πρωτα
Θεσμια, κοσμῳ.

Ποιμεσιν τ' ἰσως ἁπαλας μαγοις τε
Χειρας ἐκτεινεις, σεο τους φαεινου
Τηλ' ἀπ' ἠωας ἐπ' ἐπαυλιν αἰας
Ἠγαγεν ἀστρον.

Γουνα τοι καμψαντες ἀνακτες ἀμφι
Προς μεν ευχονται φυσεως μεδοντι,
Ἱλεως δε τρισσα γελωντι κουρῳ
Δωρα διδουσιν.

Χριςε — σοι γαρ δωρα φιλ' ἠυ μαγων τε
Ποιμενων τ' ἰσως — χαριεν κ' ἐμειο
Κηρ σεθεν πνειον καθαροιο δεξο
Δωρον ἐρωτος.

Ὡς θανης ζωῃ, γεγονως, ἐμειο,
Χριςε, σωτερ! σην τε ἱκοιμ' ἐς ἀρχην,
Σον τ' ἀναζησας μακαρων ὁμιλῳ
Κυδος ἰδοιμην!

(1) In *Biblioth. vet. patrum* incerti auctoris ternarum stropharum odario hisce similia sic expressa:

Nuncium vobis fero de supernis,
Natus est Christus, dominator orbis,
In Bethleem Judæ, veluti propheta
Dixerat ante.

Hunc canit lætus chorus angelorum,
Stella declarat, veniunt eoi
Principes, dignum celebrare cultum,
Mystica dona.

Thus Deo, myrrham trocleten (?) humando,
Bracteas regi chryseas tulere,
Dum colunt unum, meminere trino
Tres dare dona.

EPIGRAMMATA.

Gœtheo.

Χαιρε νεαις ἐν Γοεθε μεγας μουσαις τε παλαιαις!
Χαιρε καλης πατρας ἀφθιτος ἀγλαϊα!

Gœthei elegiis latine redditis præfixum (1).

Γοεθε, σε μεν κυκνοι πολλ' ᾐνεσαν ἠδε κολοιοι,
Νυν δ' ὁσιον σε μεγαν τυψεν ἀλωπεκιον·
Αλλα βαϊζοντων συ σοφιςων γλωσσῃ ἀτρωτος
Ἀεναον θαλλεις Τευτονιδῃσι χαρις·
Τῃ συν ἐγω κ' ἐθελοιμι μετ' ἐσσομενοισι γενεσθαι,
Βαιον σης τι καλως φθεγγομενος σοφιης.

(1) Hujus epigrammatis sententiam germanice sic expressi:

Gœthe, dich rühmten gar viel wie Schwæn' so schnatternde Gænse;
Doch nun, Grosser, an dir frœmmlend ein Füchslein sich rieb.
Aber so viel Betschwestern sophistische Zungen auch jammern,
Welkt doch nimmer der Kranz, den dir Teutonia wand!

Was Elegeia dir einst in der Roma gesungen, o mœcht' es
Leben in rœmischem Mund! Mœcht' ich so leben mit dir!

Epigrammata latina, partim mea, partim a me latine reddita, parvo utraque numero, in hocce volumine, in üsque sena habes Gœthei, ex illis selecta, quibus, utpote ad antiquam formam compositis, versiculos:

Stehn uns diese weiten Falten
Zu Gesichte, wie den Alten?

Præfixit. Quominus autem hujus me lusus pudeat: ex epigrammatis illis duo a celeberrimo viro, Fr. Jacobs, græce reddita, eademque clarissimi Gœlleri libello μεταφρασεις, *Samml. v. Uebers. ins Griech.*, Kœln, 1825.) inserta vidi, alterum inscriptum *Philomele*, alterum, idque mihi inprimis placens, inscriptum a Gœtheo *Einsamkeit*, a Jacobsio προς νυμφας. Operæ pretium videtur, in summi poetæ epigrammate latinum cum græco interprete, parvum cum magno componere. En ternis linguis expressum.

Einsamkeit.

Die ihr Felsen und Bæume bewohnt, o heilsame Nymphen,
Gebet Jeglichem gern, was er im Stillen begehrt!
Schaffet dem Traurigen Trost, dem Zweifelhaften Belehrung,
Und dem Liebenden gœnnt, dass ihm begegne sein Glück.
Denn euch gaben die Gœtter, was sie den Menchen versagten:
Jeglichem, der euch vertraut, trœstlich und hülflich zu seyn.

Schillero.

Πρωτα μεν Ἕλληνες μουσων κορυφῇσιν ἀοιδοι,
Δευτερα δ' Αὐσονιων 'αθλα φεροιτο γενος·
'Αμφοτερους συ δ' 'υπερ λαμψας, γλυκυ Τευτοσι δωρον,
Σχιλλερε διε, χορων ἠλθες ἀπ' οὐρανιων.

Schlegelis elegiis latine redditis præfixum.

Οὐκ αὐτος τικτειν οἱος τ' ἀγαθον τε καλον τε,
'Ρωμαιων παιδας σους ἐδιδαξα λαλειν·
Ὄφρα κε, σον κλεος 'ως γαιην 'επι 'ηλθεν 'απασην,
'Ως μουσῃ πασιν σῃ μεροπεσσι λαλῃ.

Προς νυμφας.

'Αλσεων και σκοπελων, Νυμφαι καλαι, ἐνναετειραι,
Παντα δοτ' εὐμενεως, 'ων 'αν 'εκαςος 'ερᾳ·
Τῳ μεν ὀδυρομενῳ χαιρειν παλιν, 'ελπιδα δειλῳ,
Τῳ δε φιλουντι φιλης ἀντιασαντα τυχειν·
Ὥπασε γαρ, θεαι, 'υμμι πατηρ, 'ο βροτοις 'απενευσεν,
Εὐκτα πορειν, 'υμιν εἰ τις 'εοι πισυνος.

Solitudo.

Saxa salutiferæ quercus nymphæque colentes,
Clam, faciles, optat quod sibi quisque, date.
Solamen mœstis, dubiis date noscere rectum,
Felix, votorum sit, date, compos amans.
Quemque ope fidentem, solando quemque juvare,
Non homini, vobis sed tribuere dii.

Wolfio epistolam criticam dedicantis.

Οὐολφιε, Τευτονιης κριτικων κλεος, 'αντι παλαιας
Σοι χαριτος κριτικην τηνδ' ἀνεθηκα χαριν.

Romæ, elegiæ, ad Creuzerum missæ, inscriptum.

Κρευζερῳ, ἀςερι λαμπρῳ, ἐνι σκοτῳ οἰκια ναιων
Φουσσιος, 'ην ἐκαμεν, βιβλον ἐδωκε σεβων.

UTRAMQUE AMANTIBUS MUSAM.

Ρωμαιων μεν ὀλωλε παλαι κρατερον γενος αἰχμῃ,
Γλωσση δ' ἀθανατοις σωζεται ἐν σελισιν·
Τῃ καλον ἐςι σοφοις κοσμῳ παραδουναι 'αριςα,
Μουσα νεαις ὁσα κεν δωρα φεροι γενεαις,
Εἰτ' ἰσχησιν ἐνι ψυχαις πνειουσα παλαιων,
Εἰθ' 'οσιαισιν 'ενι ςηθεσι χριςοφιλων.

ROMÆ ÆTERNÆ.

(Auctoris *Antiquitatibus Romanis* præfixum).

'Ρωμη, παις 'Αρεος, λαων μεγαθυμος 'ανασσα,
Και πεισασα νομοις, οὓς ἐδαμασσε βια,
'Υψιςας τ' 'αρετας, δεινους τε τεκουσα τυραννους,
Θαυμα τε γινομενη, θαυμα θανουσα βροτοις!
Σοι μεν θεοι κρατερων τ' ἀνδρων πεπτωκε τροπαια,
'Η δε σ' 'εκρυψ', αὐτη γαια λεγει, τις 'εφυς
Συν μεγαλην μικραισι θανειν σ' 'ην μοιρα, θανουσης
Ἴχνεα δ' 'αθανατος μυρι' 'εσωσε βιος.

J. D. FUSS,

QUÆ AD LATINA SUA COMPOSUIT, CARMINA GERMANICA.

NEMESIS.

Wem hohes Glück, wem blendender Ehre Glanz
Das Herz bethœrt, den warnend vor Feindes Hohn,
Vor schnœdem Fall, schuf Griechenweisheit
Sinnig die ræchende, strenge Gœttinn,

Die Nemesis, der Rad als Symbol sie gab
Und Zaum und Richtscheit. Grad und besonnen sey,
Gebeut ihm diess; nie übertrete,
Mahnt ihn der Zügel, was Maass, was Recht will.

Denk an des Schicksals Wechsel und bittres Spiel,
Des Glückes Untreu! rufet das Rad ihm zu,
Den Uebermuth und Frevel schreckend,
Welchen die Reue, die Schande nachschleicht.

Auf eig'ne Kraft wer trotzend empor sich schwingt,
Ihn liebt die Gottheit nimmer. Der Herrscher sey
Mein Zeuge, der, zu stolzen Wortes
Büssung, in Wældern, nach Art des Wildes,

Wie heil'ge Schrift sagt, lebte. Den Perser trug
Ein rettend Boot durch blutige Fluth des Meers,
An dem sich jüngst sein Kindesunmuth,
Weil's ihm die Brücken zerrissen, ræchte.

Ihm, dessen Fuss zum Kampfe, so rühmt' er sich,
Die Vœlker aufboth, scharrt an Ægyptens Strand
Sein Sclav' ein Grab. — Auch unsern Tagen
Fehlen die Zeugen nicht. Als der Corse,

Berauscht von Glück und Siegen, des Schicksals Stimm
Nachahmend sprach, da sahen wir plœtzlich ihn,
Und Brüder mit ihm und Verwandte,
Denen er Kronen vertheilet, stürzen.

Auf œdem Meerfels ruhn des Gewaltigen
Gebeine! Sein Sohn, weinte, von stillem Gram
Verzehrt, ihm nach; und in die Gruft schon
Sank auch der Jüngling—Gerührt vernahm es

Die Welt—Schon staunt im Orkus den Vater er,
Den grossen an! Oft büsset des Ahnen That
Der Enkel, und Schuldlose fallen
Unter des richtenden Lenkers Ausspruch.

Vertilgend weilt auf Stæmmen der Mæchtigen
Des Ræchers Hand: so waltet des Ew'gen Rath,
Der Herr allein, und unbekümmert,
Wie es sich deute der Sohn des Staubes,

Den er beseelt. Denn, wie unerforschlich, so
Ist er allein auch mæchtig und gross und hehr;
Und seelig nie war, wer des Friedens,
Den er dem Guten gewæhrt, entbehrte.

Vom Pœbel fern, strebt mancher zum Strahlensitz
Des Ruhms hinan; doch alle, wie Cæsar, so
Des Dœrfchens Herr, auf Eines Winken
Stehen und fallen wir Erdenkinder.

IN CORDE, QUO FIDAS, QUÆRE.

Weiser Freund, wozu nach der Wahrheit Trugbild
Haschen? Wird doch nimmer die Welt dir ændern
Frommes Wünschen, nimmer Natur erhabnen
Træumen sich fügen.

Suche nicht in eitlen Systemen, wie die
Menschheit sich entfalte: den ew'gen Kreislauf,

Den sie wandelt, lehrt dich der Welt Geschichte :
Diese nur frage.

Wie nach kurzer Blüthe das Laub verwelket ,
Wie die Kraft des Mannes im Greis erstarret ,
Wann die Sonne scheidet , wie Nacht bedecket,
Wald und Gefilde ;

So beharrt im Kampfe der schwarze Dæmon,
So mit Zeus Sohn ringet der Erdgeborne ,
Weil noch stets der Mutter Berührung neue
Kraft ihm verleihet.

Ohne Feind wie kœnnte der Gute siegen ?
Soll der Streit aufhœren, den selbst der Schœpfer
Wollte, dass die Tugend erschlaffe , nieder
Legend die Waffen ?

Goldne Zeit uns rühmen des Alterthumes
Sænger , goldne Sitten , und Gœtter mischend
Sich den Menschenkindern, ein Leben froher
Einfalt und Liebe.

Aber nie blüht' unter dem Mond ein solches ,
Noch war je glückseelig ein Sohn des Staubes
Bis zum Lebensende : das bess're Loos winkt
Ueber den Sternen.

Was ein Raub der Stunde, des Wunsches kleiner
Seelen acht'es würdig ; des blinden Glückes
Gaben mœge prahlend mit frecher Stirne
Hæufen der Bœse.

Mit der Schande juble verbündet Trug und
Hass zum Sturz des Guten : nach ew'ger Wonne,
Fremd hienieden , sehnt sich die Tugend , nach der
Schœneren Heimath.

Froh des hœchsten Lenkers Beschluss verehrend
Und der Schœpfung nimmer gehobnen Schleier,
Flieht des Zweiflers Frevel sie, flieht der Thorheit
Rügen der Allmacht.

Heilig barg sich irdischem Blick die Wahrheit;
Dicht in Nebel hüllte sie ihren Tempel :
Ihn umirren fruchtlos die Weisen aller
Vœlker und Zeiten :

Keinem noch gelang zu ersphæhn die Gœttinn.
Scheue , wer dem Menschen Verschloss'nes forschet ,
Scheu' der Schulen Schattengebild' und ewig
Grübelndes Hadern.

Lies in reinem Herzen der Gottheit Zeugniss ,
Lies des Lasters nimmer verscheuchte Strafe :
Durch des Lebens Wogen und Klippen sey
Dieses dein Leitstern.

IPSE FRUENS, PULCHRUM SINE DEFINIRE SOPHISTAS.

Was schœn sey , zu lehren bemühten sich fruchtlos die Alten
Lang und viel , seitdem in der schœnheitliebenden Hellas ,
Wie , wenn erschœpft von Fülle der Frucht ausruhet ein Saatfeld,
Vor dem Genie schon herrschte die Kunst in Werken des Geistes.
Und was vergeblich die Alten versucht, in neuerer Welt auch
Hat es die Zunft der Sophisten gelehrt und lehrt es noch heute ,
Kritische Schaaren , von Kant , von Schelling andre geführet,
Oder verbreitend hegelischen Duft , in andern Systemen
Andre mit dir sich windend , Ervin , in erhabenem Nimbus.
Und fürwahr , kœnnt' je die Vernunft uns lœsen das Ræthsel,
Lange genug, so dürfte mit Recht der Verstændige schliessen ,
Lange genug wohl hætten's gelœst , und gænzlich erfüllet
Jene die Pflicht, die nach Jahrhunderten, ohne dem Ziele
Næher zu kommen , noch immer den Grund und das Wesen des Schœnen
Forschend erklæren , als glaubten sie fest , so viele vor ihnen
Hætten sich eitel bemüht. So geschieht's, dass, je længer sie selber
Grübeln , der Wahrheit ferner sie stehn, und, wie sich an Seifen-

Blasen ein Kind, an leeren Systemen so jene sich weiden.
Dass dich jedoch nicht wundre der Kritiker hohes Vertrauen,
Musst du bedenken, wie nichts vor dem alldurchdringenden Scharfsinn
Sich zu bergen vermag, kein Punkt im Kreise der Dinge,
Noch in dem einzigen Wesen, das alles erzeugt und regieret.
Diesem allein ja, verkünden sie keck, entspringet das Schœne,
Und, indem gar gross sie sich thun mit Sprüchen der Alten,
Pflegen sie uns zur Figur, zum Gedanken des gœttlichen Geistes,
Oder zum Kinde das Schœne, zum Strom aus der Gottheit zu machen.
Auch wær's eben nicht schwer, was Solches bedeute, zu fassen,
Noch zuwider dem schlichten Verstand; wenn nur nicht so dicke
Bænde mit Tand und Wind uns die Kritiker fülleten, wenn nicht
Ins Unermessliche das in Weites und Breites sie zœgen,
Was, sobald sich die Gründe bemüht zu entwickeln der Scharfsinn,
Flieht in finstere Nacht vor des Grübelers Blicken sich hüllend,
So dass, je længer er forscht, in tief're Verwirrung er sinket,
Wæhrend in wenigen Worten man kœnnt' uns sagen das Wahre,
Ohne gesunde Vernunft und reines Gefühl zu empœren.
Wir indess, weil's einmal doch so die Sophisten beschlossen,
Lassen das Schœne nur Eins mit dem Heiligen seyn und dem Guten,
Lassen den Dichter, den wahren, mit diesen sich innig verschmelzen;
Und was dazu sinnloses Geschwætz, hohlklingende Worte,
Tragen herum im kranken Gehirn æsthetische Schwærmer.
Mœgen das Schœne sie immer im Nebelpallaste verehren,
Schreckendes Dunkel umher ausbreiten und stach'liges Dickicht;
Wir indessen geniessen es selbst, und, lesend das Hœchste,
Was das Genie zu verschiedener Zeit, das beglückte, geboren,
Bilden wir Geist und bilden Gefühl, das Natur uns gegeben.
Nie, wo's unsrer Empfinding erscheinet, das Schœne verkennend,
Fliehen wir jeden, den irgend ihm anzudichten gelüstet,
Was nicht schlichte Vernunft und gebildeten Sinnes Erfahrung
Lehren vereint. Denn wahrlich der Weg zum richtigen Urtheil
Ist uns dieser allein, und mit Recht wirst Vieles du loben,
Wandelnd auf ihm, was Mænner bemerkt scharfsinnig und weise;
Die, nicht suchend, woher es so sey, selbst Schœnes geschaffen,
Sondern dadurch, dass alles sie wahr und kræftig gestaltet,
Schildernd Natur und Gemüth, in glænzender Fülle des Ausdrucks
Jetzt und erhabenem Flug, jetzt tief mit schmuckloser Einfalt
Rührend das Herz. Wohl darf ich Horaz hier rühmen, auf dessen
Lippen die Grazie wohnt; mag ernstem Gesang er die Saiten,
Oder sie stimmen dem Scherz, mag Scheinbar die Kunst er vergessend,
Ordnen den rhythmischen Gang zu schuldlos neckender Laune.
Und wer hætte sie je die nimmer verblühende Anmuth
Innig empfunden, und nicht auf immer geliebt ihn den weisen,
Sinnigen Dichter, den Freund, den vertrauten Gefæhrten des Lebens?
Und, damit Umwege sofort ich meidend gelange,
Wohin ich wollt', in jenem Genuss stets daurender Liebe
Siehst du vor Allem das Schœne bewæhrt; ja, scheu'ten wir minder
Nur mit Worten zu spielen, nicht schœn dann mœchten wir nennen,
Sondern vielmehr bald zierlich und fein, bald zart und gefællig,
Bald anmuthig vielmehr, bald nenn'ten wir witzig und launig,
Was einmal, was œfter wohl gar mit Vergnügen wir læsen,
Wenn's am Ende dennoch nur wenig gefiele. Die wahrheit

Kœnnt' überzeugender nichts, als selbst die Natur, dir beweisen,
Die, unzæhlige Formen in ewiger Schœnheit entfaltend,
Was mit mæchtiger Hand, was sinnvoll bildet die Mutter,
Sey's grossartige Szene mit schauerlich reitzenden Massen,
Oder ein zarteres Bild in zaubrischer Mischung der Farben,
Nie wird so sich laben an ihr, wen die grosse, die süsse
Rühret, das nicht sie von Neuem das Herz ihm entzückend ergreife.
Schau zum Teppich die Blumen mit üppigem Grase verwoben,
Oder wie schattiges Grün mit des Lenzes Beginnen sich lieblich
Über Gebirg ausbreitet und Thal; durch moosige Rinne,
Schau, wie einsam rieselt der Bach mit traulichem Klagen.
Schau um tobende Kluft des Gestads sich thürmende Wogen,
Oder den Scheitel in schwarzes Gewœlk einhüllende Felsen.
Kehrst du auch wieder und wieder zurück zu æhnlichen Szenen,
Immer erneut sich die Lust, von keiner Betrachtung gesættigt.
So auch bleibet lebendig der Reitz in Formen des Schœnen,
Die, der Natur nachahmend, die Kunst, die begeisterte, schaffet;
Immer entzücken sie so des Betrachtenden Sinn und Gemüthe.
Siehest du nicht, wo mit Kunst sich Genie das gewaltige paaret,
Wie dich Gesænge, wie Rede mit freierem Strome des Rhythmus,
Wie du sie længer betrachtest, so mehr und mehr dich entzücken,
Weil nicht Ohr nicht zartes Gefühl Vollkomm'neres kœnnte,
Noch sich wünschen die strenge Vernunft. Doch vor allen bewundern
Jene wir hier, die, Rühren zum Ziel und Ergœtzen vereinend,
Durch nichts mehr als die Kunst, als die Wirkung des Rhythmus dich anziehn,
Immer mit lieblichem Ton, und lebendigem Glanze der Farben
Ihn zu verbinden erfreut; sey's, dass in hoher Begeistrung
Wundergestalten hervor sich drængen aus reichem Gemüthe;
Sey's, dass Anmuth Kleinem sie geben und tiefe Bedeutung,
Bald durch spielenden Ernst, bald reitzend durch Fülle des Witzes.
Siehest du nicht, wie Sinn und Gemüth, an Stellen verweilend,
Nimmer sich sættigen kœnnen, in zaubrischer Schœnheit Betrachtung,
Wie da Jegliches lebt und in eigenem Reitz sich gestaltet.
So ist des Ausdrucks Kraft mit des Rhythmus Zauber im grossen
Sænger der Roma vereint: schau, wie sich hebenden Sturmes
Zeichen ihm giebt die Natur, die bewegte, mit eigenem Munde;
Wie sie verkündet die Schau'r, wie Zeus aus finsteren Wolken
Sendet den flammenden Pfeil, dass bebet die Erd', und Entsetzen
Fasset den Menschen, dass zagend er steht und gebeuget dem Donn'rer.
Schau umher, wie zahme zugleich und Thiere des Waldes
Græssliche Seuche vertilgt, wie der Stier hinsinkend am Pfluge
Stœhnt zuletzt, und der Pflüger betrübt vom traurigen Bruder
Trennt den entseelten, und geht. Was soll ich zunæchst dir erwæhnen?
Weidende Heerden zerstreut durch Libyens grenzlose Wüsten,
Oder die Strenge des Winters in œden Gefilden des Nordpols,
Wo durch Nebel und schneiend Gewœlk nie blicket die Sonne,
Weil sich Seeen verwandeln in Eis, und in Hœhlen der Scythe
Müssig die Næchte bei saurem Getrænk sich freuend durchwachet;
Oder die glühende Liebe, die Wuth der verlassenen Dido;
Wie sie verzweifelnd dem Tode sich weiht, und, ihr Schicksal beklagend,
Sich durchbohret die Brust, driemal sich hebet und driemal
Sinkt, und den Blick zum Himmel, den irrenden wendet, und seufzet.
Dichter nicht minder sich zeiget Virgil, wo kurz und doch mahlend

Vieles er eilig berührt; wie wenn im Tempel er schildert
Manches aus Iliums Krieg, Heerführer und Schlachten, und Trojas
Frau'n mit gelœsetem Haar zur Pallas der zürnenden flehend;
Oder die Kunst Vulkans auf dem Schild, Roms Gründung des grossen,
Religion und Sitten der Stadt, und Sabinische Mædchen geraubet,
Und Porsenas Drohn, und Cocles, und die gefang'ne
Clælia, schwimmend zurück durch die Tiber, oder die Schatten
Einst mit anderem Leben verwechslend Elysiums Felder,
Herrscher auf Romulus Throne, gewaltige Seelen, des Brutus
Ræchende Beile, des Vaters, und Fabier und Scipionen,
Libyens Graus, von Westen den Schwæher, von Osten den Eidam,
Führend die Vœlker um Weltherrschaft zum entscheidenden Kampfe.
Sich nun auch, wie Grosses erzæhlt der begeisterte Sænger,
wann darstellende Fülle er liebt in jeglichem Theile,
wie sich alles lebendig bewegt, wie kræftig die Farben;
wie dennoch hier nirgend zu viel, und Müssiges strenge
Nirgend er duldet, und weilend noch eilt. Wann Aktiums Schlacht er
Singet, der Kœnigin Flucht, und Cæsars Triumph, wie erhaben
Strœmt und glænzend die Rede, wie tritt dem erstaunenden Blicke
Jedes lebendig und kræftig hervor in rascher Bewegung!
was mit Genie nachahmende Kunst, was im Bunde vermœgen
Hoher Geschmack mit regem Gefühl, mit tiefem Gemüthe,
Trefflicher lehr'te kein Sænger dich wohl, als jener, den heute,
Kritische Knaben gar oft, wenn gleich nicht lesend, verachten;
Denn statt Kunde genügt, was im Kopf, was in Heften sie tragen,
Eitles Kathedergeschwætz. Jedoch, wenn liebend ich rühme
Maros Kunst und Genie und Sprach' und Zauber des Rhythmus,
Schætz'ich darum nicht minder, was andere Dichter der Vorwelt
Herrliches sangen in Hellas und Rom, noch beschrænkte der Alten
Ewiger Werth mir jemals der neueren Muse Bewundrung.
Drum, wenn hoch mich entzückt Pindars siegkrœnende Lyra,
Weil aus Chirons Hœhle zurück ich den Jüngling betrachte,
Und, die ihm folgen, gelockt von süsser Begierde des Ruhmes,
weit zum goldenen Fliesse, die Schaar hochherziger Helden,
Rührt mich Dante's Francesca darum nicht minder, erzæhlend,
wie sich entzündet die Flamme der Lieb', und wie sie dem Kusse
Hin sich, die zarte, gegeben; noch rühret mich minder die Gœttinn,
Die, nicht achtend auf Klagen, nicht unseres Lobes bedürftig,
Seelig in sich, eilt frœhlich umher mit rollender Kugel,
Hebend in ewigem wechsel und stürzend der Sterblichen Dinge.
Aber wo zieht es mich hin im zaubrischen Haine des Schœnen,
weil aus aonischem Quell mit berauschender Lust ich mich labe?
wie kœnnt' alles vereinen ich hier in enger Begrenzung,
was in den Alten, was schœnes ich fand im Gesange der Neuern?
Hætt' ich, Muse, begeistert von dir, diess Ziel mir gesetzet,
wichtiger wær' kein Theil mir des Lieds, und keiner mir süsser,
Als sie betrachten die Dichter, die grossen, germanischen Stammes,
welchen voran fern glænzen und hehr zwei Sterne der Vœlker.
Aber wer gæbe mir Kraft, wer glühende Worte, den Sænger
würdig zu preisen, den hohen, den gœttlichen? Oder wie wagt'ich,
Gœthe, zu schildern die Reitze, zu schildern die Wundergebilde
Deines Genies, das gleich der Natur mit tausend Gestalten
wechselnd entzückt, im Kleinen auch gross? Gnug, o, dass, dem Vater—
Lande getreu, in ausonischer Sprach ich eure Gedichte

Sang, und in eigenem Rhythmus. Vergebt, wenn Schweres mit schwacher
Kraft ich wagte, vergebt der beselenden Liebe für deutsche
Zung' und Volk, sie machte mir Muth. Nach den werken der Alten
Lernt' in keinen ich mehr; durchdrang mich in keinen Gesængen
Inniger, als in unsern, die Fülle bezaubernder Schœnheit:
Keine gewaltiger zœgen dich än durch erhabne Ideen,
Und genialische Kraft, in keinen bewegten dich tiefer
Klagen verwundeter Brust und Sehnsucht liebenden Herzens.
Und so fændest auch nirgend du mehr, was tief und lebendig
Ein dem Gedæchtniss sich prægt, was immer mit süssen Gefühlen
Kehret zurück: das nannten wir ja Kennzeichen des Schœnen;
Setzend hinzu, dass, scheuten wir nicht mit Worten zu spielen,
Gern mit anderem Namen und treffender nennen wir mœchten,
was nicht Jenes vereint, wodurch in ewiger Jugend
Blühen wir sehn der Natur unendliche Formen des Schœnen.
Doch mit Bedeutung der Wœrter, so wie mit eigenem Gute,
Schalten, es blieb stets eitles Bemühn; obgleich es Sophistea
Oft so beliebt. Die Verschiedenheit selbst ist darum nicht minder
In der Erfahrung bewæhrt. Denn wer mag læugnen, dass trefflich
Vieles uns scheint, ja, dass hoch uns Mancher gerühmet, was dennoch
Wenig gefællt, wenn næher und oft wir dasselbe betrachten;
So, dass nun, wie betrogen vom nichtigen Scheine, der Rühmer
Selber sein Urtheil tadelt? Und sæhst du nicht auch wie in ganzen
Vœlkern die Wahrheit deutlich sich zeigt, wenn jetzt sie verachten,
Wenn für nichtig sie halten mit Recht, was einst wie mit einem
Munde sie priesen: gestændest du nicht, dem Bewunderten fehle
Jenes, was eigentlich schœn, was Wesen wir nannten der Schœnheit,
Das, wodurch uns Jene noch blühn aus entferneten Zeiten,
Blühen Homer, Virgil und Horaz, zugleich mit den Dichtern
Neuerer Welt, die richtend die Zeit der Bewunderung weihte?
Und nicht nur von Beredsamkeit gilt, nicht gilt von Apollos
Gaben allein, was wir sagten. Von æhnlichem zauber ergriffen
Schaust du, was bauend die Kunst, und was mit dem Meissel sie Schœnes,
Oder mit Farben, mit Leben Gemüth ausdrückend, gebildet.
was einst Griechen und Rœmer gebaut, wer hort'es nicht rühmen,
Tempel und Curien, Bæder, Theater und Circus und Forum,
Deren Ruinen noch heute verehrt anstaunend der Kunstfreund,
Selbst in Trümmern bewundernd Gesetz und Formen des Schœnen.
Doch ehrwürdig nicht minder zum Æther in Riesengestalten
Schwingt sich gothische Kunst, an des Ewigen ernste Betrachtung
Mahnend, ein rührendes Bild nach Gott sich sehnenden Herzens.
Manche jedoch einseitig hier rügten barbarisches Streben;
Denn sie bedachten es nicht, dass verschiedene Formen die neue
Religion dem verschied'nen Gefühl entsprechend verlange.
Lebendes Erz und Marmor, der Anmuth Wunder, wie Myron
wie sie schuf Polyclet, wer vermœchte mit Worten zu schildern,
wie sie bezauberten Aug'und Gemüth? Sind gleich uns von jener
Kunst der Hellenen noch viele, noch herrliche Werke vorhanden,
Unter so vielen dennoch kaum Weniges kœnntest du finden,
was als Gefeiertes auch uns nenne das Zeugniss der Alten,
wie sie des Phidias Zeus, des Praxiteles Venus, und andre
Statuen rühmen; und doch an Manchem, was bergend die Erde

Wieder uns gab, nie würdest die Lust der beschauung du sætt'gen,
Nie am hüllosen Reitze der medizeischen Venus,
Noch an Apollos Gestalt, am Antlitz des siegenden Gottes,
Noch an Vater und Sœhnen von Schlangen umwunden. Was konnte
Gleiches uns schaffen die Kunst in christlicher Welt sich erneuend?
Bitt'rer Verlust! Von Parrhasius nichts, und nichts von Apelles
Sehn wir unter Gemæhlden auf Mauren und Urnen gerettet,
Welche die spætere Welt in Trümmer vergraben entdeckte.
Wæren auf uns mit dem Ruf der gepriesenen Künstler die Meister —
Werke gekommen, nicht minder bewunderten wir, was mit frohem
Staunen den Griechen erfüllt, was die herrschende Roma, mit Hellas
Künsten geschmückt; so verschieden auch mœge Manier und Character
Scheinen, wenn Alten, so weit es vergœnnt, wir Neu're vergleichen;
Sey's, die dem Kleinen mit Glück, sey's, die sich dem Hohen, dem Grossen
Weihten, an deren Fguren entzückt dein Auge sich weidet,
So dass genug du nimmer sie schaust, und, so oft du zurücke
Kehrest, von neuem dich fesseln der Schœnheit ewige Reitze.
So sah staunend ich oft und innig beweget den heil'gen
Tæufer, ein gœttliches Bild, der, den Weg des Erlœsers bereitend,
Zeigt gen Himmel, als spræch'er zugleich dir Worte des Heiles:
Lasse die Welt, und wende dein Herz nach schœnerem Ziele:
So ist hehr die Gestalt, so siehst du auf heiterer Stirne
Milde gemischet und Ernst, so wie mit seeligen Geistern
Züge vertraut. Nicht dürfen wir hier unerwæhnet die Werke
Lassen der neueren Kunst, die, entbehrend des Schimmers der Farben,
Leben durch Schatten und Licht hinzaubert und Seelenbewegung,
Wundergebilde verbreitend in Meng', und immer zu hœh'rer
Stufe sich schwingend. Dennoch, wer das Grœsste, das Herrlichste kenn'te,
Dürfte nicht gring drum achten ein Bild, das ich selber besitze,
Christi Geburt in der Kripp', und um ihn stehend die Hirten.
Diess zu beschreiben war hier mein Zweck, doch konnt' ich zur Sache,
Nimmer und nimmer gelangen, verführt von der Liebe zum Schœnen. —
So, weil sinnend umher ich wandele, Manches berührend,
Sieh, da merkt' ich zu spæt, womit ich das kurze beginnen
Sollte, das wuchs heran, zum langen Gedichte sich dehnend;
So, dass zum kleineren Theile mir ward des Gemæhldes Beschreibung.
Und so fand ich nunmehr nicht schicklich verbunden, und trennte
Aendernd die Theile, um beide für sich zum Ganzen zu ordnen.
Wie, wenn des Hafens nicht denkt, wer, auf lachenden Fluten sich wiegend,
Folgt dem gebogenen Strande, von lieblich wechselnden Szenen
Weiter und weiter gelockt, so, süssen Gefühlen der schœnheit
Folgend, vergass ich Ziel und besonnenes Ordnen des Liedes.
Fahret mir, Himmlische, fort zu scheuchen der Sorgen Gewœlke,
Weil es die Musse vergœnnt, mich mit schmeichlendem Spiel zu ergœtzen.
Kind ja liebt' ich, Camœnen, euch schon: den getreuen Verehrer,
Gœttliche, nun, o verlasset ihn nicht in traurigen Zeiten!
Sieh, nach wenigen Jahren der Ruh nah'n Schrecken des Krieges,
Und das bethœrende Wort droht wieder Verwirrung den Staaten!
Wieder erhebt sich græsslich, den Zügel zerreissend, die Freiheit,
Waffnet zum inneren Kampfe den Bürger, zum Sturze der Fürsten,
Græuel zu hæufen auf Græuel sich freuend in wilder Begierde!
Aber, ihr Holden, o, wendet mich ab vom scheuslichen Anblick,

Dass sich nicht trübe mein heitres Gemüth! O, rettet in euren
Tempel den Fliehenden! Weil sich finster gestaltet das Leben,
Scheuchet, Camœnen, mit Zaubergesang mir schmeichlend die Sorgen.

IPSE JUBET MORTIS TE MEMINISSE DEUS.

So wie næher dem Ende mein Lebensfaden sich windet,
So nun hæufiger schwebt mir vor den Augen der Tod.
Sey's, dass verwundet mein Herz an Trauergedanken sich labet,
Oder der heiteren Stirn weichet des Kummers Gewœlk;
Sey's, dass begierig der Rede des Freunds, des geliebten, ich horche,
Dass mich des Genius Werk, dass mich die Muse entzückt,
Oder der Mutter Natur, der vertrauten, bewundernd ich folge,
Bald im einsamen Wald, bald auf belebeter Flur:
Wo ich auch bin, und was ich auch thu', zu jeglicher Stunde
Mischt sich Gedanken und Sinn nahe mir tretend der Tod.
Doch nie stœrend begleitet er mich, noch mag er mir rauben,
Welcher der hœchste mir ist, geistigen Lebens Genuss.
Leichter ertragen wir Vieles, was oft uns begegnete, minder
Furchtbar Vieles sich zeigt, siehest du næher es an.
Dass dich nicht schrecke der Tod, ins Antlitz ihm schaue; befreundet
Bald an die grause Gestalt wird sich gewœhnen dein Aug.
Weniger denket der Jüngling an ihn, dem das blühende Alter
Glücklich verfloss: nicht so schwand es mir lachend vorbei;
Nicht so sanft war der Weg, den ich ging, so reitzend, so süss nicht
War mein Leben, dass nicht gern ich des Scheidens gedacht.
Drum nun müsst' um so mehr ich der Furcht mich schæmen des Todes:
Ziemt sie dem Jünglinge nicht, ziemt sie noch minder dem Mann.
Immer der Weisheit fremd blieb, welchen gequælet die Zukunft,
Fremd, wen nie der Natur lehrte gehorchen die Zeit.
Mœchtest du klagen, dass neigend der Strom zum Meere sich wælze,
Oder, weil Luna den Kreis wechselnden Lichtes erneut;
Klagen, wenn sæuselt das Laub lindregendem Hauche des Zephyrs,
Oder vom zuckenden Blitz donnert erschüttert die Luft?
Wie darf's wundern dich mehr, wenn Sterben bedinget das Leben,
Aus dem erlœschenden stets keimet das neue hervor?
Wie im Herbst sich entlaubet der Baum, wie zum Raube die Rose
Schmeichlenden Strahlen der Sonn' œffnet den düftenden Kelch:
So auch welket der Menschen Geschlecht: woher wir gekommen,
Mit stets eilendem Fuss kehren wir alle zurück.
Dahin eilt noch lallend das Kind, mit purpurner Wange
Eilet die Jungfrau, eilt feurig der Jüngling zum Tod.
Dahin eilet der Mann, weil fest ihm reifen die Kræfte,
Dahin starrendes Knie's stürzet gebeuget der Greis.
So siehst du, wie Sterben Natnr und Leben verknüpfet,
Dass du lernest mit Lust leben nach ihrem Gesetz.
So auch lehren die Alten, die Weisheit jeglicher Zeiten
Lehret uns so; Gott selbst heisst dich gedenken des Tods.
Fremdlinge bleiben auf Erden wir ja, doch besserem Loose
Sind wir geschaffen: so lehrt warnend uns Religion.
O Unseeliger, wem mit dem Kœrper verschwindet die Seele,
Welchem vernunftlosem Thier æhnlich hier endet der Mensch!

Wie kann jemals ein Tag ihm heiter erscheinen? wo fænd'er
Ruhe dem Herzen, wo fænd'seeligen Frieden er je?
Gabe des Himmels, o leite mich fort bis zum Ziele des Lebens,
Glaube an schœneres Loos! Hoffnung, verlasse mich nicht!
So, wann irdischer Wohnung entruft mich dein heiliger Wille,
Gott und Schœpfer, zu dir führe mich Liebe zurück.

ZUM ANDENKEN AN AD. JOS. DANIELS.

So bist, Joseph, du nun mir geranbt: in blühenden Jahren,
So war der Himmlischeu Schluss, musstest du lassen die Welt.
Tief empfandest du frühe das Nichtige irdischer Güter,
Frühe gewæhrten sie dir ewiger Freuden Genuss.
Drum auch flossen vergebens der Liebenden Thrænen, vergebens
Flehte dein edeles Weib, flehten die Kinder mit ihr.
Heil dir, Guter, im besseren Land, am Ziele der Tugend!
Süss ist des Leidenden Trost, gross ist des Hoffenden Lohn.
Schœn dein sinn' sanft war dein Gemüth; noch Knabe gewann ich,
Innig dich lieb, und stets bliebst du vor allen mir theur.
O, wo fænd' ich sie wieder die Treue, die goldene Einfalt;
Wo, wie deines, ein Herz glühend für Wahrheit und Recht?
Wo ist der Gatte, der Vater, wie du? Wer übete strenge,
Redlich, wie du, was Pflicht, Freundschaft und Liebe gebeut.
Joseph, du schiedest auf Erden von mir, nun blicke vom Himmel,
Blick auf den Trauten mit Huld, auf den Verlassnen herab.
Dort auch daure das Band treuliebende Seelen umschlingend:
Nur die verwesende Hüll' werde die Beute des Tods.
Denke des Freunds: o, dann, hat die letzte der Stunden geschlagen —
Und schon nahe der Grnft welket das Leben mir hin —
Hoff' ich zu wandeln mit dir, wo verklæret die Geister der Guten,
Ueber dem Wechsel der Zeit, ewig vereinet sich freun.

DER NATUR UND DEN MUSEN.

Beaux arbres qui m'avez vu naitre,
Bientôt vous me verrez mourir.
CHAULIEU.

Liebst du die schœne Natur, so mœge das Lied dir gefallen,
Womit einst sie zuletzt grüsste der treffliche Greis;
Den von der Muse geliebt ich glücklich auf lændlichem Gute,
Den dort wandeln im Hain oft ich bewundernd gesehn;
Wo sich beuget der Strom an der græflichen Burg, und des Schlosses
Trümmer im düstern Gestræuch trauren auf felsiger Hœh.
Denn, als welken den Kœrper er sah und erschœpfet die Kræfte,
Als sich dem Ende schon nah fühlte der würdige Greis:
Wæhrend er sass im Schatten des Lieblingsbaums, der Platane,
Ward zu melodischem Klang, was ihm bewegte die Brust.
Einsame Fluren, vor allen mir süss, die je mich erfreuet,
Wohnung des Friedens, und Bild seelebeglückender Ruh!
Wo so viele mir flossen der heiteren Tage, Gefilde
Meinem Gemüthe erwæhlt, meinen Gefühlen vertraut!

Liebend zu euch kehrt' einst ich zurück, die als Kind ich geliebet,
Und, wie dem Knaben, so bliebt theur ihr dem Manne, dem Greis.
Die ihr Zeugen mir oft von Wonne, von Klage gewesen,
Hœret, Gefilde, nun auch, hœret des Scheidenden Gruss.
Nimmer ja könnt' ich von euch ohn' innige Rührung mich trennen,
Welchen ich Freude so viel, Gutes verdankte so viel.
Sucht nach Würden sie plagte mich nicht, nicht glænzende Titel;
Nie durch schmeichelnden Ruf hætt' ich mich glüklich gewæhnt.
Nimmer auch lüstete mich zu stehn im Dienste der Grossen,
Mine zu zeigen und Blick, wie ein Gebieter gelaunt.
Froh bei Wenigem lernt' ich zu seyn: so quælte mich nimmer
Die unersættliche Gier, Durst nach bethœrendem Gold.
Siegende Schaaren auch lockten mich nicht, nicht über Erschlag'ne
Rollend mit blutigem Rad vœlkerzertretender Ruhm.
Zart ja war mein Gefühl, und Mæssiges wünscht' ich, vor Allem
Edel zu bilden den Geist strebend durch Wissen und Kunst.
So schwand frœhlich das Leben mir hier, so lebt' ich, den Musen
Weihend die eilende Zeit, ruhend im Schoos der Natur.
Wie oft schaut' ich mit Lust am Ufer des Stromes die Dœrfer,
Oder die Hütten zerstreut grünende Hügel hinan;
Oder, wie wacker der Pflüger, der rüstige, furchet die Felder,
Wie frohlockend das Vieh hüpfet auf lachender Au,
Oder die mæhende Schaar, mit Jünglingen muntere Mædchen,
Und kunstlosen Gesang heiternd ein lændliches Mahl,
Oder den festlichen Reihn zur Geig' und gellenden Flœte,
Wann in Scheunen gehæuft liegen die Gaben der Flur.
Werke des Geistes betrachtet' ich hier in wonniger Musse
Und auf der Menschheit Hœh Weise mit Dichtern vereint.
Manchmal tiefes Gefühl auch selber vertraut' ich den Saiten;
Sey es, des Genius Werk, oder erhabene That,
Oder zu preisen der Tugend, der himmlischen Liebe Begeistrung;
Sey's, dass nichtigem Ruhm Krænze gewunden ich sah,
Oder der Freiheit Wuth, wann græsslich, zerreissend die Zügel,
Zu dem erschrecklichsten Thier machet den Menschen sein Wahn;
Sey's, dass ich sang die Natur, wie sie schœn in unendlichem Wechsel,
Und mit entzückendem Reitz fesselt ein reines Gemüth·
Jugendlich ewig blühst du, Natur; doch vorüber vor deinem
Antlitz gehet der Mensch, æhnlich der Schattengestalt.
Euch nun lass' ich auf immer: o seyd mir, Gefilde, gegrüsset
Jetzo zuletzt! nie wird wieder euch sehen mein Aug.
Seyd mir, Berge, gegrüsst, und gipfelbekrænzende Waldung,
Und du, irrender Quell, seufzend im Felsengeklüft;
Du auch, trauliches Thal, von dem Hirten geliebt und der Heerde,
Wo durch blumige Wies rieselnd sich windet der Bach,
Und ihr, Weiden mit traurendem Laub, am schweigenden Teiche,
Seyd mir gegrüsst, und ihr, Ulmen und Buchen gemischt,
Hoch zum Schattengewœlb freistrebende Aeste vereinend:
Nach euch, weil es vergœnnt, schaut' ich mit Wonnegefühl.
Was ihr verwandt an mir, jetzt geb' ich es wieder der Erde;
Doch zum ætherischen Licht schwingt sich der bessere Theil.
Sollte dennoch, mein Geist, von dir was weilen hienieden,
Sollt' nachhallen ein Laut, Muse, dem Todten von dir:
Dann, wo der Rasen bedeckt mein Gebein, dort unter der Linde,

Sage ein Freund der Natur, lesend, was heute du sangst:
Wohl dir, der du das Land und die Musen geliebet! Kein andres
Denkmahl, wære mein Wunsch, sollte mir schmücken das Grab.

QUEM DICAM? QUALEM FINGAM? QUA SEDE LOCABO?

Was du seyst, wie kœnnt' es erklæren mir menschliches Wissen?
Wie kœnnt', heiliger Gott, mein sinn, mein Verstand es begreifen?
Der ich wenige Tage nur hier zu leben gekommen,
Bis dein Wink, nicht weiss ich, wohin, mir zu wandern gebietet;
Der ich alles entstehn und schwinden in ewigem Wechsel
Seh', und Leben und Tod sich bedingend in jedem Geschœpfe:
Was du seyst, Erschaffer zugleich und Erhalter der Dinge,
Wer, entsprossen von irdischem Stamm, wer mag es mir zeigen?
Urquell jeglicher Kraft, und Anfang jeglicher Regung,
O wie fass'ich die Kraft, durch welche du alles erschaffen,
Wie den Entzweck, wie, was dich bewog, wie fass' ich den Einklang,
Welchem das Ganze gehorcht, das Band, das alles vereinet?
Selber ein Theil, wie ein Trœpfchen des Thau's vom Aether gefallen,
Deiner unendlichen Welt, o alles erzeugender, alles
Næhrender Geist, in allem zugleich mit grænzloser Allmacht,
Den nicht Zeit kann messen, nicht Raum, wo stell' ich im Weltall,
Alles regierendes Wesen, wo soll ich den Sitz dir erwæhlen?
Soll ich dich setzen in's Meer, wo in spielender Lust durch die Wogen
Hüpfet der Wallfisch, oder vielmehr in Tiefen der Erde,
Wo in ewiger Nacht die Metalle verborgen du bildest,
Und sich deinem Gesetz die krystallenen Kœrper gestalten?
Soll ich auf Fluren dich denken, auf lieblichblühenden, oder,
Wo, von der Sonne geseugt, sich mit Laub nie schmücket der Boden;
Oder, wo Felsen umschimmert von Schnee, hoch über den Wolken
Tragen das Haupt? Soll unter den Sternen dein Thron sich erheben,
Womit deiu Kleid in des Himmels Pallast der Jesside gezieret;
Oder vielmehr, wo Grenzen mein Geist zu dem Kreise der Schœpfung
Ueber den Sternen sich denkt, dass von dort unzæhlige Welten
Lenkend du schauest? Wohin o führen mich eit'le Gedanken,
weil ich kindisch bemüht dir den Sitz, dem Unendlichen, suche!
Wir, aus irdischem Quell, damit ja der Dinge Beherrscher
Nimmer der Wohnung entbehre, wir sagen, du seyest im Himmel.
Da hast, Kœnig, von uns du den Thron, und Cherub und Seraph
Knie'n anbetend, dein Antlitz in seeliger Wonne betrachtend.
Aber wie soll ich gestalten dich mir, der du alles erzeuget,
Alles gebildet auf Erden, im Meer, und alles im Himmel,
Auf unzæhlige Weis' Element und Geistiges einend?
Soll ich, damit in bestimmter Gestalt du dich zeigest, des Menschen
Künstlich gegliederten Leib und die Hülle des Fleisches dir geben?
Dass mit sinnender Stirne vor mir du stehest, wo throne
Allmacht, Majestæt und nimmer getrübete Klarheit;
Dass ich den Blick dir, den hehren, der alles durchdringt, und des Herrschers
Haupt dir geb' und den Wink, dem Hohes und Tiefes sich neiget;
Dass ja æhnlich dir sey'n, die gross auf Erden durch deine
Gaben wir sehen, das Aug' und des Antlitzes Würde bewundernd,
Aber wer mag dir bestimmen den Ort, wer mag sich vermessen

Dich zu gestalten? Wohl mœchte das Werk, das selbst ich gebildet,
Sagen, woher ich gekommen, wenn dich zu erkennen, den Ew'gen,
Mir, dem Erschaff'neu, vergœnnt. Ja, so oft ich sinnend erwæge,
was du seyst, in grausende Nacht stets tiefer und tiefer
Senkt sich verzagend mein Herz, bis der Ohnmacht eil'le Begierde
Sich zu schelten beginnt, und flieht das verwegene Streben.
Aber vermag auch meine Vernunft dich nicht zu begreifen,
Wie zu verbinden Vernunft mit irdischem Loos dir gefallen,
Ist dennoch die Natur dir Zeuge, die Mutter, die zu mir
Redet, so schufest du sie, die zahllose Wunder der Schœpfung
Vor mir entfaltet. Dir rauschet der Strom, der mit reissendem Strudel
Stürzt durch Felsengeklüft; dir lachet des blæulichen Meeres
Ruhende Flæche, dir tobt der Orkan, dir fæhrt aus den Wolken
Flammender Blitz, und dem Murren des Himmels erzittern der Erde
Tiefen; des Waldes Geheimniss verkündet dich mir, und das linde
Sæuselnde Lüftchen im Laube des Schattengewœlbes; der Frühe
Purpurner Schein auf dem Gipfel des Bergs, und des einsamen Thales
Mystische Stille verkündet dich mir im Schimmer des Mondes.
Doch, weil alles mir zeuget von dir im unendlichen Weltall,
Bleib ich der lauteste Zeuge mir selbst: laut rufet des Herzens
Mæchtige Stimme: DU BIST! wann innig gewaltig von deiner
Heiligen Kraft es durchdrungen sich fühlt, und, verkündend dein Daseyn,
Schauer die Glieder durchfæhrt, weil einsam, mein Gott, ich bedenke,
Was ich bin, und wozu du mich und die Welten geschaffen,
Welches auf Erden mein Loos, was jenseits harret des Grabes;
Wann ich fühle, wie nichts ich ohne dich bin, und gebeuget,
Gott, anbete, den Geist, der zum Menschen das Stæubchen beseelte.

BADEKUR IN AACHEN, SEINE UMGEBUNG, UND IN DIESER DER FRANKENBERG MIT DEM MÆRCHEN VOM ZAUBERRINGE. *

Was ich, Bücher zu Haus jetzt lassend und Gattinn und Kinder,
Mach' in des Granus Bædern: so nannten, der dunkelen Sage
Folgend, Lateiner die Stadt: wie hier Kurgæste Genesung,
Wenn gleich viele nicht krank, in siedenden Quellen wir suchen;
Wie ich gütlich mir thu', die verliehene Musse geniessend;
Wie sich ergœtze der Geist; wie herrlich die Gegend umher sey;
Was merkwürdiges auch aus der Vorwelt Tagen sie hege:
Weil, in regnende Wolken gehüllt, trüb trauret der Himmel,
Wem, Pauls, sollt' ich es eher, als dir, dem Geweihten, erzæhlen,
Wenn leistœnendem Lied am Schœnen sich weidenden Freundes
Ohr zu beschleichen gelæng' und des Scharfsinns kundiges Urtheil?
Dass ich gewagt, du lobtest es ja, von Germaniens grœssten

(*) Hoc titulo, Aquisgrani, a. 1833, typis M. Urlichs, Sohn, vulgavimus germanice redditum carmen, cujus archetypon habes hujus voluminis pag. 96. In germanico autem hic iterum edito vix quidquam mutavimus; nisi quod vitia typothetarum, in iisque gravissima, correximus. Translationem ipsam liberrimam esse voluimus, qualem citius in auctore sua vertente probares; neque diversa ratio placuit in aliis, quæ cum hoc carmine hic conjuncta damus, in quibus elegia *Hæc placeant patriæ quæ pia dona fero*, cujus partem quoque versuum in translatione omisimus. Quare non mirer, siquis ex ipsa cum latinis comparatione, utrum archetypon sit, non satis intelligat: quod quidem in aliorum quoque versibus vertendis pro viribus efficere voluimus.

Dichtern berühmte Gesæng' in ausonischer Sprache zu singen.
Nun, so siehe denn auch, wann einst von ernsten Geschæften
Müde dein Geist sich erhohlt, und Kleines du duldest, ob zærtlich,
Ob anmuthig ich mag dir Eigenes kosend gefallen;
Wæhrend nicht sonderlich krank, noch wohl ich im Ganzen mich fühle.
Denn, im Innern gesund, hier badend zu heilen versuch ich
Jucken, das længst mir ritzet die Haut, das, leidlich im Anfang,
Weil nachlæssig ich bleib', und Warnung nicht achte des Arztes,
Schon vier Jahr, einwurzelend stets und wachsend, mich plaget.
So kam's endlich zur Kur, wo aus siedendem Quell drei Glæser
Tæglich ich trink', und tæglich im schwef'ligem Wasser mich bade,
Und noch Schwefel dazu aus dem Wasser gezogen verschlucke.
Diesen nun mehm' ich Abends, wann Ruhe verlangen die Glieder;
Und gen fünf schon bin ich am Quell: da trinkt man, und macht sich
Sanfte Bewegung ein Stündchen in Lindenalleen spazierend.
Dann erst folget das Bad: so vergehn zwei Stunden, bis alles,
Wie's vom Arzte verordnet, geschehn. Aus dem Bade zum Frühstück
Eilet ein jeder, um eins ist Mittagstafel, um achte
Einet uns wieder der Tisch, und kaum sind minder die Schüsseln.
Drum nun sieht man auch nicht, warum man wen'ger, als Mittags,
Trænke des Weins. So lebt dein freund, so die meisten der Gæste —
Denn nicht klein ist die Zahl, die mit mir krænkelt im Hause —
Kœstlich genug; so weidlich mit Trank, mit Speise gelabet,
Geben wir gerne uns nach, und vergeuden die müssigen Stunden.
Denn der Genesung gedenken nicht læsst uns die Tafel, die reiche;
Noch uns kümmern zuviel um Vorschrift heilender Mænner.
Wirklich sind wir ja auch, wenn drei bis viere du ausnimmst,
Nicht von Herzen so krank; doch Uebel ersinnend die Menge,
Halten wir selbst uns zuerst, und halten für krank uns die andern.
Und dass minder verdriesse uns Zeit und Gelt zu verlieren,
Kœmmt mit seltener Kunst die Gesunden zu pflegen der Doktor,
Oder zum Nichts, das uns plagt, die bedeuteude Mine zu machen:
Beides nicht schœn; doch muss ich gestehen, des redlichen Arztes
Lage fürwahr ist hart; denn wer sich der Krankheiten sinnreich
Tausend erdichtet, und jæmmerlich so sich ængstet und quælet,
Den machst nimmer, verachtend Gewinn, du glauben, er sey nun
Endlich gesund; und bald ja fænd' er den Mann, der sich schæmen
Mœchte bedenklich zu seyn, und des Leidenden Geld zu verschmæhen.
Dass ich es kurz nur sag': der trinkt zwei Glæser des warmen
Quells, der vier, der zwœlf, der badet im heissen, im lauen
Jener, ein anderer kalt, der schrumpft im brennendem Dampfe;
Dem schlægt's, rauschend hervor aus gelenketer Rœhre, den Rückgrad,
Oder ein sausendes Ohr, dem Hals, dem Lenden gelæhmet.
Jenem da zieht am Felle die Luft, die verdünnte, im Schrœpfkopf,
Scharf durch Ritzchen, gemacht von schnellenden Klingen des Schnæppers,
Saugend verdichtetes Blut, fürwahar kein schonender Egel.
So viel Mühen erleichtert, und oft nur peinigt den Kranken,
Und wir belachen in manchen es gern, was selber wir dulden,
Wie sie sich quælen umsonst, und heissen sie trübende Grillen
Jagen und Aerzte zugleich; ja es dient wohl selber im Scherze
Mit schrægstehendem Hælschen die Tochter des Wirthes, die gute,
Uns zum Beweis, wie kræftig sie wirken die Bœder des Vaters.
Aber nicht minder darum hofft jeder Genesung von ihnen,

Mancherlei Weg' einschlägend; indess durch einfache Kur ich,
Uebrigens wohl, von Jucken die Haut zu befreien versuche.
Und hab Morgens der Pflege die nœtige Zeit ich gewidmet;
Einige Bücher ergœtzen mich dann, nicht ohne der Musen
Spielenden Ernst; wenn nicht mir ein Freund zu besuchen—Mit wen'gen
Dürft' ich von Aachens Bewohnern den Rath hier nennen, den deutschen
Mann, der redlich und gut, mit schœnem Gemüthe mich anzog,
Feind herzlosen Geziers, anmuthig in treffender Rede. —
Oder ich geh' in's Gefild, mein Trost, weil Gattin mit lieben
Kindern mir fehlen: mich schuf die Natur zum Genussse des Landes.
Reitzend zudem ist die Gegend umher, das zweifeln du kœnntest,
Welche die schœnere sey, ob sie, ob jene, die Lüttich
Lachend umgiebt. In Ebenen dehnet ein Theil sich der Landschaft;
Wo Saatfeld und Gærten, und mehr noch Wiesen in Menge.
Zwar hier fehlet ein Fluss, doch irren in spielender Windung
Bæche, und füllen die Weiher, der Flur weitglænzende Spiegel.
Lieblich grünet der Rand von Schilf umkrænzet: da siehst du,
Unter dem sæuselnden Laub in Reih'n hochstrebender Pappeln,
Kreisen den schimmerden Schwan auf ruhiger Flæche des Teiches.
Aber die Mauren entlang, in stets fortlaufender Pflanzung,
Wunderbar herrschet die Kunst, die Bœum' und Gestrœuche mit Rasen
Mannichfaltig vermischt, nach englischer Weise, das Auge
Jmmer auf schlængelndem Weg mit neuen Figuren erfreuend.
Lieblich verschmelzet sich hier in Gruppen die Schattung des Grünen;
Da blüht üppiges Gras um stilles Gewæsser; in langen
Gængen ein kühlendes Dach da wœlben Kastanien und Linden.
Traun, nichts besser durch Knnst, nich's anmuthreicher geordnet
Fændest du wohl. Doch wer übertræf', wer kœnnte mit deinem
Zauber sich messen, Natur. Im anderen theile der Gegend
Grünen Gebirg und Hügel bedeckt mit einsamer Waldung.
Von da fliessen verborgen zur Flur sanft murmelnde Bæche,
Klar auf moosigem Fels fortrolleud die eilende Welle.
Da liegt, Burtscheid nah, die Ruin, wo mehrere Pfade
Hin dich führen zugleich, auf schattigen Hügeln sich windend.
Frankenberg wird sie genannt. Alt ist und seltsam die Sage,
Die sich erhalten von ihr, wie Wunder aus mittleren Zeiten
Viel von æhnlicher Art. Von der Burg, einst Karols des Grossen,
Siehst du die Trümmer auf felsigem Grund. Hoch raget die Hælfte
Eines verfallenen Thurms; mit ihm noch hænget von beiden
Seiten zusammen die Mau'r, die am anderen End' ein Gebæude
Spæterer Zeiten berührt; im Inneren aber des Schlosses
Uebriget weniger Schutt, wo wildes Gestæud' in der Eiche
Schatten sich wucherend næhrt. Hier stellet der Miether des Hauses
Bænke und Tisch, wenn milten zu ruh'n dir in der Ruine,
Oder gelüstete Trank zu begehren und lændliche Speise.
Epheu umschlingt das morsche Gemæu'r, und das felsige Ufer
Senkt sich draussen, den Weiher mit starrenden Stræuchen umdüsternd;
Still umgiebt sie das Wasser, mit grünendem Moose, mit blassem
Schilfe bedeckt, wie wenn es die Trümmer, die grauen, die œden
Trümmer der Burg, wo wohnte der Held, mitleidig betraurte.
Und nicht dürft', wem fühlendes Herz kann Menschliches rühren,
Nicht sich schæmen der Thræne, die hier im Stillen er weinte,
In die Ruine den Blick, in die einsam traurende senkend;

Sey's am Rande des Teichs, sey's dort am Ende der Wiese,
Die sanft, zwischen der Flut und schattigen Hügeln, sich neiget,
Wo Felsstücke der Bach durchirrt mit klagendem Sæuseln.
Thrænendes Bild, hier mahnet die Zeit, wie nichts sie verschone;
Wie nichts unter der Sonn' fortdaur' in ewiger Blüthe,
Was auch Grosses, was auch Hochseeliges weilet auf Erden.
Darum ist dir so wohl an dem Ort, leistœnende Wehmuth;
Darum entzückt er das zarte Gemüth, darum auch dem Dichter
Ist er vor anderen lieb; denn weich sind die Herzen der usen.
Hier sass mancher, hier stand in seufzender Rührung wohl mancher;
Hier zu weinen ist Lust, und dem Schmerz sich, dem süssen, ergeben,
Lust zu fühlen, wie nichts ist die Welt; hier heilen die Wunden
Grausam zerrissener Brust; hier ruhet die tobende Seele,
Und der verwirrenden Liebe das Mark durchglühende Flammen:
Dichtern fürwahr willkommener Stoff; denn solche Gefühle
Singen verweilend vor allen sie gern. Die drangen in keines
Sterblichen Ohr, sie lauschend allein hier hœrte das Echo,
Rousseau's Klagen des Sængers, dem zærtliche Tœne des Traurers
Muse verlieh. Wo sind, fragt minder berufen ein Andrer,
Mahle der Kœnige nun? Wohin sind Reihen am Festtag?
Wo ist der Laute Geræusch? Wohin sind Freuden des Bettes,
Und Fastrada's rosiger Mund? Hier fehlet auch nimmer
Jener bezauberte Ring, aus der Vorwelt Wundern ein Mæhrchen.
Denn auch der herrliche Karl, der gewaltige Vœlker, der Grœsste
Selber auf Erden, beherrscht, und die kühnsten gebændigt dem Zepter;
Karl zum Sclaven der Liebe gebeugt — Wohl mœchten wir Kleinen
Minder errœthen darum — hing an der Gebieterin Antlitz;
Und in Fastrada seelig allein, pflückt Tage und Næchte
Brennend der Held von dem Leibe, dem schœnen, die Blüth' des Genusses.
Weh, in grausamen Schmerz wie schnell sich wandelt die Freude!
Eiserner Tod, sie rührten dich nicht die entzükenden Stunden!
Aber die Flamme doch lœschest du nicht, die des Zarten Gebeine
Glühend durchdringt; denn mæchtig entseelt noch herrschet Fastrada
Fort in des Liebenden Brust: nicht kann er die Leiche, die theure,
Lassen, noch kann ihn Bitten bewegen, noch kann zur Besinnung
Bringen ihn mahnendes Wort, und im Schmerze verzehret sein Herz sich.
Denn ihn beraubt des Verstandes die Lieb: nicht kümmern die Seinen,
Nicht ihn Sorge für's Reich; ja verschlossen der Bettegenossin
Leib er bewahrt in glæsernem Sarg, und nimmer das Auge
Wendet er wachend davon; noch denkt er an Speis', noch den müden
Gliedern vergœnnet er Schlaf. Mitleidig betrachtet des Helden
Schicksal der Hœflinge Schaar, wie im Wahnsinn schmachtend er hinstirbt;
Und sie seufzen umsonst. Da rettet, in Zauber erfahren,
Ihn Turpinus, der Weise: wohl wissend, von welcherlei Banden
Sitze der Kranke umstrickt, durch welche verborgene Kraft er
Willig vergeh', weil siegend der Schlaf Karls Augen geschlossen,
OEffnet er leise den glæsernen Sarg, und entziehet der Leiche
Sacht und behende den Ring, der versteckt in den Flechten des Haares;
Und in die Tiefe des Teich's sofort den entwandten er senket.
Aber gelœst ist der Zauber zugleich, und befreit von dem Wahnsinn
Fühlet sich Karl, und schon vom traurigen Rest der Geliebten
Geht er getrennt, im schattigen Wald, auf lieblichen Auen

Irrend umher : zum einsamen See da führt ihn der Zufall,
Tief wo der Liebenden magisches Pfand Turpinus versenket.
Sieh, da zieht es ihn an, und er schaut in's Wasser, sich selber
Wundernd, warum; da schmeichelt um's Herz ihm Süsse der Wehmuth;
Und es erwacht mildflammende Lieb; und immer gezogen
Kommt er zurück, in schweigender Flut zu stillen die Sehnsucht.
Dadurch baute bewogen der liebende Karl und bewohnte
Hier an dem Orte die Burg, wo noch die Ruine wir zwischen
Waldungen sehn und grünender Flur, vom Weiher umgeben;
Sehn, und denken des Helden. O sey mir gegrüsset, der Franken
Herrlicher Spross! Wie ein glænzend Gestirn in finsteren Næchten,
So weit leuchtend den Vœlkern erscheinst du und hehr; wie in Waffen,
Gross in der Menschheit Bildung du warst, warst edelem streben
Gœnner und Schutz, und glæubig in fromm ehrwürdigem Wandel.
Heil dir! Wæhrend ich hier, wo Herrscher du lebtest, der Vorwelt
Spuren verfolg', umschwebt mich dein Geist im heiligen Bilde.
Aber wohin willst plœtzlich ergreifend mich Muse du tragen?
Soll ich die Thaten des gœttlichen Karls, die erhabenen singen?
Ah, fern bleibe von mir so kühnes Beginnen! Den Grossen
Sey zu erwæhnen dem Kleinen genug. Du aber, geliebter
Freund, wenn wieder die Gegend du siehst, denk mein, und bescheiden
Lispelnden Lieds. Wie einst man listig den Bœsen verhœhnte,
Und zum bedungenen Lohn statt menschlicher liess ihm die Wolfsseel;
Oder vom Berg, dess Name gewaltig entzweit noch die Forscher,
Wo von pierischem Dufte zuerst Smets trunken, der Priester,
Regte mit zærtlichem Finger der Laut' süsslallende Saiten;
Und was sonst noch Seltsames uns in Sagen der Vorzeit
Lebet, ein anderes Mal wohl mag ich erzæhlen; genug ist
Jetzt des Gesangs. Sieh, endlich verscheucht ist unsæglicher Regen,
Und mich rufen die Auen, mich rufen die einsamen Wælder.

HÆC PLACEANT, PATRIÆ QUÆ PIA DONA FERO.

Deutsch schon schenktest du uns Martial, kunstreicher Thelander,
Jetzo des Rhodiers Lied fügst du, das Epos, hinzu.
Jahre noch feiltest du strenge das Werk, das Jahre vollendet:
Würdiges Sprachdenkmal sollt' es Germanien seyn.
Jch indessen geniesse der Ferien Tage, und liebend,
So wie der Mutter das Kind, folg' ich der Mutter Natur.
Wieder zu sehen erfreut mich Heimath, theure Verwandten
Wieder und Freunde zu sehn, Freunde entfernterer Zeit.
Und so besucht' ich von Neuem die Stadt, einst Bæder des Granus:
Heilung von schwef'ligem Quell hoffen die Kranken in ihr.
Heilsam ist sie den Kranken, ergœtzlich zugleich den Gesunden;
Nirgend mœchtest du wohl lieber der Musse dich weihn.
Freundlich im Innern und heiter ist sie, von Fremden belebet;
Reitzend auf jeglichem Weg lachet die Gegend dich an;
Wie um die Mauren zunæchst, so auf lieblichbepflanzetem Berge,
Wo du schauest entzückt weit in die Landschaft hinaus.
Burtscheid winkt auf Hügeln zerstreut mit glænzender Kuppel,
Nah im schweigenden See traurt die Ruine der Burg.

Seltsam lautet die Sage von ihr; den Betrübten befreundet
Ist sie; die Muse verweilt gern an dem einsamen Ort.
Doch mich rufet das kleine, das ländliche Düren: dahin ging
Unsere Reise, dahin sollt' mich begleiten der Sohn;
Aber die Mutter indessen gebrauchen das stærkende Stahlbad:
Nur die Geliebte bei ihr liess ich, die Tochter, zurück.
Wir nun eilen nach Düren, zum Feste der heiligen Anna,
Welche verehrend die Stadt ihre Beschützerin nennt.
Wunder ja wirkte sogleich von Mainz ankommend der Scheitel:
Streit war, welche von zwei Kirchen die Mutter bezœg'.
Und sieh! Plœtzlich da rollen, von keinem gelenket, die Pferde
Hin zur Kirche Martins Wagen und Heiligthum drauf.
Selbst, als Düren, dem Kaiser, dem mæchtigen, trotzend, gefallen,
Ehrten, in ræchender Wuth, doch die Soldaten das Haupt.
Thürme der Ringmau'r zeugen uns noch vom gewaltigen Angriff;
Hœhlungen zeigen sie noch, Spuren vom schweren Geschütz.
Da lag œde die Stadt, durch Schwerdt, durch Feuer verwüstet;
Wen'ge entgingen versteckt, glaubst du der Sage, dem Tod.
Doch aus der flammenden Kirch' zu den Franciscanern das Kleinod
Trugen die Spanier selbst, glæubige Sieger, im Pomp.
Düren, du warst mir die Welt, mir die enge Beschrænknng der Jugend:
Zwœlf bei den Eltern, sodann, bis in das neunzehnte Jahr,
Wuchs bei Verwandten ich auf. Steht kein Monument in der Heimath
Mir, kein væterlich Haus, blieb von den Meinen mir nichts;
Ist doch Düren mir werth, so werth als immer des Vaters
Villa dem Tullius einst in dem Arpinergebiet.
Hier ward Bildung dem Geiste zuerst, hier reifend zum Jüngling,
Manchmal betrübt und gekrænkt, fand ich im Lernen den Trost.
Hier sass Bramer, der Gute, der Geistliche, wæhrend die Knaben
Labte behaglich Geschwætz, oder das Pensum sie quælt',
Leise mit næselndem Ton Litanei'n abbetend und Psalmen;
Denn fromm war er, und meist sanften Gemüthes; jedoch,
Macht'es ihm Einer zu arg in Muthwill' oder in Trægheit,
Blæut' er die Hænd' ihm wohl, wohl auch den Rücken dazu.
Damals fand es sich noch Pfalz-Bayerns doppeltes Wappen
Ueber der Thüre der Schul', Adler und Lœwe vereint.
Passend bezog sich darauf und des Hauses Bestimmung die Inschrift,
(Fest im Gedæchtnisse blieb mir der bedeutende Spruch,)
VngVe Leo stIMVLat segnes, te protegIt ILLa,
GressIbVs assIDVIs sI petIs aLta, pVer. (*)
Tiefer bewegt uns Manches im früheren Lenze des Lebens,
Und gleich Zügen in Erz steht im Gemüthe die Schrift.
So mahnt Vieles auch mich in der Heimath Stadt und Gefilden,
Was als Knabe ich einst, was ich als Jüngling empfand.
Und so wandle zurück ich den Pfad unschuldigen Lebens,
Traurend um Güter, die nun schwanden auf immer dahin.

(*) Træge, euch spornt mit der Klaue der Leu; dich schirmet der Adler,
Wenn nie zœgernden Schritts, Knabe, nach Hohem du strebst.

Fliegendes Reitzes umstricktest du mich, du nichtige Weisheit;
Ach, und in finsterer Nacht wæhnt' ich zu finden das Licht!
Wie unæhnlich sich selbst ist der Mensch nach wenigen Jahren!
Eignes Gefühl und Sinn jegliches Alter dir zeigt.
Was ihm wichtig geschienen, verlor bald seine Bedeutung,
Klein bald ward es und nichts, was ihm geschienen so gross.
Muss nicht, Anna, nun selbst dein Fest mir beweisen die Wahrheit?
Fern noch riefen dich sonst eilende Wünsche herbei.
Wie ich die Meng' anstaunt' im bunten Gewimmel, des Landvolks
Betenden Zug, in der Kirch' Schaaren von Schaaren gedrængt,
Küssend den heiligen Scheitel, und opfernd der Mutter: sie wissen
Wie bei der Jungfrau viel, viel sie vermag bei dem Sohn.
Kræmer und Waar wie ergœtzten sie mich an die Buden geheftet,
Wie fremdklingende Sprach, fremdes Geberden und Tracht;
Bilder in tausend Gestalten unendliches Leben entfaltend,
Trommel und Flœtengetœn, Orgel und Geig' und Gesang;
Wunder von magischer Art, und bezaubernder Kasten Erscheinung:
Stellt doch heute mir noch Vieles lebendig sich dar;
Blicke und Züge des Mannes, es ist, als sæh' ich sie wieder;
Wirbelnd noch steht er mir da keuchend und heiser den Spruch.
Viel, weil wenig wir sahen, erregt Neugierd' und Bewundrung,
Weil gleichfœrmig sich ab rollet das Leben und klein.
So war einstens ich auch ganz Ohr, wenn Rede von Einem,
Der liess drucken ein Buch, oder Gedichte wohl gar.
Schreibende kannt' ich nachher, ich kannte Poeten die Menge;
Ach, und dem leichten Geschwærm' schloss ich ja selber mich an!
Anders erscheint mir nun das Gepræng' an den festlichen Tagen,
Anders die Buden, und drum gaffendes Baurengewühl;
Kirchen und Strassen gefüllt, und tobende Lust in den Schenken:
Anna, nnd doch bliebst du, wie du dem Knaben gefielst.
Aber noch immer mich freut zu sehen geliebte Verwandte,
Wieder zu sehn, wo sechs Jahre ich lebte, das Haus.
Du auch, nimmst du noch Theil an irdischen Dingen, du Guter,
Freue dich droben, und da bleibe Beschützer mir auch!
Dass ich in Zeiten des Kriegs mich edelen Studien konnte
Widmen, ich Danke es dir; Vater dem Waisen du wardst.
Ausser den lieben Verwandten, auch jetzt noch wenige find' ich,
Die dem Jünglinge werth, werth auch dem Manne noch sind;
Die mir Alter und Schule zugleich, die mehr noch Gesinnung,
Mehr noch Geist und Gemüth daurende Freunde mir gab,
Liebreich nehmen sie nun mich auf wohlwollendes Herzens;
Wenn gleich lange getrennt, bin ich den Guten nicht fremd.
Klein zwar bist du, Düren, und hast Merkwürdiges wenig;
Treffliche Sœhne dennoch zæhlet die Kleine genug.
Wer am Rheine, wer kenn'te ihn nicht, des Gefeierten Namen?
Wen er vertheidiget, nie ist ihm verloren sein Recht.
Richter und Ræthe und Lehrer gerühmt, auch Mænner dem Handel
Und kunstreichem Gewerb gabst du der wackeren viel.
Andere seh ich geehrt in Stædteverwaltnng: zur Zierde,
Seyd mir alle gegrüsst, welche sich Düren erzog.
Landsmann liebe ich euch, und freue mich eurer; die Muse
Preisen und singen von euch mœcht' die bescheidene gern,
Welche in rœmischer Sprach' und in eigenem Rhythmus mir schenkte,

Kein unedles Bemühn, Blüthen des deutschen Gesangs.
Hohes Verdienst ich verkannte es nie; doch nehmt auch die kleine
Gab' auf Dürens Altar, nehmet mit Liebe sie auf.
Schætze der Kunst hast, Düren, du nicht, hast keine Palæste;
Aber Erfreuliches doch bietest dem Fremden du dar,
Offenes Wesen nnd heiteren Sinn, unkundig der Arglist;
Biederer fænde er, traun, nirgend der Menschen Gemüth,
Theurer, als anderen, zwar ist jedem die heimische Erde,
Und mit eignem Gefühl siehet sie wieder ihr Kind.
Sehnsucht weckt dem Entfernten der Ort, wo als Knabe er lebte,
Wo er gebildet den Geist, wo er geflehet zu Gott;
Wo er allein einst sass, wo unter geliebten Gespielen,
Dort auf blumiger Wies', oder im Schatten des Walds.
Denn die Natur, allmæchtig an Reitz, und jeden besiegend,
Füllt mit Entzücken das Herz, welches am Busen ihr ruht;
Mæchtiger wirkt sie jedoch auf heimischem Boden: da spricht sie,
Gingest du noch so weit, immer doch süsser zu dir.
Bin ich mir Zeuge ja selbst: so oft ich besuch' den Geburtsort,
Wandle ich hæufig umher durch das bekannte Gefild,
Und bald, nehmend den Weg, wo ruhn die Gebeine der Todten,
Wend' ich am Hügel mich rechts, sanft wo sich neiget die Flur:
Dürens Gebæude sie glænzen mir da, und am æussersten Kreise
Jenseits zieht das Gebirg blæulich im Nebel sich hin.
Bald an der Kreutzwoch frœhlichen Zug und den Markt mich erinnrend,
Geh' ich, wo Velden vorbei rauschend sich windet du Ruhr.
Niedliche Gærten vergnügen mich hier, dort offene Felder,
Weiden um Teiche und Au, bæchebeschattend Gestræuch:
Oder ich geh', wo Berge bedeckt und Thæler die Waldung:
Nahe daran da blüht reichlich getrænket die Wies.
Knabe noch, holt' ich von da für die krænkliche Mutter das Dreiblatt;
Bitteren Saftes zu drei stehen die Blætter des Krauts.
Liebliche Gegend, wo nun dein Gut in prachtloser Anmuth,
Trefflicher Bürger, sich zeigt: Gærten um Wohnung und Hof;
Obst um kühlende Laub', und rasenbeschattende Pflanzung,
Nützliches Schœnem gesellt; Weiher umgeben von Schilf;
Pappeln in Reihen umher, planlos auf üppigen Auen
Bæume zu Gruppen vereint, Erlen am schweigendeu Bach.
Wer dich liebt, einsame Natur, ihn locket die Gegend;
Leicht auch wecket ihr Geist ernste Gedanken in ihm:
Faunen wohl hætt' sie der Grieche geweiht, wohl Chœren der Nymphen.
Jüngst dort, folgend dem Pfad, den ich, ein Kind noch, gekannt,
Ging ich langsamen Schritts, und Jegliches um mich betrachtend,
Bis mir zu ruhen gefiel an dem entzückenden Ort.
Still war Alles umher am tannenbepflanzeten Hügel,
Und durch laubiges Grün schaut' ich die Gipfel der Stadt:
Sieh, und Erinnrung an Jahre der Kindheit, Jahre des Jünglings,
Tief mir bewegt das Gemüth. Næher dem Greise nun schon,
Denk' ich, was mir geworden, und was mein heissester Wunsch war,
Wie nach Wissen mich einst, wie mich gedürstet nach Ruhm,
Wie icb vergebens nach Wahrheit gestrebt; und steigende Wehmuth
Presst mir das Herz, und feucht war von der Thræne das Aug'.
Und, wie versenkt durch Zaubergewalt in die Liebe der Heimath,
Heilige, nimm in den Schooss, sprach ich, den Sehnenden auf!

Nimm, o Erde, mich auf, die der Meinigen Asche du deckest!
  Schnell, ach, sind sie dahin nichtige Güter der Welt!
Kümmerlich lebten mir hier, doch redlich, die Eltern: das Erste
  War den Bedrængten vor Gott christlich zu wandeln und rein.
Nie, bis zum Grabe, verliess sie, die Frommen, der Tugenden hœchste.
  Nie auch die Hoffnung, da sey besseren Lebens Beginn.
Aber der Sohn, ihn tæuschte die Welt im grœsseren Bilde;
  Uns das Unendliche, sieh, ward mir zum winzigen Kreis!
O, wie bald ist das Leben dahin! Wie eitel ist Nachruhm!
  Æhnlich der Schattengestalt, welche die Græber umirrt.
Zwischen den Mauren, die hier Jahrhunderte sieben gestanden,
  Und allmæblig nun hin sinken verlassen in Schutt,
Wie viel Tausende starben da schon im engen Bezirke;
  Einer von allen noch kaum lebet im Munde des Rufs.
Mir auch stehe das Ziel, wo Tausende ruhn, wo des Vaters,
  O, das werde mir auch Hülle und Name zu Staub.
Wæhrend ich einsam so hingab mich Gedanken der Wehmuth,
  Rief zum gastlichen Freund ferne mich tœnend die Glock.
Wenige Tage noch blieb mit dem Sohn ich am heimischen Orte,
  Und zum Tœchterchen dann kehrt' ich, zur Gattin zurück.
Als nun Aachen wir auch und Freunde verlassen, den Musen
  Wieder die Stunden ich weiht', wieder ausonischem Lied,
Lændlicher Wohnung, am Ufer der Maas, und des Cartens mich freuend;
  Plœtzlich mit græsslicher Stimm schrecket Bellona die Stadt,
Rottend zusammen das Volk vom Taumel der Franken ergriffen.—
  Wæhrend den Freiheitruf heulet, Thelander, die Meng';
Wæhrend sie rennt, nach glücklichem Loos, (ach, wüssten's die Armen
  Nur drei Tage zu seyn!) ringend auf Trümmern des Throns;
Komme dein Rhodier bald mich ergœtzen in rhythmischer Schœnheit,
  Griechischer Anmuth Hauch aus dem germanischen Mund.

NATURÆ GAUDIA, FELIX,

PECTORE QUEM PURO JUSSIT AMARE DEUS.

Süsse, heilige Natur,
Lass mich gehn auf deiner Spur.
F. L. Stolberg.

Viele wohl lobten die schœne Natur, doch fragen wir, wer sie
  Würdig, die gœttliche pries, wenige finden wir nur.
Willst du sie preisen, o lerne zuvor, wie reich sie an Freuden,
  Wie sie erhebt das Gemüth, wie sie entzücket das Herz.
Würdig so sangen die Alten sie uns, so würdig die Neuern,
  Wo in der Muse Gewand glænzt genialische Kraft.
Denn die Natur, von der Dinge Beginn, war dem Menschen dieselbe,
  So wie die strahlende Sonn, so wie das Himmelsgewœlb.
Stets mit næmlicher Huld, mit næmlicher Liebe sie zeigte
  Jedem, geschaffen für sie, zærtlicher Mutter Gefühl:
Immer dieselbe, bewahret sie treu, giebt treu sie dem Manne
  Wieder, was einst ihr das Kind, was ihr der Jüngling vertraut.
Mancher noch spæt aus des Lebens Tumult, von nichtigen Gütern

Mancher getæuscht sich zurück sehnt in den Schooss der Natur.
Siegende Herrscher, entsagend dem Glanz, entsagend dem Zepter,
  Fanden den Frieden zuletzt, Freunde der Fluren, bei ihr:
Mænner, wie Rom sie bewunderend nennt, wie Karl, als der Krone
  Last freiwillig dem Sohn, müde des Thrones, er gab.
Ah, weit über der Kœnige Rang, weit theurer, als Schætze,
  Sei mir, heil'ge Natur, weiden das Auge an dir!
Hier zum Himmel erhebt sich der Berg mit drohenden Felsen,
  Und von der Klüfte Gewœlb triefet ein ewiger Thau.
Bald an der Klipp'bricht dort sich die Well' dumpfbrausend, bald schmeichelt
  Ruhig, geebnet von lind wehenden Lüften, das Meer.
Ueber dem Wanderer hoch hier sauset die wogende Waldung,
  Einsam œffnet und still dort sich die Scene des Thals.
Da durchschweifet der Fluss mit niedrigem Ufer die Flæche,
  Da von felsigem Rand stœhnet beenget die Fluth.
Hier fliesst ruhig der Bach durch Auen in irrender Windung,
  Hier vom Gipfel des Bergs wælzt sich der murmelnde Quell.
Weit dort dehnet sich aus das Gefild, und es schwindt die Begrenzung:
  Blumige Wiesen und Saat prangen und Bæume darauf.
Zahllose Formen so zeigt die Natur, in zahlloser Mischung
  Mit stets wechselndem Reitz fesselt sie Sinn und Gemüth.
Selbst in de Strenge des Winters, wann nun ausruhet der Pflüger,
  Wann am geselligen Heerd sitzen die Kinder der Flur;
Wæhrend der Schnee um den Ast, den entlaubeten, schimmerend hænget
  Und vor dem Froste die Saat schützet, die Hoffnung des Jahrs;
Wæhrend es starrt im Forst, und in Eis sich verwandlen die Strœme:
  Wer kann's læugnen? auch dann bleibest, Natur, du noch Schœn.
Doch bald folgte dem Winter, dem trægen, der liebliche Frühling:
  Schon mit erneuertem Gras schmückt sieh verændert der Grund.
Und Schon grünet der Zaun, schon grünen die Weiden, und zarte
  Blætter zur Krone sich hoch ragend entfaltet die Ulm'
Siehe, die Erde, die Mutter, erweicht vom Hauche des Zephyrs,
  Spendet aus sckwangerem Schooss Gaben dem Menschengeschlecht;
Sieh', wie Keime der Blüthe durchbrechen die schwellenden Knospen,
  Keime zur künftigen Frucht flechtend vermæhlenden Bund.
Freundlich lachet die Wiese mit mannigfaltigen Farben,
  Und willkommenes Bett bietet den Rindern das Gras.
Und schon duftet Jasmin, schon Geissblatt duftet und Lilla,
  Goldene Lilie schon duftet nnd purpurne Ros'.
Siehe, die Schwalbe vertrauet die Brut dem befreundeten Dache,
  Weil in zartem Gesang klaget der Nachtigall Lied'.
Und wetteifernd zum frœhlichen Chor stimmt jeglicher Vogel,
  Wie auf offnem Gefild, so in belaubetem Wald.
Und schon nah ist der Sommer, schon hoch mit gelblichem Halme
  Wogt das Getreide, und schwer hat sich die Æhre geneigt.
Und mit der Saat wuchs reifende Hitz: hoch strahlet in weiten
  Kreisen die Sonn', und lang wurden die Tage und schwül.
Müd vom staubigen Feld kehrt, Schweiss auf der Stirne, der Pflüger;
  Und, kaum ziehend die Last, keuchet am Wagen der Stier.
Aber es schützet das dichte Gebüsch vor sengendem Strahle,
  Dunkele Windung des Thals schützet die weidende Heerd'.
Kühlende Laub' dir flechten des Weinstocks Ranken, und zarte
  Zweige zu lieblichem Flor mischen die Linden gereiht.

Auch nicht fehlet der Bach, zu trænken die üppigen Auen,
Nicht der erfrischende Quell fehlet zu stillen den Durst.
Aber zerriss'nes Gewœlk, sieh', stürzt in rauschendem Regen;
Finster vom flammenden Blitz leuchtet der Himmel durchzuckt;
Durch den erschütterten wælzt sich grauses Getœse: mit Beben
Huldigt der sterbliche Mensch seinem allmæchtigen Gott.
Aber die dürstende Erd' gern œffnet den Schooss sie der Gabe:
Froh nun blüht sie, erquickt, wie in verjüngendem Schmuck.
Fluren erfrischen zugleich die Gewitter und lindern die Hitze,
Kühlere Lüfte sie auch lindern des neigenden Tags.
Liebliche Nacht, von des Monds sanftschimmerndem Lichte gehellet,
Reitzend verbreitete Ruh' über Gefilde und Wald!
Liebliche Nacht, in der schœuen Natur nichts Schœneres fand ich,
Süsseres meinem Gemüth fand in der süssen ich nicht.
Siehe, der Herbst ist da: schon füllet Getreide die Scheunen,
Und von reifendem Obst beugt sich beschweret der Ast.
Schon von milderem Saft schwillt purpurfarbig die Traube,
Und auf gesegneter Flur wæchset des Ackerers Müh'.
Frœhlich sammeln sie ein der gemeinsamen Mutter Geschenke,
Dass sich der Winter, des Guts Fülle verzehrend, erfreu'.
Und sie erheitern den Geist durch frœhliche Feste des Dorfes:
Schon sind die Abende kalt, lang ist geworden die Nacht.
Denn jetzt neigt sich das Jahr, und Frühreif graut auf dem Felde,
Weil von zierendem Laub stehet beraubet der Baum:
Sinnbild neigenden Lebens, des kalt hinwelkenden Alters:
Schon von des Nordwinds Hauch trauert erstarrend die Erd'.
So ist mannigfaltig das Jahr; anmuthig nicht minder
Wechselt des Tages Gestalt: rosig erscheinet die Früh',
Ueber Gebirg und Waldung verbreitend den lieblichen Schimmer,
Und mit perlendem Thau glænzet bestreuet das Gras.
Siehe, der Erde entschwang sich die Lerch', hoch schwebend im Æther
Mit frohwirbelndem Lied grüsst sie des Tages Beginn.
Aber der wackere Pflüger erhebt sich rüstig vom harten
Lager, und willigen Schritt's kommen die Stiere zum Joch.
Niedrig gelinde, verdoppelt die Glut in Mitte des Laufes
Kreisend die Sonn': jetzt sucht Schatten die irrende Heerd';
Und, durch schützenden Zaun abwehrend die brennendeu Pfeile,
Freuen Besteller der Flur müde sich lændlichen Mahls.
Mæssiger sinket die Sonn', stets schrægere Strahlen versendend:
Mild in rœthlichem Licht kündet der Abend sich an.
Schweigend ihm folget die Nacht: jetzt glænzen Gestirne, es glænzet
Wechselnden Lichtes Gestalt immer erneuend der Mond.
So die Natur blüht jugendlich stets, in unendlicher Vielheit
Ew'ger Gestalten gehorcht ewig sie ihrem Gesetz.
Drum ward Gleiches auch nichts vom menschlichen Geiste ersonnen:
Was da fruchtbar auch mag wechseln und mischen die Kunst,
Jene bewundernd in Form, und den Reitz nachahmend der schœnen,
Doch weiss selbst das Genie nicht zn erreichen ihr Werk.
Denn et bemüht sich die Kunst ihr æhnliche Bildung zu schaffen,
Und, wie næher sie kœmmt, selber gefællt sie auch mehr;
Und, nacheifernd dem mystischeu Sinn und der gœttlichen Regel,
Will sie in eigenem Werk finden die Hand der Natur.
So sich Hügel und Bach, so bildet sie Felsen und Grotte,

So nachahmend mit Wahl ordnet sie Wældchen und Quell.
Eiteles Streben! Erhaben, in eigener Reitze Verschwendung,
Bleibt doch stets die Natur über Gebilde der Kunst.
Hehrer erscheint sie dem Blick in eigener Wunder Entfaltung,
Süsser in eigner Gestalt rühret sie fesselnd das Herz.
Drum nichts schœner, als sie, in unendlich verændertem Schmucke,
Reitzender nichts, als sie, kennt das erhabne Genie:
Heiliger Einfalt gepaaret verehrt es die zaubernde Grœsse,
Womit innig den Sinn, innig die Brust sie bewegt.
Darum siehest du auch der Natur vor allen die Sænger
Folgen in feierndem Chor, welche die Muse geweiht.
Denn sie selber erfreut sich gesellt den Camœnen, und alle
Schætze mit Liebe dem Blick breitet der Holden sie aus.
Mæchtig regt' sie Homeros, die weltumfassende Seele,
Rührend die Saiten, gestimmt ewigem Heldengesang.
Und, wie in Hellas, gœttlich erscheint sie in Latiums Musen:
Hoher Lucrez, sie weht durch dein entzückendes Lied,
Der du lehrtest der Ding' Ursach' und Entstehen und Ende,
Und wie nicht Gœttergewalt ordnet des Sterblichen Loos.
Auch Virgilen den Mund sie bildete: Rhythmus und Stimme
Ahmt der erhabene ihr nach in melodischem Klang:
Sey's, wann plœtzlich der Wind sich brausend erhebt und die Flut schwellt,
Dass von der Hœhe des Meers eilend zum sicheren Strand,
Taucher sich retten mit lautem Geschrei, und, die Sümpfe verlassend,
Ueber das hohe Gewœlk schwingt sich der Reiher empor;
Oder wann tief im Thale die Kraniche fliehn vor der Schauer,
Und in die Nase die Kuh schlürfet den kühlenden Thau;
Weil nach Regen die Kræh' auch ruft, und Vœgel des Meeres
Reichlich besprengen den Hals, eifernd in spielender Lust;
Sey's, dass sich heitert die Luft, und der Uhu kreischend sich müdet,
Weil froh kræchzend zum Nest kehret der Rabe Zurück.
Nicht mit minderer Kraft noch Anmuth auch, wie des Landvolks
Schlichtes Gemüth die Natur rege, Virgilius Sang,
Welchen das grünende Feld und einsame Wælder Gefallen,
Welche bei weidender Heerd nimmer vergessen der Lieb':
Wenn an heiligem Quell labt kühlender Schatten den Schæfer,
Den zum Schlummer die Bien' ladet mit sanftem Gesumm;
Oder dem Traurenden tœnt das Gestræuch von klagenden Grillen,
Oder die Blume zum Kranz seiner Geliebten er wæhlt.
Siehe, der Roma Gewühl und den Thurm, wo den tuskischen Ritter
Langweil lassen nicht will, meidet sein trauter Horaz.
Denn dich suchet, Natur, in einsamer Gegend der Sænger;
Und nicht kœstliches Mahl hælt ihn, nicht Chloe zurück:
Wandelnd umher um Tibur, betrachtet er Hügel und Waldung,
Und, die in heiliger Grott' rauschet, Albuneens Fluth;
Felder mit Obst er betrachtet von rieselnden Bæchen befeuchtet,
Und wie im Felsengeklüft, Anio, stürzet dein Strom.
Müde des Reisens zu Wasser und Land, gebt, bittet er, Gœtter,
Gebt mir Tiburs Gefild nahendem Alter zum Sitz!
Soll ich erwæhnen in neuerer Welt von den Musen Geliebte?
War nicht allen gemein innige lieb' zur Natur?
Soll ich dein tiefempfindend Gemüth in den Zeiten des Jahres,
Thomson, oder das Werk rühmen, das Vaniere Sang,

Güter der Erde verbindend mit Leben und Arbeit des Landmanns?
Soll ich rühmen den Glanz deiner Gedichte, De Lille,
Der du, mahlend mit lieblicher Fülle lebendiger Farben
Schilderst die Reitze der Flur, so wie der Reitze Genuss?
Oder Petrarca, den Zarten, mit gœttlichem Geiste, und jenen,
Welcher von Gottfried's Heer, welcher Arminia Sang?
Oder, wie gaukelndem Spiel zahlloser Gestalten aus deiner
Magischen Welt, Ariost, wundervoll folgt die Natur?
Weil ich die Geister betrachte, die hohen, mit flammender Liebe,
Deutschlands Muse, wie regst du mir gewaltig das Herz!
Nimmer versuch' ich es, nimmer, erhabene Seelen, die Wunder
Gœttergesanges durch schwach tœnenden Laut zu entweih'n.
Nimmer im Arm der Natur dich, Schiller, zu singen, und wie sich
Brust entflammet an Brust, Liebe umschlungen mit Lieb'.
Nicht in den Schooss der Natur ziemt's meinem Gesang dich zu retten,
Wenn vor græsslichem Bild wüthenden Lebens du fliehst.
Glücklich, o, welchem die Musen ein Gott, mit reinem Gemüthe,
Glücklich, o, wem der Natur Freuden zu lieben er gab!
Wahrhafter Güter Genuss ward ihm, der des üppigen Reichthums
Fülle zu fliehen Gewohnt, so wie der Mæchtigen Schwell.
Sie giebt Traurenden Trost und erquickende Ruhe den Müden,
Und mit schonender Hand jegliche Wunde sie heilt;
Sie tilgt Uebel der Seele und scheuchet sie trübende Wolken,
Sie stillt hassenden Groll, stillet den leidigen Neid;
Sie auch bændigt den schwellenden Stolz, und mahnt uns, dass eines
Vaters doch alle zugleich, Kleine und Grosse, wir sind.
Eckel auch nimmer gebieret die Freude, die sie uns gewæhret,
Eckel, der gerne der Macht, gerne dem Golde auch folgt;
Der zu mischen sich pflegt in Jauchzen des gaffenden Pœbels,
Drückend im Circus sich ihm und im Theater gesellt.
Nicht auch kennt sie verschmæheter Liebe verzehrende Flammen,
Nicht in bethœrender Lust welkender Blüthe Genuss.
Denn unschuldige Freuden, der Sanftmuth, der redlichen Einfalt
Freuden gewæhrt die Natur, Freuden des kindlichen Sinns;
Wie sie genossen in Eden die Eltern des Menschengeschlechtes,
Bis sie fielen, von dir, listige Schlange, bethœrt.
Drum noch fühlet der Mensch sich næher dem seeligen Garten,
Wie mehr nach der Natur Freuden sich sehnet das Herz.
Immer ermahnet sie ihn zu denken der hœheren Abkunft,
Immer den Schœpfer sie ihm zeigt und den waltenden Gott.
Nicht nach blendender Macht, nach Gunst nicht zu ringen der Menge,
Nicht auf Erden zu hoch mahnet zu streben sie ihn.
Lass mich wandeln mit dir: wie die Amme den Sæugling, auf deinem
Pfade mit liebender Hand, Heilige, führe du mich.
Dass, wenn müde ich bin, dass, zærtliche Mutter, an deinem
Busen ich himmlische Ruh sauge und himmlische Lust.
Was mich immer bewegt, du warst mir des Herzens Vertraute,
Warst im Trauer mir Trost, trocknetest Thrænen mir ab.
Süss du læcheltest mir an jeglichem Orte: in deinem
Schœoss, o, lasse zuletzt wieder mich sehen mein Land!
Dass, wo einst ich dich liebte, beginnend die Blüthe des Lebens,
Wo ich als Knabe dich liebt'; ich dich noch liebe, als Greis.

AM CHRISTTAGE.

Christtag, sey mir gegrüsst! Du bringst aus Jahren, die fern schon,
Manches mit dir, das heut meinem Gemüthe noch werth.
Bleibt ja ein Theil im spæteren Leben, ein grosser, die Jugend,
Und wenn wenig das Jetzt, fesselt das Alte uns mehr.
Studien kehren zurück mit Spiel und trauten Gespielen,
Und was Freude, was Leid heget der Liebenden Lenz.
Aber an nichts aus früheren Tagen gedenk ich doch œfter,
Als, wie Religion Geist und Gefühl mir beherrscht.
Denn mir war es nicht so, was selbst nun læcherlich Knaben,
Was zu vergnügen die Meng deucht die unwissende gut.
Auch war's damals Weise so nicht in meinem Geburstort,
Vater und Mutter dazu Muster von christlicher Sitt'.
Streng war hæusliche Zucht, streng Schul' in frommen Gebræuchen;
Gott im Gebete geweiht, sollte das Lernen gedeihn.
Eine des Tags war immer der Kirche geheiligt, und manchmal
Mehrere Stunden, ja oft ward uns zur Kirche die Schul'.
Religion sie zierte den Mann, vor Allem die Jugend,
Und in der Jünglinge Kreis tœnte kein gottloser Mund.
Und bald war er verschrien zum Freigeist, wer in dem Stædtchen
Theil zu nehmen verschmæht' an den Gebræuchen der Kirch.
Aber ein Græuel vollends war jedem, ein schreckendes Scheusal,
Wer mit Religion trieb und mit Gœttlichem Spott.
Wie ganz anders nun ist's! Wohin du dich wendest, wie Mancher,
Dem gleich kindischem Tand glauben an Heiliges scheint!
Doch ich lasse den Starken sie gern; in blæhender Weisheit
Hebe sich hœhnend ihr Stolz über den Pœbel empor,
Welchen erstarrt' in Vernunft das Gefühl, aus verwundetem Herzen
Welchen zum Troste gelang forschend zu scheuchen den Gott.
Lasst mir die Einfalt; lieb ist sie mir: was einstens so süss war,
O, noch jetzt das Gemüth kehr'es erquickend zurück!
Minder erfreut gar Vieles mich ja, aus früherem Leben
Bringt von Vielem mir ja spæte Erinnrung Verdruss;
Vielem, was længst in den Strom der Vergessenheit gern ich gesenket,
Wann es, vermieden umsonst, heitere Stunden mir trübt'.
Aber, die Frœmmigkeit weckt', sie blieben mir theure Gefühle.
Und so denk ich noch heut festlicher Tage mit Lust.
Was hat Froh'res das Jahr für den Christusverehrer, als jenen,
Wo ihm Maria den Sohn Gottes die reine gebar?
Was hat irgend die Schrift so werth der Bewundrung, was bliebe,
Selbst wem Glauben gebricht, lieblich wie jene Geschicht'?
In dem Gehæge des Viehs, Stroch ist sein Kissen, geboren
Aus jungfræulichem Schooss, liegt der Erlœser der Welt.
Hirten erscheinet ein Engel, erzæhlt den erschrocknen das Wunder:
Botschaft bring ich des Heils, fürchtet die frœhliche nicht.
Preis dem Erzeuger, dem Ewigen, sey, und Friede, wo guter
Wille, dem Erdengeschlecht! singet der Seeligen Schaar.
Aber, gehorchend vom Himmel dem Wort, froh eilet der Fluren
Volk zu der Kripp', und Gott schauen im Kinde sie an.
Sieh, drei Weise, wie einst es verkündeten heil'ge Propheten,
Führt aufgehend ein Stern ferne vom Orient her!

Niedergebeugt sie beten ihn an den Schœpfer des Weltalls,
Gaben dem Kœnige dann reichen die Kœnige drei.
Diess nun alles in Kirchen zu schaun, wie sehr es den Knaben
Freuete, traun, nicht leicht wær'es zu schildern dem Mann.
Dahin ging's um die Mitte der Nacht, zu hœren die Christmess
Dahin gingen gesammt Vater und Mutter und Kind.
Mancher auch mied zu gehen allein aus banger Besorgniss:
Ist gleich Nacht sie des Heils, scheuen doch Geister sie nicht.
Günstig vor andern sogar Schatzgræbern sie ist, und die Wünschel —
Ruthe geschnitten in ihr mæchtig vor andern sich zeigt.
Schreckende Larven erscheinen auch heut, in seinem Reviere
Gehet der Schatten, die Rund haltend, der blasse umher.
Und so hausten auch uns gar viele Gespenster im Stædtchen:
Hinter dem Brünnchen, nicht weit, Knabe noch, wonht' ich davon,
Sass und laurte ein Weibchen, ein graues, von bœser Bedeutung,
Und ich eilte wohl selbst an dem verdæchtigen Ort.
Anderswo hatte man grausend gesehn, wie ein Mænnchen so winzig
Plœtzlich sich dehnt', und im Nu schwellte zur Riesengestalt.
Sagen vom kopflosen Mœnch noch hœrt' ich und andere Mæhrchen,
Was zu singen mir schlecht ziemet an heiligem Tag.
Aber die Kirche, die kleine, sie both ein ergœtzendes Schauspiel
Von des Erlœsers Geburt Greisen und Kindern zugleich.
Denn von Kerzen die Menge des Chors zwei Nebenaltære,
Von unzæhligen auch glænzte der Mittelaltar;
Laubiger Schmuck dazwischen, und kindliche Engelfiguren,
Und mit pünktlichem Fleiss jegliches Plætzchen geziert.
Aber, wo im Tabernakel das Brod, das geweihte, bewahrt wird,
Offen darüber den Stall sah man mit strohenem Dach;
Sah im Stalle die Kripp', und der Jungfrau Gatten der reinen,
Sah vor beiden auf Stroh liegend in Windeln das Kind.
Auch nicht fehlten die Thiere des Stalles, der Ochs mit dem Esel,
Hirten auch fehleten nicht, nicht mit dem Hunde die Heerd.
Aber noch stehen sie weit vom Ost herziehend die Weisen,
Und, der führend voran leuchtet den Frommen, der Stern.
Denn, wie ferne sie sind, so stehen sie heute noch ferne,
Doch, wie nahet ihr Tag, nahn sie der Krippe zugleich.
Jedem der Kœnige gehen zur Seit drei Diener, Geschenke,
Weihrauch, Myrrhen und Gold, tragen dem Kinde sie drei.
Horch, da tœnet die Glocke, die Mittnachtsstunde verkündend:
Jetzo beginnen zu drei Væter die dreifache Mess.
Der du menschlicher Sünd Sühnopfer dich weihest dem Vater,
Sey in Windeln, o sey, gœttlicher Knabe, uns hold!
Wæhrend die Handlung, die heilige, daurt, fromm betet die Menge,
Und einstimmend zum Chor heben den Hymnus sie an.
Deine Geburt sie singen, vom Jungfrauschoosse sie grüssen,
Christus, vom ewigen Wort grüssen erzeuget sie dich;
Dich aus Liebe zum Menschengeschlecht sie preisen geboren,
Friede der Erde, Triumpf, Christus, der himmlischen Schaar
Singen dich Herrscher der Welt, und singen im Stalle dich liegend,
Singen, wie Leid mit uns, sterblich geworden, du theilst.
Wie du den Kœnig, bewunderen sie, wie den Knecht du auch liebest;
Denn, wie die Weisen, so hold nahmest die Hirten du auf.
So sie begehen die heilige Nacht; sie reden von Christus,

Feiern zu Hause dich noch, freuend sich deiner Geburt.
Aber mir bleibe sie süss die Erinnrung an Tage, zu deinem
Fest wo Knabe ich einst frœhlich mit frœhlichen Kam.

NUNC FACILI, TRIPLEX DIVA, LABORE FAVE.

Einst zu bewundern mir gnügte, was andere Schœnes geboren,
Nun an eigener Frucht mœchte sich freuen der Geist.
Wæhrend den Saamen ich barg, Mnemosyne, Lachtest du hold mir;
Jetzt, Lucina, zu dir fleh' ich um leichte Geburt.
Was im reinen Gemüthe mir Pallas gebildet, so würdig
Schau es das Licht, und auf ihm weile der Grazien Blick.

DER EWIGEN ROMA.

Roma, Tochter des Mars, hochsinnige Herrin der Vœlker,
Die dir beugte Gewalt, die dir befreund'te Gesetz;
Roma, durch Tugenden Hehr, dann Wüth'rige næhrend dem Erdkreis,
Staunen in wachsender Kraft, Staunen erregend im Fall;
Gœtter und Siegestrophæen gewaltiger Mænner verschwanden;
Doch, was du warest, bezeugt selbst noch in Trümmern die Erd.
Grossem und Kleinem zu sterben ist Loos; doch das Leben der Menschheit,
Ewig daurend, bewahrt zahllose Spuren von dir.

DIE RHUR.

— Placere laus maneat patriæ
me voluisse meæ.

Jeglicher Fluss Germaniens rühmt uns seine Poeten;
Fehlt's ja dem winzigsten selbst nimmer an Bardengetœn.
Ilm und Spree sind liederberühmt, und Necker und Cynthus,
Den mit der Lyra Tibull's Lotich, der liebliche, pries.
Rühmest auch du dich einst, o bescheidene Rhur, und erwæhnet
Düren auch meiner, nachdem bessere Sœhn'es genannt:
O, so sage, dass der, den rœmisch zu singen nach Deutschlands
Dichtern sie lehrten, an dir Latiums Musen geliebt;
Dass von Düren er sang, von Tagen, von Freunden der Kindheit,
Von den Gefilden, die du Segen verbreitend durchstrœmst.
So wird, wenn auch verhallet mein Lied, zum Lob mir gereichen,
Dass in der Fremde mir blieb theuer mein væterlich Land.

J. D. FUSS IN CARMINA,

QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR

NOTÆ.*

*Notas hasce non tam rerum, quas carmina tractant, interpretandarum, quam grammaticas criticasque esse voluimus, linguæ scilicet latinæ, et dictioni nostræ versibusque, sive illustrandis sive defendendis, potissimum destinatas. Itaque rebus explicandis in plerisque nihil, in cæteris, ubi, velut in *Roma*, et in *Aniene exhausto*, vel amplissima ejusmodi notis materies, minimum tamen his tribuimus. Ne que aliter facere poteramus, quin spatium huic voluminis nostri parti concessum longe excederetur. Atque hoc eo minus fuit nobis committendum, quoniam carmina, sive nostra sive, quæ vertimus, paucis exceptis, talia sunt, ut ad intelligentiam, quæ cum voluptate lecturo sufficiat, nihil præter linguæ latinæ non mediocrem scientiam requiratur; quam qui adferent, (neque alios mihi lectores optarim,) eos, consentaneum est, ab rerum quoque cognitione ita instructos fore, ut in iis carminibus, in quibus harum interpretationem tirones maxime flagitarent, aut nullas aut paucissimas notas desiderent. His adeo gratius, opinor, quam res explicando, fecerimus comparanda quædam vel veterum vel recentiorum inserentes; quamquam hic quoque et paucis locis acquiescendum, et in singulis brevissime defungendum erat. Plus aliquanto spatii neolatinis carminum germanicorum interpretibus, Fischero, Feuerleinio Seyffertio, aliisque concessimus, non leve ad poesin neolatinam sapienter commendandam arbitrati, si ejusmodi conatibus, neque meritis laus deesset, neque immeritis, quod in præfatione quoque hujus voluminis attigimus, contingeret. Nec vero indulgentiores mihi censores optavero, quam memet aliis præbuerim, missis scilicet cæteris, de re, quantum sentiebam, libere et ingenue pronuntiantem.

Ad paginæ 1. seriem 1. Schlegelis *Roma*, non modo præ cæteris inclyti illius scriptoris insignis est, sed inter primaria nostræ ætatis Germaniæ poetarum carmina celebratur, quam tulit, laude cum aliis dotibus, tum dictione, neque minus versus elegiaci arte dignissima. Ad hanc trahendum, quod, quum in numeris veteris hexametri et pentametri imitandis vel præstantissimi alioquin poetæ, malo ipsius Klopstockii exemplo, trochæum passim pro spondeo usurpassent, Schlegel in *Roma* trochaicos pedes severe excludens, auctoritate sua multos, ut majorem versibus perficiendis curam adhiberent, permovit; quos plerique tales facere consueverant, ut, veteribus comparati, hexametri et pentametri nomine magis, quam numeris, esse viderentur. Cæterum, de trochæo prorsus vitando, difficillima sane in lingua germanica, ob spondeorum paucitatem, opera, nos, quid in utramque partem a multis disputatum, mittentes, non temere adfirmari posse existimamus, non nullos, Schlegelis exemplum secutos, in illa re jam id fere, quod præstare lingua valeat, attigiss'e; inter quos si non palma deferenda Ben. Willmann, certe, quem huic præferamus, neminem novimus. Cæterum, ut rem, quam paucis rite explicare nequeas, hic verbo significemus, summum in hexametro germanico adsecuti concentu tamen numerorum omni ex parte similem latino efficere frustra conarentur; propter diversam scilicet accentus rationem, qui in lingua germanica fere cum longa syllaba, in latina contra cum brevi quoque sæpissime congruit. Nonnulla huc trahenda habes in nota ad pag. 101, plura in dissertatione nostra, ibidem memorata, de versibus homœoteleutis.

De argumento autem *Romæ*, veterum historiæ et

litterarum parum gnaris optimam operam navavit J. J. Dilschneider, in suo et Willmanni commentario ad Seberi *Muster-Sammlung deutscher Gedichte*, cui meam quoque elegiæ translationem insertam viri doctissimi veteresque amici voluerunt. Mihi vero, ut jam dixi, in notis hisce magis alia, quam rerum interpretatio, proposita; quare, quod ad illam, in hoc quoque carmine paucissimis defungemur.

In primo versu *Parthenopes ubere* Neapolin intellige, quæ prius Parthenope dicta, idque nomen vel serioris ævi scriptores Græci, inter Latinos autem poetæ tantum, ut Virgilius in *me dulcis alebat Parthenope*, retinuerunt. Neapolin situs amœnitate et cœli temperie mire placere, notum; quo rectius hujus urbis vitam poeta Romæ ruinis, tanquam morti, opposuit. Sententia non dissimilis locus Sarbievii (Lyric. 2, 27):

Me projecta jacentium
　Passim per populos busta Quiritium,
Et vilis Zephyro jocus
　Jactati cineres, et procerum rogi,
Fumantumque cadavera
　Regnorum, tacito, Rufe, silentio
Mœstum multa monent. —
　— Regum titulos, et tumulos super
Fulgentem premo gloriam, et
　Calco nobilium nomina Cæsarum.

Ad locum *læta quidem* etc. cf. Rutilii:

Sed cœli plaga candidior, tractusque serenus
　Signat septenis culmina clara jugis.

Ex hujus *itinerario* alia etiam mutuatus Schlegel. Romæ autem septem in collibus situs multis veterum poetarum versibus celebratur, quo, cum loco Tibulli, huic elegiæ inserto, trahendum Ovidii *Trist.* 1, 5, 69:

— quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma deumque locus.

Quibus sententia congruit Virgilii, *Georg.* 3, 534:

— Rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Ad Saturnum, Olympo profugum, refertur locus Virgilii, *Æn.* 8, 319, ad aureum, ut vocat Schlegel, ejusdem, *Georg.* 2, 538, aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat. De Jano cognominem ei montem, Janiculum, occupante pariter multa fama. Ex Ovidio, *Fast.* 1, 246, ad rem pertinet:

Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
　Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.

Ad pag. 1, seriem 2. De Evandro, et Hercule, ab illo in monte Palatino hospitii more excepto, insignes loci sunt Livii, 1, 7, Virgilii, *Æn.* 8, 333 et 359, Ovidii, *Fast.* 1, 470. De Caco, latrone et monstro ignivomo, suavissime Virgilius, *Æn.* 8, 193, Propertius, 4, 9, 7, Ovidius, *Fast.* 1, 543.

In *stramineamque casam Alcides*, et in disticho sequenti habes pentametrum nulla orationis distinctione, nullo commate, finitum; qualem apud Ovidium et Tibullum non reperi. Propertius tamen unum, at hoc quoque ambiguum exemplum præbet. Contra Catullus, de numerorum suavitate minus, quam illi, sollicitus, ut in aliis, sic in hac re Græcorum licentia largius utitur; si quidem licentiam recte adpelles, quod, nisi vitaretur, frequentius occurrere necesse esset. Quanquam Græci an omnino, quatenusve vitaverint, ex elegiacis eorum reliquiis non satis intelligere potes; nam idem in aliis, velut in fragmento Hermesianactis, sæpius, in aliis, ut in Phanoclis de Orpheo elegis, itemque in Euripidis distichis, ejus *Androm.* insertis, ne semel quidem reperies. Apud Callimachum exempla non desunt quidem, sed neque his ita moveor, ut Græcos id nullo discrimine usurpasse credam, quod elegorum numeris, quod elegiaci carminis indoli, (habet enim suam hoc, ut alia,) repugnat; neque vero aliam ob causam a Tibullo, Propertio et Ovidio vitatum existimo, nisi, quia his in Græcis quoque nec placuerit, et rarius occurrens pro licentia vitanda potius quam imitanda habuerint. Cui hoc etiam, veterum opera fragmentaque comparanti manifestum, addere licet: omnino scilicet latini Augustei ævi poetæ, in versibus ad artis legem et græca exemplaria fingendis, multa rarius, aut prorsus non usurparunt, quæ priores, in quibus Lucretius quoque et Catullus hoc nomine ponendi, frequentius, idque non tam, censeo, probantes, quam versus facilius conficiendi gratia admiserant. Ego autem, quod de pentametro hic monui, quum diu non satis attendissem, in propriis etiam carminibus me, tametsi raro admodum, ab elegia Augusteæ ætatis aberrasse, tandem animadvertens, in his quidem mutare, quam pentametro nullo commate finito ab exemplaribus meis discrepare, malui; nec enim ad Græcorum reliquias hic mihi confugiendum, sed latinos potius elegiaci carminis principes imitandos reputavi. At in Germanicorum poetarum elegiis vertendis, quod harum auctores non vitassent, fortasse etiam, quod de Schlegele facilius crederem, amassent, id nec mihi interpreti interdixi; quin ideo aut illos hac in re probarem, aut in germanicis antiquo metro elegiis magis, quam in latinis, a Tibullo, Propertio et Ovidio discedendum esse arbitrarer.

Ad verba *quæ Thybris — recepit* cf. Virg. *Æn* 8, 86, locum de Tiberi Æneam recipiente, quem Schlegel ad ostia Tiberis subeuntem heroem transtulisse videtur, quo trahenda, quæ Virgilius *Æn.* 7, 36.

Ad *mundi fœtas imperio cineres*, Romam scilicet e Trojæ cinere, sive Trojam in Roma resurgentem, locus Propertii, 4, 1, 51, Ilia tellus vivet, et huic cineri Jupiter arma dabit.

Ad muros Romæ vomere, solenni in urbibus consecrandis more, designatos locus Ovidii, *Fast.* 4, 825, premens stivam (Romulus) designat mœnia

sulco. Ad *grandia* urbis *fata* versus Rutilii: excedis factis grandia fata tuis.

De *saxis tuscam sectis ad amussim*, notandum, Romanos multa ab Etruscis sumsisse, a quibus etiam ad opera publica a Tarquinio S. opifices accitos Livius, 1, 55, testatur. Inter celebrata autem illius ætatis Romæ opera cloacæ, ad quas pertinet in elegia nostra *cameras tellure recondunt*, et rupes Tarpeja munita, ad quam *Jovis rupes molibus riget*.

Animi venere Deci Brutique secures e Propertio, 4, 1, 45, desumtum. *a stiva focove duces* vides ad Quintium Cincinnatum, Attilium Serannm, Attilium Regulum, inclyta nomina, pertinere. De Cincinnato Persius, 1, 74, quem trepida ante boves dictatorem induit uxor; et tua aratra domum lictor tulit. Pro *stiva* maluissem sane *aratro* aut *vomere*, sed nec illud versus recipiebat, et in *vomere adsunt*, quod hucusque retinueram, nimis me offendebat omissa præpositio, quam tamen, non dubito, quin veterum exemplo satis tueri potuissem.

Ad pag. 2. seriem 1. Cum versu, *dignior effigies nec fuit ulla Joris*, sententia convenit Rutilii:

Semina virtutum demissa et tradita cœlo
Non potuere aliis dignius esse locis.

Ad *rustica corda* cf. Propertii 4, 1, 11, curia— pellitos habuit, rustica corda, patres. *Vasta fera* vides ad elephantum pertinere, cujus adspectu Fabricium terrere frustra meditatus Pyrrhus.

Versus *non Samnis Brennusve domat, non Hannibal ipse* sententiam in his expressit Rutilius:

Victoris Brenni non distulit Allia pœnam;
Samnis servitio fœdera sæva luit;
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
Flevit successus Hannibal ipse suos.

De Roma autem per se ruente, ad quam sequens elegiæ versus, egregie Horatius initio epodæ 16.

In loco *sic quoque magna* etc. *indomiti pectus sublime Catonis* congruit Horatiano: cuncta terrarum subacta præter atrocem animum Catonis.

In pentametro *capta vehunt* etc., *capta signa* in iis sunt, de quibus Juvenalis, 8, 106, referebant navibus altis occulta spolia et plures de pace triumphos.

Ad pag. 2. seriem 2. In loco *quæ gravis* etc. sphingem e lapide Syenite, quem *granitem* vulgo vocamus, et leonem e basalte *cæsa Syene* diximus, illam quidem satis recte; leo autem, si non Syenites, certe Ægyptius est. Servato *basaltes* vocabulo versus tolerabilis non concedebatur. De obelisco solis, notum est, ab Augusto cæterisque imperatoribus multos esse ex Ægypto Romam transvectos, e quibus plures hodie superstites. Soli sacros, ejusque radiorum tanquam imaginem fuisse obeliscos, auctor est Herodotus; cujus testimonio addendus locus Plinii, 36, 8, idem, quamvis obscure, declarans. Hanc igitur formam designans poeta, obeliscum dixit Romæ, diversa cœli facie, peregrinum astrum, sive alium veluti solem, imitanti radio salutare.

De velis theatrorum ad quæ *quos supra fluitat fragrantis purpura veli*, insignis locus Lucretii, 4, 73. Ad eadem Propertii. 4, 1, 15,

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
Pulpita solemnes non oluere crocos.

Ubi vides simul, cur fragrantia noster adpellet; quia scilicet, si non vela quoque, certe pulpita gradusque theatri odoribus, inter quos crocus, conspergebantur; quo e Senecæ epistola 90. trahendum: Qui invenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat.

In versu *permutant emto sanguine servitium*, ne ab archetypi sententia aberres, *emto* intellige de imperatoris sanguine, quem prætoriani vendunt, sicque servitium, novum videlicet dominum eligentes, permutant.

In disticho *et quam Parthus* etc. *vera fuga* opponitur fictæ, qualis sæpe Parthorum fuga, qui fugientes quoque sagittas a tergo mira dexteritate mittebant; unde Ovidii, *Fast.* 5, 591, solitæ mitti post terga sagittæ, et Virgilii *Georg.* 3, 31, fidentemque fugæ Parthum versisque sagittis.

Ad pag. 3. seriem 1. Locum *Wandalicæ — classes* refer ad Romam a. 455. a Genserico vastatam; clementius captam adflixerat Alarichus a. 410.

Olim lux veniet, etc. verba sunt Hectoris Andromachæ instantem Trojæ ruinam prædicentis, e nobilissimo Iliadis loco, 6, 447. De ruinis Romæ sic Janus Vitalis:

Quid Romam in media quæris, novus advena, Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media?
Aspice murorum moles, præruptaque saxa,
Obrutaque horrenti vasta theatra situ:
Hæc sunt Roma: viden', velut ipsa cadavera tantæ
Urbis adhuc spirant imperiosa minas?
Vicit ut hæc mundum, nisa est se vincere, vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est,
Atque eadem victrix victaque Roma fuit.

Ad fremitus niveo sæpe pavente jugo aptius exprimunt verba Propertii, 3, 3, 14, ad vulgi plausus sæpe resistere equos; unde Ovidii, *Trist.* 4, 2, 53:

Ipse sono, plausuque simul, fremituque canentum,
Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.

In loco *en ibi, quæ* etc., de Palatio et Neronis luxu, notandum, Romam nascentem, quam romuleam vocat poeta, uno monte Palatino contineri (cf. vers.

elegiæ 31.), quem totum paulatim occupantes Cæsares, cæteros ejus loci incolas migrare coegerunt; Nero autem aurea, ut vocant, domo vicina quoque non pauca complexus; quo referendum apud Suetonium, in vita Neronis, epigramma:

Roma domus fiet: Vejos migrate, quirites,
Si non et Vejos occupat ista domus.

Versus *en ibi* etc. sententiam expressit Claudianus, de VI. Cons. Honorii, 409, in: cur mea, quæ cunctis tribuere Palatia nomen, neglecto squalent senio?

In loco *carpite* etc., de Sibylla vaticinante cf. Tibulli 1, 2, eleg. 5, unde petitum Schlegelis distichon *carpite nunc tauri* etc. Quod ad boves in foro boantes, forum romanum intellige; quem locum, ruinis insignem, nunc *campo vaccino* adpellant, utpote armentis iterum frequentatum, ut olim, quo tempore Evander advenam Æneam hospitio excepisse narratur; quo trahenda Tibulli, 2, 25, sed tum pascebant herbosa Palatia vaccæ, et Virgilii, *Æn.* 8, 360, passimque armenta videbant Romanoque Foro et lautis mugire Carinis.

Ad pag. 3. seriem 2. In loco *Virgineo* etc. fontem intellige, qui inter veteris Romæ aquæductus, aqua virgo, a virgine, ut quidam volunt, quæ fontem indicasset, vocatus; quem, a Vipsanio Agrippa in urbem deductum, Pius IV. P. M. restituit. De aquæductibus Rutilius:

Quid loquar aerio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?

In hexametro *marmore si* etc. virides columnas diximus quas Schlegel porphyreticas, quam vocem versus excludebat.

Versus *ceu tortis asinum funibus Ocnus alit* irreparabilem veteris Romæ virtutem imagine hominis, ut nos quidem judicamus, inertis ac prope torpentis adumbrat. Talis utique est Ocnus in pictura veteribus memorata (vide Plin. H. N. 35, 2, et Pausan. in *Phoc.* pag. 345 ed. Wechel.), qui, ut expressum habes in *Museo Pio-clementino*, funem torquens, asellam, quæ confectam partem devorat, abigere non curat. Ad eundem pertinent versus Propertii, 4, 3, 19, ubi Arethusa, absentem maritum querens, bella sic detestatur:

Occidat immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo, funem qui torqueat, Ocno,
Æternamque tuam pascat, aselle, famem.

Cæterum picturæ illius non simplex explicatio; de quo nos aliquanto longius in notis ad priorem *Romæ* editionem.

Ad pag. 4. seriem 1. Elegiæ, naturæ, ut dicere recentiores solemus, pulchræ bona deliciasque celebranti inscriptionem fecimus binos versus e F. L. Comitis a Stolberg suavissimo poematio, cujus sequentes etiam strophas extremæ hujus carminis parti inseruimus, totum autem tribus distichis redditum damus pag. 26.

De constructione in versu *quos musæ decorant ingeniumque viros*, ubi simplicius fuisset *viri, quos* etc. vide notam ad pag. 11. ser. 1.

Distichon *usque eadem* etc. e Schilleri *ambulatione* (v. pag. 8) desumtum carmini inseriumus, in qu aliorum quoque poetarum locos imitantes aut designantes respicimus, neque ob eam rem centoni simile aliquid nos composuisse arbitramur, quam vulgarem nimis, ut in dessertatione animadvertimus, neolatinorum culpam, si quis alius, religiose vitavimus.

In pentametro *victrici* etc., non mirer, si cui forma ablativi suspecta sit; ego, an alibi quam apud Claudianum in *victrici solo*, occurrat, ignoro. Cæterum *victrice* sequentibus duabus consonantibus mutis, in metrum non peccaret, ut nec Juvenalis *occulta spolia*, nec Tibulli *pro segete spicas*; nisi, ut quidam voluere, ad vim producendi solas consonantes *sp* aut *st* exigas. Sola autem ictus vi equidem brevem vocalem in elegis producere nolim.

Locum a versu *quæ natura oculis subjicis alma meis* ad *scilicet innumeris* etc., quum in Senecæ *Consol. ad Marc.* 18, incidissem, vidi ex ampliore philosophi rerum in naturæ adspectu distinctione ita, vocibus quoque servatis, peti potuisse, ut mirum non esset, si quis mea, quamvis non sint, hinc vere selecta suspicaretur.

Ad pag. 4, seriem 2. In versu *germina conjugiis* nunc *connubiis* mallem.

In pentametro *nec gelidi fontis quæ levet unda sitim* in Ovidii, Heroid. 4, 173, sic tibi dent nymphæ — arentem quæ levet unda sitim, inscii incidimus. Quod si quis non ideo minus carpere, aut ridere etiam velit; possim sane maximorum inter veteres poetarum me exemplo defendere, velut, ut Græcos omittam, Lucretii, ipsiusque Virgilii, non aliorum modo versus versuumve partes suis inserentis, sed suos adeo ex alio in aliud carmen transferentis, aut Ovidii, tibulliana usurpantis; sed, quæ in ipsis veteribus non amo, in meis quoque necesse sit mihimet displicere. Cæterum, aliud est, si inscius, quam si, ut, quos modo memoravi, sciens, aliud etiam, si proposita loci alicujus imitatione, quam, si ob aliam, velut commoditatis, causam talibus utaris; quod ego si usquam fecissem, memet reprehenderem. Contra, quæ proposita imitatione, ut nonnulla in elegia, ad cujus locum hæc disserimus, adhibentur, in his ipsam imitationem damnare, absurdum non dubito, quin mecum diceres. Quæ denique inscio, qualia nec apud veteres desunt, se obtulere, ea, nisi cumulata veri centonis speciem induant, equidem adeo non culpo, ut, qui talia anxius, sive in latina sive in recentiore lingua, fugeret, illi, quod in nota quoque ad dissertationem §. 56. dixi, a versibus prorsus

abstinendum esse existimem. Fieri enim non potest, quin, quod cane pejus et angue vitavit, in id se incidisse, nisi sua tantum noverit, reperiens, plurima, in iisque cum pejoribus meliora, mutare æternum cogatur. Neque vero aut me, qui post Ovidium, aliosque, opinor, bene multos *quæ levet unda sitim* dixi, aut alium, qui id post me dicturus sit, reprehendendum puto, neque, siquis cum Virgilio *nidum suspendit hirundo*, aut *texunt umbracula vites*: quæ omnia in paucis ejusdem carminis versibus a me expressa reperi, quin de imitando vel minimum cogitarim. Neque tamen ideo non mutavi *et lentæ texunt vites umbracula*, scilicet ut centonum vel levissimam umbram effugerem; de quibus a me dicta habes in dissertatione §. 56.

Ut autem in similibus pavonem a graculo statim certusque distinguas, cum iis, quæ quis aliorum conscius vel nescius habet, conjuncta, præcedentia, aut sequentia, confer; sic enim alios videbis in his non minus, quam in illis, utpote suis opibus ubique pollentes, nitere; alios contra, demtis, quos compilando, aut insciis memoria suggerente, intexebant, pannis, humiles, languidos, incompositos squallentesque jacere: quod totum quale sit, non facile melius te quisquam Mauritio Seyffertio docebit; qui, carminum aliquot Gœthei et Schilleri interpres, quamvis in præfatione libelli sui glorians, se *longe plura, qualiacunque sunt, proprio Marte secundum optimorum exemplar procusa* dedisse, non ideo minus passim tanquam gemmarum in luto micantium speciem exhibet. Hunc igitur, ut comparationi, quam dixi, aptissimum, eligerem; sive alia, sive insignem e Schilleri *Ibyci gruibus* locum, *so singend tanzen sie den Reigen* etc. (Vide pag. 110, ser. 2.) dictionis, de qua hic agimus, causa cum dignioris, qui divinam Schilleri vocem imitetur, ore comparare malis; quem locum Seyffert his versibus expressit:

Talia raucisono rumpentes ore choream
 Dum ducunt, gelidus continet ora tremor,
Qualia dant muti taciturna silentia manes,
 Numine subsidunt ceu propiore domum.
Ille gravi voltu lentus postscenia mutans
 Ecce refert gressus, priscus ut usus amat.
Verane sit facies, fallax an ludat imago,
 Ambiguo pendent turbida corda metu.
Mactant, arbitrio vigili quæ nescia terret
 Stamina nens nulli dissoluenda, deam:
Quæ non muta latet cordis penetralibus imis.
 Sed fugit a Phœbi, quæ nitet alba, face.
Tum subiti veniunt summa de sede susurri:
 Heus! en Ibyceas en, Theodore, grues!
Vix ait, et densa latitat caligine cœlum,
 Inque theatra repens desuper umbra ruit.
Remigii ductu præterlabuntur in auris
 Ecce, nigro fluitans alite turma gruum, etc.

In versu *jam curvant ramos mitia poma suos*, qui *suos*, necesse est, veteres quoque et in his Ovidium carpat; cujus, A. A. 3, 705, quæque suos curvant matura cydonia ramos, et, R. A. 176, ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.

In pentametro *sub sole — labor*; prioris editionis, *sole sub*, ut vix non vitiosum, mutavimus; cujus constructionis exemplum frustra quæsivi. Aliud enim, ubi vel adjectivum, ut *sole sub ardenti*, vel genitivus accedit, ut *vertice sub Pindi*; qualia nequaquam vitant poetæ.

In *veniunt sub juga panda boves* habes Ovidianum, *Heroid.* 6, 10, isse sacros Marti sub juga panda boves. Idem, *Am.* 1, 13, 16, prima vocas tardos sub juga panda (al. *curva*) boves. Hunc igitur locum iis adnumera, quæ supra a centonum culpa defendimus.

AD pag. 5. seriem 1. Sententiæ versus *vult* (ars) *sua naturæ sint quasi facta manu*, ex Urbani VIII. epigrammate opponere possis:

Obstupet ipsa simul rerum fecunda creatrix,
 Et cupit esse suum, quod videt artis opus.

Cui conferri dignum Ludovici, Bavariæ regis, distichon:

Reitzend, erhaben zugleich, verschmilzt die Natur und entzücket
Hier sich in Kunst und wird selber zur schœnsten Natur.

Naturæ artem æquat epigramma Schilleri, quod latinum damus pag. 72. Qua autem ratione, aut qua cum exceptione, a ternis diversum nos, omnesque verum dicamus, lectoris sagacitati dirimendum relinquimus.

Ad naturam in poesi homerica trahendum epigramma Schilleri, quod latinum habes pag. 72., ubi alio latiusque patente sensu naturam *Iliadis* matrem fecit.

AD pag. 5. seriem 2. Nomen *De Lille* et immutatum servavimus, et in quantitate accentum potius, quam aliud respeximus; neque aliter sæpe in nominibus propriis faciendum duximus; ita quidem, ut locorum quoque nomina, ut *Vaniambaddi* in Schlegelis elegia, pag. 11, ser. 2, quin etiam, in eadem *monsoons*, ventorum nomen, sine latina terminatione versibus latinis intulerimus. Quæ omnia hic idoneis rationibus defendere ut longum, sic eo minus supervacaneum esset; quia Seyffertio, ob insertam vocem *Malbrough* (V. pag. 28. ser. 1.) risum movimus; cujus scilicet auctoritatem ne alii sequantur, quam sit metuendum; intelligimus.

Ad bina disticha *non ego naturæ — mea*, qui e Schillero loci trahi possint, plures haud dubie in ejus poematis invenires; ipse tamen ad duos illa maxime retuli, alterum carminis inscripti *die Ideale*, alterum inscripti *der Spaziergang*: utrumque latinum habes in hoc volumine.

Sententiam *naturæ gaudia, Felix pectore quem puro jussit amare deus*, egregie explicat Stolbergi strophe:

Nur reinen Herzen duftet der Abendthau

Der bunten Lenzflur: heilig nur ihnen sind
Der Eiche Schatten: deine Segen,
Einsamkeit, können nur sie ertragen.

AD pag. 6, seriem 1. Chartas, quibus ludimus, veteribus ignotas, sed latino vocabulo adpellatas, cur, latine loquentes, alio potius adpellemus, curve, ubi contextus sermonis dubitare non sinit, rei explicandæ gratia quidquam addamus, causam probabilem non reperio; idemque universe statuens, in similibus latine exprimendis simplicissimum sequi consuevi; unde sæpe miratus sum, qui servata in rebus veteribus ignotis nomina irriderent, tum quidem maxime, quum latina hæc nomina, aut certe a latinis derivata esse constaret. Ab his enim risoribus ipse adeo dissentio, ut, e. g., Gallicum *fusil* non aliud potius quam *fusilem* adpellatum vellem; neque vero *lentem* (pag. 14. ser. 2. et pag. 103. ser. I.) dicere vel minimum timui vitrum *telescopi*, a similitudine Gallis Germanisque eadem voce adpellatum.

AD pag. 6. seriem 2. Schilleri *ambulationem* latine redditam una cum archetypo vulgavimus Coloniæ Agrippinæ, a. 1820, ita limatam, ut secundis curis pauca relinqueremus. Itaque hic, paucis modo versibus exceptis, talem damus, qualem carminibus latinis, a. 1822 editis, adjecimus. De præstantia hujus carminis, equidem, quid e lyricis aut elegiacis illi anteferam, non video: ipse autem, ut hæc e præfatione primæ editionis repetamus: ipso, unde præ aliis ei probatam intelligas, hanc elegiam, ait, quum alia poemata non omnibus horis æque placeant, sed quasi præparatum ad lectionem animum requirant: hanc igitur eum animi adfectum, in quo maxime placeat, ipsam provocare: quod ut summum in poesi, sic verissime adfirmatum judicamus. Est adeo hoc carmen, exceptis tamen numeris, in paucis elegiaci generis eximium; ac si quid meæ sententiæ tribuere velis, ita eximium, ut, ne exiles Græcorum reliquias in comparationem vocemus, nec Tibulli, nec Propertii, nec Ovidii ulla elegia, quam illi conferas, ne dicam anteponas, digna sit existimanda. In metro autem fatendum, quamvis universam spectanti hoc quoque nomine admiranda recte dicatur, tamen non semel læsos elegorum numeros jure posse reprehendi. Hic igitur neolatino interpreti, quod in dissertatione, §. 66., jam diximus, facile, imo, ne vitiosus sit, nonullis in locis necesse erit archetypum superare: qui si cæteris etiam dotibus, quantum lingua valeat, præstaret, non immerito jam diceretur neolatinæ poesi id, quo præstantius antiqua non habeat, addidisse.

In versu *en viridi late strato mihi prata patescunt*, litteris a et t meam quoque aurem offensam fateor. Cæterum, quum duo præstanda essent, alterum, numeros, qui rem, ut in Virgilii *itque pecus longa in deserta*, imitarentur, efficere laborans, litterarum asperitatem simul vitare non potui. Scio, veteres, Græcos etiam, hanc interdum minus, quam duros numeros, cavisse, idque Sophoclis adeo exemplo confirmari. Neque tamen ideo minus ridiculos dicerem, qui hinc colligunt, veteres ipsos, alia nempe pronuntiatione, aut quacunque demum causa, nobis displicentia non improbasse. Quod ego ut de singulis nonnullis verissimum reputo, sic universe pronuntianti adeo non assentior, ut veteribus eadem, quæ nobis, insuavia fuisse pro certo habeam, idque non tam alio argumento, quam hoc simplicissimo nitens; nam si illa, quæ nos, veteres non offendissent, necesse esset, talia sæpe, imo passim in iis occurrere; quum contra rara esse videamus. Quare, qui hic ad alterum *Tite, tute* etc. recurrunt, eos non sapientius facere existimo, quam, si, Catulli *Troja virum et virtutum omnium acerba cinis* citantes, talia veteribus non displicuisse contenderent.

Versus *echo pastoris sola refertque melos* archetypon, *und den Wiederhall weckt einsam des Hirten Gesang*, miram habet suavitatem; qualem fere melius sentire lector, quam, quo constet, verbis exprimere queat, interpres autem se totam reddere frustra conatum doleat, desperanda sæpe opera, quum versum versu reddere coactus, arcto sententiæ limite, numeris simul verbisque, necessario retinendis, impeditur. Atqui hæc nostra fuit in multis carminibus, præsertim vero in distichis vertendis conditio; eoque impensius enitendum, ut, in quibus ad archetypum satis accedere non dabatur, ea quodammodo compensaret felicior in aliis successus; neque vero de ejusmodi opera aut æquus aut recte unquam judicabit, qui, in singulis hærens, quia hic, quod necesse est accidere, quædam offendunt, ideo interpretem damnat; etenim ne præstantissimus quidem, et qui, si totum toti opponas, vincere archetypum possit, in longiore carmine, ne in locis nonnullis inferior discedat, unquam assequetur. Atque hæc quidem, tanquam pro domo loquentis, semel dicta voluimus.

AD pag. 7. seriem 1. Distichi *tranquillis* etc. sententiam eleganter exprimit locus Claudiani, ubi in aliis:

Idem condit ager soles, idemque reducit,
Metiturque suo rusticus orbe diem.

In pentametro *junctaque lætantur cum pare quæque* (i. e. omnia) *suo*, Ovidianum, *Fast.* 3,526, accumbit cum pare quisque sua, sed in re prorsus diversa, inscius dedi.

In pentametro *vita agitat* etc. prior elegiæ editio *mundus agit*; ubi *mundus* reddit *Welt*, Germanis illa, quam hic habet, significatione usitatissimum; sed *mundus* in bonæ ætatis scriptoribus sic raro (cf. Horatii fastos evolvere mundi, ibiq. Heindorf.); quare malui ad vim sententiæ aliquid deesse, quam pæne suspectum retinere.

In pentametro *prima Ceres* etc. *Anker* (anchora) *dens navis*. An veterum aliquis sic locutus, dubito; sed Virgilius anchoræ dentem dedit: hoc, quo meum tuerer, satis visum.

Distichon *sis memor* etc. exprimit notissimum anthologiæ epigramma:

ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε κείμεθα, τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Ad pag. 7. seriem 2. In disticho *aurea* etc. *saltantes* reddit *tanzend* : si antiquum prorsus vis, ad Catulli *currite, fusi, currentes* pro *saltantes* dixeris. In pentametro reddendo multum sudavimus, quin melius efficeremus, quam *per telam radius itque reditque strepens*, quod tamen, propter positionem duram in *reditque strepens*, retinere noluimus.

Cum loco *at sapiens* etc. congruit Voltairii, in *Henriad.* cantu 7.,

Quels sages, rassemblés dans ces augustes lieux,
Mesurent l'univers, et lisent dans les cieux,
Et, dans la nuit obscure, apportant la lumière,
Sondent les profondeurs de la nature entière?
L'erreur presomptueuse à leur aspect s'enfuit,
Et vers la vérité le doute les conduit.

Insignem locum *Florens libertas* etc. Feuerlein, quem in nota proxime sequente pluribus laudamus, sic expressit :

Tunc fotum ingenium divinas parturit artes,
Libertas hilares educat atque colit.
Dextera Lysippi mentem juvat, æmula vitæ,
Jam spirat scalpro. proloquiturque lapis.
Fulcra levant cælos, quos ornat Ionicus ordo;
Pantheo in æthereo totus Olympus adest.
Iris ut aeria, ut nervis emissa sagitta,
Flumina sic arcus transilit ampla levis.
At sapiens tacitis museis exarat orbes,
Et rerum causas mente sagace petit.
Vires materiæ, socium magnetis et hostem
Perspicit, et normam luminis atque soni.
Tectas naturæ leges, portenta refellens,
Detegit, ac dubias constabilire studet.

Ex his ultimum distichon fere eodem numero, quo cætera habendum : huic igitur germanicum, *sucht das vertraute Gesetz in des Zufalls grausenden Wundern, suchet den ruhenden Pol in der Erscheinungen Flucht*, comparans, vide, uter nostrum, a sententia verbisque longius abiens, id simul egerit, ut poetæ quam minimum superesset.

In *mumia* etc. *mumia* latinum non esse scio, sed, ut vox servaretur, plura suadebant; nec latinam ejus periphrasin versus recipiebat. Si tamen latinum utcunque flagitas, melius non habeo, quam *post annos unctum funus, post sæcula duret.* Feuerlein suo se more illa difficultate facillime expedivit, vertens *sæviat illa diu per sæcula publica pestis*, quæ, vides, quam sint archetypo sermone et sententia, quam ad verbum expressimus, simillima! Idem Feuerlein distichon *ærumnæ* etc. reddit *culpa furens et inops exposcit ab urbe cremata majorum mores, qui periere diu.* Cui satis fuerit Schilleri poemata sic *lyricis modis*, ut Feuerleinii verbis utamur, *aptare*, hunc profecto non miraberis, nihil, excepta *Campana*, e numerosis ejus, quæ præter dramatica composuit, carminibus intentatum reliquisse. At enim hoc jure mireris, talia in Germania, ubi tribus ante sæculis Tibullo dignissima Lotichius cecinit, non excusari, sed laudari potuisse. Nempe in hac quoque Europæ parte docti etiam philologi poesin neolatinam adeo non curant, ut, quid præstare illa valeat, ignorantes, vel in turpissimis nostræ ætatis fœtibus, quamvis rem ipsam spernentes, tamen sermonis scientiam et ingenii industriam prædicare non dubitent; quasi scilicet tam fœda componentes non sua culpa cruce digni, sed, quatenus lingua poetæ neolatino concedat, boni præstantesque sint judicandi. Sed de his plura dicendi hic non est locus.

Vocem *thronos* fuerit, qui, ut bonæ ætatis poetis inusitatum, reprehendat; ipse in epigrammate, sub Augusto facto, apud Suetonium, *Aug.* 70, reperi. Si tamen ferre nequeas, lege : regale (cf. notam ad pag. 4. ser. 1. vocem *victrici.*) spectrum lex cubat ad solium.

Ad pag. 8. seriem 1. In *ante retroque premit fauce minante gradum* metri in hemistichiis paritas illis addenda est, quæ metrici reprehendunt. Ego, qui in proximo disticho recurrentem non facile tolerarem, hic tamen, ut numerum rei imitantem, laudandam potius dicerem. Ut melius ipse judices, confer germanicum *abschüssige Gründe hemmen mit gæhnender Kluft hinter mir vor mir den Schritt.* Cæterum, ab hoc disticho incipiens pars elegiæ, divina in singulis, nexu tamen obscuro me quidem offendit, qua ratione sive cum præcedentibus, sive cum toto cohæreat, dubitantem; neque vero, quæ ipse non satis perspicerem, eadem aliis clariora, quam mihimet hic archetypum, exhibere potuissem; quoque sæpius interpreti mihi ad talem excusationem confugiendum, eo magis, quæ in epistola, Gœthei elegiis a me latine una cum Schilleri *Campana* editis, adhærente, dixi, hic adjicere juvat. De obscuritate, scilicet æqui et prudentes rogandi non sunt, ne velint archetypum ubique perspicuitate superari. Etenim pulchrum quidem, si bene vertens simul interpretantis vicem impleas; at nec proprie hoc vertentis est, et quandoque fieri nequit. Quin reprehendendus erit, qui, ubi vel non intelligit, vel, an ipsam auctoris mentem assecutus sit, dubitat, perspicuam plane sententiam reddit. In carminibus vero a me latine versis plura occurrunt, quæ nemo, opinor, quantumlibet sagacis ingenii et linguæ peritus, plane intelligat, nisi auctorem interpretem habeat, quem mortuum jam revocare non datur; vivum autem interrogare operosum foret, et quandoque parum expediret. Quis enim ignorat, summos etiam poetas non semper ita loqui, ut sensus ambiguitas non relinquatur, et interdum adeo quadam obscuritatis specie sibi placere? Atqui vertentis est, et omnino et hac etiam in re quam simillima archetypum imagine exprimere; unde patet, obscura reddentem, si non laudandum, certe non semper culpandum esse. Is demum laudandus, qui, ubi nulla sensus ambiguitas, obscure dicta clarius, is culpandus, qui clara obscure expresserit; quorum alterum scio me conatum efficere; alterum quam studiose vitaverim, docti judicent.

Ultimus elegiæ versus *und die Sonne Homers, siehe! sie lœchelt auch uns*, vi et suavitate insignis, nullo alio minus interpretem torsit. Feuerlein vertit: et sol Mæonidæ nos quoque lustrat amans.

Elegiam inscriptam *hæc placeant patriæ quæ pia dona fero*, erumpente, qui Guilielmum Belgii regno depulit, tumultu, composuimus, eumque ipsum extrema carminis parte ita attingimus, ut, si quis forte calumniandi in versibus meis occasionem quærat, hic, quod arripere ad rem idoneum possit, non facile sit inventurus; neque vero in aliis, ubi rerum, qui nunc est, publicarum statum tango, majorem malivolentiæ opportunitatem præbuerim; cui hoc insuper e nota ad carmina, a. 1833 vulgata, hic repetitum volo; scilicet me non tam *politico*, ut ajunt, proposito, quam animo meo, et, si tantum possem, aliorum oblectando versus fecisse; idque vel inde satis manifestum esse; quia, si diversa ratio placuisset, non poteram ignorare, operam omnem latina lingua perituram; sicque gallica potius, aut germanica scripsissem: qua utens illorum etiam reprehensionem vitassem, si qui me patrii sermonis contemtus crimine arguerent. His autem nec plura hic dicendi locus, et satis me, opinor, defendet in summorum Germaniæ poetarum carminibus vertendis studium, cujus hoc ipsum volumen testem lectores habeant.

Elegiam, ad quam hæc notamus, germanice, sed sententiis magis quam verbis, ac parte etiam versuum omissa, expressam habes pag. 138. Accuratius eam vertit et Marcoduri, a. 1833, edidit P. J. Fischbach, mihi meisque et suis popularibus una gratum facere cupiens, in eaque re ita versatus, ut et illis novo nomine indolem suam ingeniumque commendarit, et me, jam antea humanissimi adolescentis benevolentia cultum, tanquam novo beneficio devinctiorem sibi reddiderit.

In primo versu Thelandrum de græco ficta voce vocamus, cui carminum quoque partem novam, a. 1833 editam, dicavimus, Ben. Willmann, in gymnasio regio Coloniæ Agrippinæ professorem, de vertendi arte, deque lingua germanica, ad quæ elegiæ nostræ initium finisque referuntur, egregie meritum.

Ad pag. 8. seriem 2. Aquisgrani, quæ hic attingimus, regionis amœnitatem et Caroli M. arcis ruinas complectitur carmen huic volumini insertum pag. 96. Marcodurum a Carolo V. captum et vastatum, divæque Annæ reliquias his verbis memorat Sleidanus. « Inde Duram Cæsar petit, et quum ad Aug. diem 22. eo venisset, postridie misso præcone deditionem sibi fieri postulat.... Milites præsidiarii contemtim respondent, neque sibi periculum esse dicunt ab illo, qui jam pridem sit factus esca piscium...... Eo dato responso, Cæsar, communitis castris, et rebus omnibus instructis, Aug. die 24 prima luce tormentis oppidum oppugnat, postea militem immittit, Hispanos maxime, quorum erat ingens alacritas. Ii sæpe repulsi, quum plurimos e suis desiderassent, non prius conquieverunt, quam vi caperent. Oppidanorum ea fortuna fuit, quæ solet esse, quum ferro ...... et aditus Porro caput hic ostentari solebat Annæ, quæ mater fuit Mariæ Virginis, eoque veniebat quotannis magna hominum multitudo ad 26. Julii diem, qui consecratus est illi divæ. Sed Hispani victores caput illud, inclusum auro, magna cum pompa religiose deferebant in ædem franciscanorum, ne in illa ruina et templi conflagratione periret. Oppido direpto et incenso, Cæsar progressus Juliacum, ac deinde Ruremundam » etc.

De Cicerone villam paternam amante, quod in disticho *tam mea dura* etc. continetur, vide ipsum cum Attico loquentem, *de Legg.* 2, 1 et 2.

Distichon *ungue leo* etc. chronostichon est, designans a. 1783.

Ad pag. 9. seriem 2. In disticho *arvalem pompam* etc. intelligimus solennes per arva singulis annis preces, ad ambarvalium, quæ Romani celebrabant, similitudinem. *Veldenum* et mercatus quid hic velint, populares mei norunt; aliorum nihil interest.

In pentametro *prædia quæ* etc. *civis bonus* est Schenkel, cujus, amplissimis fortunis sapienter fruentis, cum in publicam rem, tum in pauperes liberalitatem Marcodurani prædicant: qualium virorum musas juvat meminisse.

Ad pag. 10. seriem 1. In elegia inscripta: *Neoptolemus Diocli*, auctor fratris in India extincti umbram fata sua narrantem fingit, argumento et tractandi quoque arte veterum exemplaria imitatus, cæterum non parva voluptate lectorem ad finem carminis, rerum ut gravitate et varietate, sic adfectibus etiam et imminentia tempora adumbrando, detinens.

Ad pag. 10. seriem 2. In disticho *inque orbe* etc. *Euclideum ænigma* explicatione non indiget. Archimedem versus excludebat; sed e conjunctis, ad hunc pertinere *ars Siculi*, satis evidens esse duximus.

In hexametro *candida* etc. displicet *recreantia*; neque, ut placeat, ad Celsi *supprementia, adurentia*, aut ad gallicum *des calmans* et similia recurram; mallem enim substantivum.

Ad pag. 11. seriem 1. In disticho *tempora nec* etc. *egeas ubi, fortes quos mittis viros*, pro *fortibus viris, quos mittis*, constructio est, qualis in Propertii: quo primum oculos cepisti veste, Properti, indue, et in Horatii: illi scripta quibus comœdia prisca viris est, qualisque in prosa non modo non adfectanda, sed vix ferenda esset, quamvis similia hic quoque occurrant. At in versibus optimorum etiam poetarum eadem ita frequens, ut magni, imo nimii rigoris esse diceres tam usitatam reprehendere; tametsi fateor, me interpretem ad illam multo sæpius, quam vellem, confugere coactum esse. Sed constructio nostra, addito *emtos ære*, et his inserto *nec dolet*, multo etiam magis implicatur, omninoque talis est,

ut disjectam et confusam recte vocares, quamque adeo, ne vitiosam putet vel latinorum poetarum dictioni non mediocriter assuetus, veterum auctoritate necesse sit defendere. Hoc ipsum igitur hic præstantes, ac substantivum *viros*, ab *egeas* separatum et cum relativo *quos* conjunctum, quam construendi rationem tueri superfluum sit, distinguentes, exempla disjectæ, ut diximus, et confusæ verborum juncturæ his subjicimus. Cujus quidem difficultatem in *epistola ad Lycocriticum* præcipuis in causis ponere non dubitavi, cur et plurimi veterum loci primum corrupti, et hodie non paucos male vel emendatos vel intellectos reperiamus.

Catullus, cujus plures locos in illa epistola tractavi, in carmine *de coma Berenices*, disticho;

Quicum ego dum virgo quondam fuit omnibus expers
Unguentis una millia multa bibi,

Criticos torquere nondum desiit. Ego, ut tum, sic etiamnunc, nihil mutans, sententiam distinguo: *quicum ego*, *omnibus* (nunc sc. in cœlo posita) *expers unguentis, dum virgo fuit, una millia multa bibi*.

In his assentientem habui Siligium, qui, locum ante a nemine recte intellectum, adfirmat. Difficultatem auget locus vocis *quondan*, quam, meam interpretationem sequens, malis positam post *ego*, ut jungi commode possit *quicum ego quondam bibi*; quod Catullum voluisse, equidem potius credo, quam jungi *dum virgo quondam fuit*. Neque tamen hinc necesse sit colligere vocem de suo loco describentis aut interpretantis culpa migrasse; etenim poetæ non raro lucidum verborum ordinem vel numeri causa mutant lectori veram juncturam relinquentes.

Ex Horatio ad confusam constructionem trahere posses: quod quisque vitet, nunquam homini satis cautum est in horas; quatenus *in horas*, nec male, censeo, jungeres cum *vitet*. Ejusdem est:

Nigrorumque memor dum licet ignium
Misce stultitiam consiliis brevem;

Ubi Mitscherlich jungit *misce*, *dum licet*, *stultitiam*. Ejusdem est: quisquis erit vitæ, scribam, color; cui cf. locum odæ 15. lib. 4., ubi fuere, qui *lyra* jungerent cum *loqui*. Ejusdem est: plaustris vexisse poemata Thespis qui (alii *quæ*) canerent, etc. Ejusdem: hospes pæne, macros, arsit, dum turdos versat in igni, a J.-C. Scaligero notatum, qui malit: pæne arsit macros turdos, dum versat ad ignem, scilicet, ne sensum quidem loci assecutus; qui tamen non impediebat, quominus poeta diceret: pæne arsit, m. t. d. v. i. i. Sed disjectam scilicet is maluit, quam non implicitam minori cum suavitate juncturam. Ejusdem denique, ut cætera prætereamus: quibus antris, egregii Cæsaris, audiar, æternum meditans decus etc.

Ovidii, qui plurima exempla præbet, in rem meam traherem: quid tibi, si calida, prosit, laudere Syene, (sic enim versum fuere qui legerent,) si codicum auctoritas tueretur *prosit*, sed probabilius certe Ovidium *positus*, vel, quod Lemairii nota malit, *positis* scripsisse. Si tamen *prosit* verum esset, bene conferres, *Fast*. 3, 675: nunc mihi, cur cantent, superest, obscœna puellæ, dicere; ubi numero suaviori tribuo, quod Ovidius non maluit *nunc superest mihi*, c. c. o. p., d. Ejusdem est: si quis in hoc artem populo non novit amandi, a J.-C. Scaligero reprehensum, qui rectius duriora ex eo genere in Ovidio notasset. Ejusdem est: consul cum consule ludos Postumio Lenas persoluere mihi. Quæ magis, quam præcedens, aliis tamen locis Ovidii minus offendunt. Ejusdem est:

Postera quum roseam pulsis Hyperionis astris
In matutinis lampada tollet equis.

Nec minus disjectum ejusdem *Trist*. 1, 7, 19:

Sic ego non meritos, mecum peritura, libellos
Imposui rapidis, viscera nostra, rogis.

Nec minus confusum ejusdem *de P*. 4, 4, 9,

Qua, tamen inveni, voltum diffundere, causam,
Possem, fortunæ nec meminisse meæ.

Minus offendit ejusdem *de P*. 2, 2:

Mittit ab indomitis hanc, Messaline, salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.

Ejusdem est *Heroid*. 10, 110: illic, qui silices, Thesea, vincat, habes. Ejusdem, *de P*. 3, 3, 72: scis aliud, quod te læsrit, esse, magis. Ejusdem est, *Fast*. 4, 77: serus ab iliacis et post Antenora flammis adtulit. Ejusdem, *de P*. 1, 5, 9: hæc quoque scribimus invita vixque coacta manu. Ejusdem, *Trist*. 4, 1, 89: sed neque cui recitem quisquam est mea carmina, nec qui etc.

Hæc ex Ovidio sufficiant. Virgilium a disjecta constructione non prorsus abstinuisse, argumento est: vina novum fundam calathis Ariusia nectar. Addere cum aliis potes: sylvosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus et ramosa Myeon vivacis cornua cervi, et: hæc sat erit, divæ, vestrum cecinisse poetam — pierides. E Tibullo ad rem recte citares: quidquid erat medicæ, vicerat, artis, amor, e Propertio: qui nunc se in tumidum jactando venit honorem. Ex argentea ætate habes Lucani, 5, 385, qua sibi ne ferri jus ullum, Cæsar, abesset, Ausonias voluit gladiis miscere secures; sed neque hinc, neque ex aurea hic plura colligere placet; quum vel sola Horatii et Ovidii auctoritate abunde defensam, cujus gratia hæc notamus, constructionem existimemus. Huic autem similia ut in versibus meis, quæ scilicet ob insigniorem licentiam excusanda sint, tum pauca occurrere, tum in his etiam quædam necessitati concessa esse, intelligas, cuncta fere hic conjuncta, neque tam mei, quam rei, causa propono.

Habes igitur, pag 2, ser. 1, mala comparat artis

immensum pretium quæ probra pontus agit; pag. 10, ser. 2, nos, animo vivitne etiam, quod mane direnit? pag. 12, ser. 1, non tamen, hic, orcum, quæ parit hora, latent (i. e. *non latent orcum*, *quæ hic hora parit*); ibidem partium hebes pressos inter ut arma pecus; pag. 67, ser. 2, fulgore, soles occiderunt, meæ quorum juventæ lucida semita; pag. 74, ser. 2, lenta captivus, reges, ut tabe periret, Europæ cujus contremuere minas; pag. 74 ser. 1, nil gratis, jacet hic, fecit qui Sylvius; pag. 102, ser. 1, nullus, ibis, qua dies lucebit; ibidem, mundi, latus evolvare; videas ut formam stare; pag. 14, ser. 2, cryptogamum, nec lente, genus, sit, quærere magnum etc.; pag. 49. ser. 1, tu mihi, per vastos, ego sum, quæ flammea, dicis, sidera figo polos; pag. 46, ser. 2, tu, quid, in terram, redeatne, differt, spuma sub undas? pag. 18, ser. 1, ut redeant cœlo, si vos juvat, astra, tueri. In his igitur alia vides non vitiosa quidem, sed nec imitanda, alia contra, quæ vel numerorum suavitati concedere velles.

Illius autem: juvat enim, quidquid insolentius ex eo genere versus nostri habent, hic conjungere: illius igitur constructionis, qua nomen ex sententiæ membro, ubi consuetus ei locus esset, in aliud, ubi cum relativo conjungatur, transit, præter memoratum exemplum *emtos quos mittis viros*, hæc fere invenies: pag. 14, ser. 2, quaque nemus campique silent perfusa quiete (pro *et quies*, *qua* etc,); pag. 16, ser. 1, non, tibi quæ normam doluit natura dedisse, corporis harmoniam nunc, Polyclete, doces (pro *non doces naturam*, *quæ*); pag. 11, ser. 1, raris sparsa, homines inter nunc inde reducta quas paci struxit naufraga turba casas (pro — *turba*, *casis*, quod nolebam); pag. 18, ser. 1, quique novum stimulat sacer ardor quærere mundum (pro *et sacer ardor*, etc); pag. 18, ser. 2, frondosis, si vos aure bibisse beat, quæ ramis zephyri serpunt modulamina lenis (pro *bibisse modulamina*, *quæ serpunt frondosis ramis*); pag. 19, ser. 2, amorum, da, quæ conscia vallis erat (pro *da vallem*, *quæ*); pag. 17, ser. 2, quæ servat cellula penem, supra (pro *supra cellulam*, *quæ*); pag. 16, ser. 1, aut tibi quæ pactam junxit imago toro (pro *aut imago*, *quæ*) pag. 67, ser 2, extincta dulcis, quæ mea vivere fides amabat somnia (pro *dulcis fides*, *quæ*) pag. 18, ser. 1, quæque explicat musa senis (pro *et musam senis*, *quæ*) pag. 48 extr. subripit, qni latebat annulus (pro *subripit annulum*, *qui latebat.*)

Alia obscuræ constructionis ratio est pag. 48, ser. 1, in: ignota, vastus quas Oriens alit, nostri sed orbis claraque gentibus etc., et pag. 49, ser. 2, in: si mox angelico—illo sis memor in choro, quæ, ut verum fatear, mihimet, sed posterius magis displicet; neque parem licentiam a me iterum usurpatam memini. Alia etiam obscuritatis ratio, omisso pronomine, pag. 99. ser. 2, in: usque ejus pelagi qua labitur orbis in undas (pro *usque ad eam*, *qua*); aliud denique, ubi verba non eo ordine ponuntur, quo, nisi metrum impediret; poneres, sed res ipsa lectorem errare non sinit, velut pag. 2, ser. 1, libido fit fera libertas (pro *libertas fit fera libido*); pag. 16, ser. 2, Alcæum per bella trucem comitata tyrannis—musa (pro *musa Alcæum*, *trucem tyrannis*, *per bella comitata*); pag 95, ser. 1, signo nomine nt usa tuo (pro *nomine tuo*, *ut signo*, *usa*); pag, 98, ser. 2, graves qualem fundis super æthera nubes; ubi absurdum sit jungere *fundis nubes*. Qualia vides, ne aut ambigua sint, aut contra mentem scriptoris accipiantur, velut Phædri illud: utilius homini nil est quam recte loqui, a lectore adjuvanda esse*; quem ut linguæ satis peritum, sic acutum celerisque sensus poetæ magis etiam quam prosæ scriptores, et merito poscunt; ne, ubi voluptatem quærebat, intelligendi labor deterreat; quo si peritum quoque et sagacem et pulchri amantem poetæ torquent, abrupta, confusa, aut ænigmatis similia loquentes, sic denum digni sunt, quos ipsis legendos relinquamus.

Quo majoris autem momenti, quæ hic animadvertimus, de poesi et poetis neolatinis recte nee inique judicaturo, eo minus temperare mihi possum; quin notæ jam nimis longæ hæc tamen adjiciam. Neolatinis sane non leviori cura, quam recentiore lingua utentibus, id agendum, ut, recte sive pure scribentes, simul perspicui sint, sicque linguam eorum satis callenti facile intelligantur; quin ideo ad recentioris alicujus usum verbis et locutionibus aut constructione orationem conforment. Sed ita tamen hoc iis præstandum censemus, ne quæsita perspicuitas impedimento sit, quominus antique etiam et eleganter scribant, suavemque et numerosam dictionem fingant; quod quidem ad poetas maxime pertinere manifestum est; utpote quibus sine his dotibus cæteræ quoque inutiles fere sint existimandæ. Quare poetæ neolatini quum, veteribus perspicuitate comparati, displicent, merito reprehenduntur; nihil enim, quominus illos hac dote æquent, obstare equidem arbitror; tametsi non ignoro, multis hic quoque longe aliter persuasum esse. At enim, quibus eo ipso culpantur sordentque neolatini, quia veteres, quia Virgilium, Horatium, Tibullum, perspicuitate non superant, eos, ut neque veteribus multum delectari posse evidens est, sic neolatinis poetis, ut horum quisque optimus est, ita lectores minimum optarem. Nec enim veteres sine quodam amore pulchri studioque satis nos ad delectationem intelligimus; nec vero, a neolatinis illos simul scribendi arte æquari et perspicuitate vinci posse, judicamus. Quare, ne iniqui, imo ne inepti simus censores, eo acquiescendum erit, quo recentiores, nulla veterum culpa, iis tamen præstant; quatenus illos integros, veteres contra mille locis corruptos mancosque superstites habemus. De quo quam ita, ut declaravi, censeam, mirum non est, me, in oratione ad grammatices legem construenda, ea veterum poetarum libertate, quam in his recte notare nequeas, cum alias tum præsertim in recentioris linguæ carminibus vertendis sic usum esse, ut perspicuitati interdum aliquid demere, quam sententiam imperfectam relinquere aut numeris displicere maluerim.

Quod autem dixi, constructionis difficultatem causam esse, cur plurima veterum corrupta aut nondum rite intellecta habeamus, id in memorata epistola

aliquot locis emendandis re confirmare propositum fuit; ubi tamen, me in uno, (plures enim tractavi,) Catulli loco, qui vulgo legitur ***non ita me divi vera gemunt juerint***, a vero aberrasse, sero perspexi; vixque dubito, quin vera emendatio sit: non ita me divi, ut vera (sc. novæ nuptæ) gemunt, juerint. Quæ autem eadem in epistola, restituta vera orationis junctura, sanare conatus sum, iis nunc Propertii locum (III, 13.):

Testis erit Dirce tam vero crimine sæva
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco,

Adjicerem; in quo, frustra semper tentato, Lemairius quoque difficultatem tollere ideo non potuit, quia eadem, qua cæteri commentatores, verborum junctura usus, veram ignoravit, quæ, si quid mihi credendum, sic habet: testis (scilicet illius, quod versus: nescit vestra ruens ira referre pedem, adfirmat) erit Dirce, sæva crimine, Antiopen accubuisse Lyco, id est, sæva ob crimen, quod erat, Antiopen Lyco accubuisse. Quam juncturam simul probaveris, intelliges, cur distichon, cum quo jungendum est ***testis erit***, e suo in alium locum rejectum fuerit; quia scilicet, quamdiu jungebatur ***Dirce testis erit***, ***Antiopen Lyco accubuisse***, hæc sententia ad distichon ejectum idonee referri non poterat. Cæterum, si mavis ***sæva***, ***Antiopen accubuisse***, (id est, sæva, quod Antiope accubuerat,) non pugno; modo ne ***testis*** cum ***accubuisse*** jungatur. Ex interpretatione igitur mea, disticho, quod diximus, suum in locum revocato, bina disticha hac orationis distinctione conjunges:

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
Nescit vestra ruens ira referre pedem.

Testis (*sc. hujus rei*) erit Dirce, tam, vero crimine, sæva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

In pentametro ***tecta tenens nutu quæ spatiosa regit***, participium ***tenens*** exprimit archetypi ***bewohnend***, i. e. ***habitans***, quod pro navita sive gubernatore dictum, mihi, ut vagum, displicet; neque magis placet ***tenens***, germanicum tamen recte reddens. Pro participio, ut supra pro ***recreantia***, mallem substantivum. Alia scilicet ratio est in quibusdam participiis, ut ***amans***, vulgo pro substantivo usurpatis. Cum nostro recte conferres Plinii: saxa, quorum pondere stabiliverat constituens (i. e. qui constituerat), et Ovidii, Am. 3,10,34, irrita decepti vota colentis erant.

In hexametro ***prima salutamus*** etc. nomen proprium ***Bahia**** retinuimus, non quærentes, nec solliciti, quo nomine aliis urbem adpellare placuerit. Idem fecimus in ***Trinidada***, quod habes in sequentibus.

In pentametro ***quam flexum*** etc. in voce ***monsoons*** idem placuit, quod superius in urbium nomine proprio. Quod si quis cum Seyffertio (*) aut quocunque alio, nimis sapiente, carpat aut rideat, dicam, me nondum vidisse, cur latina non eadem hic, qua recentiori lingua utentes, libertate gaudeamus; neque vero in similibus terminationem non latinam magis horreo, quam in multis ex hebraica lingua nominibus; qualia, si non Augustei ævi poetæ, veteres tamen scriptores immutata servarunt.

In hexametro ***ab Vellore*** etc. urbis nomen ***Vaniambaddi*** immutatum retinuimus; de quo vide notam præcedentem. Quantitatem syllabarum in talibus ad legem prosodiæ latinæ exigere aut constituere, aliis placeat; ego nolim, quippe accentum potius, quam alia, sequens; tametsi fateor, me vocis illius veram pronuntiationem ignorare. Sed hanc in similibus neque veteres neque nos multum curamus, plerumque sue quisque linguæ pronuntiandi rationi externa accommodantes.

Ad pag. 12. seriem 1. Ad elegiam inscriptam ***jam vale*** etc. trahere placuit unam e notis, quæ carminibus a me a. 1833 vulgatis adhærent. Veterum, quæ supersunt, argumento scilicet, non versu tantum, elegiaca, si ***heroides*** ovidianas et pauca insuper, in iisque ***ad Liviam consolationem*** excipias, pleraque multo breviora esse, nullam Catulli, Tibulli aut Propertii elegiam ad ducentos, quin etiam paucissimas ad centum versus extendi, non ignoro; neque tamen propterea hanc illis poetis persuasionem fuisse crederem, longiora in eo genere vix aut nequaquam placitura. Tametsi enim verissimum est, non aliam poesis speciem ab redundanti longitudine perinde ac lyricam et elegiacam, quatenus auctoris animi motibus adfectibusque exhibendis continetur, abhorrere: manifestum tamen est, cum hac quasi propria elegiæ et lyræ parte alia ita posse apte, eaque cum varietate misceri, ut eadem carmina longissima simul et jucundissima inveniantur. Sic, ut uno exemplo utamur, Horatii odæ ita sunt universe breves, ut paucæ sexaginta, nulla octoginta versus excedat; atqui eædem tam sunt omnes fere et rebus plenæ, et sententiis numerisque absolutæ, ut nihil additum velles: contra Pindari, ut brevia nonnulla valde, sic alia longissima, neque ob eam rem minus eximia habentur. Fatendum tamen, in hoc præsertim genere metuendum esse, ne longiores citius operis summa infelices videamur, atque eo majus periculum esse, quo diutius in nobis ipsis, animum resque nostras explicantes, moremur. Unde patet, hic multa de se loquentem ipsa quidem poesis natura excusari; sed, ut feratur, ne dicam valde placeat, eum mente et animo esse oportere, quem pulchro gaudentes sive sentientem, sive fingentem etiam, cum voluptate sequamur. Nam et ficta interdum arte, ut vera, movent delectantque, et, ne fastidio sis, minime satis est, veros te animi sensus prodidisse. Quæ ut ad elegiaca mea pæne omnia referantur, si plurima in his, si nihil non displiceat, non utique confictis hoc rebus animique sensibus, sed aut aliis etiam causis, aut artis modo, quam dixi, vitio tribuendum erit.

(*) Vide not., pag. 154, ser. 2.

A disticho *pauca docebamur* etc. quæ mihi mire placuisse dixi, vereor ne eadem longa serie narrata lectoris pulchri sensum, ut Ovidii Actæonem invadentes canes, offendant; quanquam illius hic major utique culpa videtur. Cæterum, quod magnus ille poeta sæpe peccavit, hoc ego, minimorum minimus, uno alterove loco excepto, studiose vitavi. Neque enim ignorabam, vitia, a quibus vulgares humilesque scriptores sæpe facilius, quam fœcundi et splendidi, cavemus, in parvis, ubi nulla magni ingenii virtute compensantur, minus multo, quam in summis, tolerari.

Ad pag. 12. seriem 2. Pentametrum *qui puer* etc. sine vero commate finitum dicere potes; de quo vide pag. 151, ser. 2.

Ad pag. 13. seriem 1. In Pentametro *vel quota* etc. *memor esse* vides pro *memoria* positum, quod versus excludebat.

In disticho *nulla etiam* etc. exemplum habes constructionis, qualem disjectam vocavimus; de qua vide pag. 157, ser. 2.

Ad pag. 13. seriem 2. Pentameter *victorem* etc. repetit decantatum illud Horatii: Græcia capta ferum victorem cepit.

In pentametro *ad grandes* etc. in priore editione diximus *nescius ire*; verius nunc *suevit ire*; non enim Schiller in tenui quoque et populari dictione numerisque, ubi his uti voluit, non eminet; sed, natura ad grandia pronior, ad illa rarius demittitur.

In hexametro *non ego Sinceri* etc. Sincerum intellige Sannazarium, de quo Voltairius, sepulchrum ejus significans, *où Sannazar est trop près de Virgile*. Nos, cur Voltairii, de poetis neolatinis judicantis, exigua sit aut nulla auctoritas, demonstravimus in libro *réflexions sur l'usage du latin moderne en poésie et sur le mérite des poëtes latins modernes*, ubi de Sannazario, Fracastorio, aliisque nonnullis prolixius disceptantes, simul, quid de poesis neolatinæ contemtoribus, in quibus Boileau et Voltaire, statuendum, expendimus.

Ad pag. 14. seriem 1. A versu *sic vario* etc. locum habes, cui similis pag. 24. ser. 1.

Ad pag. 14. seriem 2. In disticho *cryptogamum* etc. constructio est, qualem veterum exemplis tuendam putavimus. Vide pag. 157, ser. 2. De voce *lente*, vide notatum de voce *charta*, pag. 155, ser. 1.

Ad pag. 15. seriem 1. Schlegelis *artem Græcorum* hic tertium edimus, nihil fere secundæ editionis mutantes, qua primam intensissima cura perfectam dedimus, majorem difficultatem, quam in *Roma*, multo etiam majorem, quam in aliorum elegiis, quin etiam in Schilleri *ambulatione*, experti: cujus rei, ad latine vertendi artem, et linguæ germanicæ cum latina comparationem pertinentis, operæ pretium videtur præcipuas causas hic, quales in præfatione ad primam carminis editionem exposuimus, subjicere.

Nempe Schlegel eximia patrii sermonis facultate pollens, repugnantem ad severam metri elegiaci legem ita flexit, ut merito dubitemus, an inter nostrates quisquam hac eum arte superaverit. Videlicet nemo illo melius sentire debuit, quantum numerorum suavitate et concinna phrasium constructionis, si ita dicere fas est, brevitate a Romanis superentur elegiaca carmina a nostris poetis iisque optimis composita. Igitur utraque dote ad veteres, quam proxime patria lingua pateretur, accedere conatus est, ad alteram quidem consequendam inprimis trochæorum pro spondeis frequentem apud alios plerosque usum religiose vitans; quo simul et metri legem servavit, et numerorum varietati consuluit. Neque tamen, ut ut aliis præstiterit, latini sermonis nimiam præ patrio in antiquis versuum formis excellentiam ubique attingere potuit; nec est cur ab alio facile exspectemus, quod ille frustra tentaverit.

Ad alteram vero dotem quod attinet, certum est, Schlegelem brevitate non æquasse modo latinam linguam, sed superasse; si quidem styli brevitatem recte metimur eorum, quæ certo verborum numero exprimuntur, copia. Etenim elegias Schlegelis vertentes raro singulis distichis comprehensa eodem includere spatio non magnopere laboravimus; ac dubium non erat, quin summum brevitatis studium frustra plerumque foret, si in phrasium sensu reddendo verba quoque verbis anxie quæreremus.

Quanquam hujus difficultatis ad singularem styli brevitatem duæ causæ accedebant. Nempe alia est phrasium brevitas, alia vocabulorum: illa verborum ad rem exprimendam, hæc syllabarum in vocabulis numero censetur. Atqui hoc nomine, si quis linguam germanicam comparare cum latina velit, statim intelliget, breviorem esse germanicam. Patet inde, quum versus definito syllabarum numero contineatur, eum germanico majorem vocabulorum numerum quam latino sermone, ut plurimum, posse recipere, sicque non parum augeri vertentis difficultatem.

Altera porro causa ad styli brevitatem accedens est, quod, qui metrum elegiacum sermone germanico severe exprimit, atque adeo trochaicos pedes vitat, propter exiguam spondeorum copiam ad dactylos sæpe iis quoque in pedibus recurrere cogitur, qui utrumque juxta admittunt, suntque in hexametro minimum quatuor, in pentametro autem duo. Atqui hæc res, ut varietati nocet numerorum, sic syllabarum numerum auget, et experientia id, quod necesse est, evenire cognoscimus. Ac ne a Schlegelis carminibus abeamus: qui operæ pretium putaverit comparationem facere, inveniet, ejus distichis syllabarum numero nostra vix semel æquari tantum, majorem vero partem pluribus superari. Hæc adeo nova vertenti difficultas; quippe aut spondeos vitare cogitur, aut minori syllabarum numero distichon

conficere. Jam, ut uno verbo discriminis nobis exponendi causa intelligatur: quum in aliorum elegiis neque singulare illud brevitatis studium inveniremus, neque versus ad metri elegiaci legem severe exactos, patet, cur levior in iis vertendis opera fuerit.

Initium *artis Græcorum* ad Italiam, ut olim Corinthus, artium monumentis spoliatam refertur: quæ spoliatio sane barbaros potius, quam Gallorum gentem decebat, non tamen ideo Mumiana illa barbarie a poeta nostro notandam, quippe artes et amantem et feliciter colentem.

Locus *interea* etc. antiquitatis artem spectat Gœthei ingenio illustratam.

Locus *tu Teucros* usque ad *hic bene tu servas* obscuritate laborat, qua, ne forte interpretis hanc culpam putes, carere non potest tot res tamque subtilia tam paucis verbis adumbrantis doctissima brevitas.

In pentametro *ausoniis* etc.. *grato quæ tibi visa* intellige: quæ tu, gratus, i. e. acceptus, jucundus, ausoniis plagis, vidisti: archetypum hic, multo simplicius et nulla ambiguitate, *quæ libens tibi Ausonia monstravit*; quæ profecto melius vertissem: ausonis ostendit (vel itala monstravit) quæ tibi terra libens: quod quum facere in promptu esset, ipse hic legem a me neglectam miror, ut ne verbis quidem a reddenda sententia longius aberrarem, nisi aut necessitas, velut ob metrum versus spatiumve angustius, cogeret, aut verba archetypo respondentia sive vim ejus, sive gravitatem leporemve aut nitorem non æquarent; ut jam, (velut in voce *Wanderstab*, de qua alio loco monemus,) præstare videretur, sententiam potius archetypo dignam, quam verba congruentia exhibere.

In pentametro *texit Pompejos* etc. pro urbe herculanea poeta littus, nos, elegantioris numeri gratia, viam herculeam diximus. Ad eundem locum Propertii, 1, 11, 2; qua jacet herculeis semita littoribus, et, 3, 16, 4: sonat herculeo structa labore via.

Ad pag. 15. seriem 2. In disticho *fons salit* etc. Cyrenen celebrem quadrigis vocat poeta propter olympicos ex ea urbe victores.

In disticho *Alpheumque* etc. habes notissimam fabulam de Alpheo, flumine, nympham Arethusam amante. De quo cf. Ovid. *Metam.* 5, 573. sqq.

Distichum *intus at* etc. refer ad statuam Jovis Olympici.

Ad locum *Pindare* etc. cf. Pind. *Olymp.* ode 1, v. 131 et 179, ode 2, v. 1 et 145, *Pyth.* ode 4, v. 329. Tela sive sagittas Pindarus ipse carmina sua appellavit.

In disticho *non modo virtutem* etc. habes Hesiodi Τῆς δ' ἀρετῆς ἵδρωτα, θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Distichum *simplice dura* etc. tres columnarum ordines distinguit.

Ad pag. 16. seriem 1. in loco *o, tua, ubi*, etc. ante *tibi quæ* e versu præcedente subintellige *ubi*, ut sit: aut ubi est imago, quæ pictam, scilicet a te, tibi toro junxit? De constructione vide notam ad pag. 11. ser. 1. Habes hic locum sexcentis, quos apud veteres nemo hoc nomine carpit, non obscuriorem; quales qui in poeta neolatino non toleret, is, ut supra jam diximus, ne veteres quidem unquam cum voluptate legerit. De puella, Apelli, cujus imaginem illi pinxerat, ab Alexandro donata, Plin. 35, 10: cum dilectam sibi ex pallacis suis præcipue nomine Campaspem nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, eumque tum pari captum amore sensisset, dono eam dedit. Sequentia ad Apellis Venerem anadyomenen pertinent. Cf. Plin. l. c.

Ad locum *tum pretiosa* etc. trahe Plinii, l. c., Phidias, præter Jovem olympium, quem nemo æmulatur, fecit et ex ebore æque Minervam etc.

De constructione in disticho *non, tibi* etc. vide notam ad pag. 11. ser. 1. Vulgaris junctura foret: naturam, quæ doluit tibi normam dedisse, non doces corporis harmoniam.

In versu *nec tua* etc. ultimam in *Nemesis* in ictu produxi.

De Scopa et Praxitele cf. Plin., 36, 5, 34, 8, de Mentore 7, 38, 33, 11, et, quæ Schlegel imitatus, Propertii, 1, 14, 1,

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere.

Ad pag. 16. seriem 2. Ad locum *te dulcem* etc. cf. Ovid. *Heroid.* 15, 164. sqq. Pro *Teie*, ubi formam adeo vocandi casus carpere quis velit, propter insuavem quoque sonum repetitæ litteræ *t*, aliud mallem.

Pentametrum *cincta chorum* etc. in priore editione finiebat *cui* dissyllabum, quod, nulla satis idonea auctoritate, aliquoties usurpaveram. Apud prudentium aliosque ejus ætatis occurrere scio; etiam apud Martialem, sed ambigue.

Locum *agrestes* etc. ad rudem tragœdiæ originem et dramata refer, in quibus Prometheus ignem ignotum satyris ferens repræsentabatur.

Locus *indomito* etc. ad dithyrambicos poetas pertinet, in quibus Schlegel Melanippidem ponit; nos metri conficiendi gratia Lasum, in illo poesis genere celebratum, substituimus.

In loco *sola refert* etc. *echo romana* et *umbra camœna* Propertium designant, qui se Callimachi et Philetæ cultorem atque imitatorem profitetur, velut 3, 1, 1, in:

Callimachi manes, et Coi sacra Philetæ,
In vestrum quæso me sinite ire nemus.

Cf. idem 3, 2, 53. De pentametro cf. Hermesianactis elegiæ v. 35. et 79., Prop. 1, 7, 19, et 1, 9, 11. In *Hermesianactis* metrum constabit tertia et quarta in unam syllabam contractis. Ad eandem synizesin recurrimus in nominibus Justinianus et Octavianus, quæ aliter versus non admittebat; neque vero hoc nullo veterum exemplo fecimus.

Ad *somnia sola cavæ retro volitantque figuræ* hic, ad similia trahendum, notamus: rigidos censores damnare, quale J. C. Scaliger in Tibullo, vocem scilicet, adhærente particula *que*, eo loco, præsertim in pentametro, positam, ubi, nisi versus quodammodo cogeret, non facile aut prorsus non admitteres. Tibulli huc cum aliis refer *de facili composuitque luto*. E meis simile huic in *mundi vim sequiturque viis*, in *sylvis vidimus inque suis*, in *pacem terrigenisque canit*, aliisque nonnullis. Diversa ratio est, quum, ut in versu proposito, contra vulgarem prosæ orationis nexum, particula *que* verbo sententiæ additur, cui extra versum addere non ausis; quale nos alias quoque, ut in *tecta revisoque rura* (pro *tecta et rura reviso*), in *caveas quum fugeretque fora*, in *os animam dederitque sensum* non vitamus. Simile nostro, sed non leviter offendens, est in Tibulli *quantum est auri potius pereatque smaragdi*, ubi insolens junctura lectionis varietatem peperit.

In *ergo viam* etc. metricus justo rigidior notare possit secundam in *ergo* correptam. Ego autem hic non tam Santenium aliquem, etsi ab Ruhnkenio ideo laudatum, quam Ovidium auctorem probo; is enim brevi non semel usus, neque vero solus ex aurea ætate tantum ausus; nisi *Cirim* ad posteriorem trahamus: in argentea syllabam usu ancipitem fuisse, Juvenalis aliique arguunt.

Ad pag. 17. seriem 1. In pentametro *et schola* etc. scholam dicimus singula tempora studiis data; fortasse minus, quam satis sit, latine.

Ad pag. 17. seriem 2. Locum *salvator* etc. copiosius aliquanto tractatum habes a Lotichio, eleg. 6. lib. 4., ubi cum aliis:

Dixit, et in vacuo pendentes aere cœtus
Ætherei dulces concinuere modos;
Impleruntque vagis discursibus æthera notum:
Gloria sit summo, vox erat una, deo,
Plenaque tranquillæ tellus secura quietis,
Et colat humanum jusque piumque genus.

Voce *salvator*, a christianis scriptoribus primum usurpata, in re christiana uti maluimus, quam classicam quærere. Similis est ratio in *redemptor*, quod pariter idoneo loco non vitavimus.

In *at alibi* etc. habes distichon sine commate; qualia cur rara apud veteres, ipsa res, ne diu quæramus, vetat; ac sane necesse non fuit, ne sæpe recurrerent, multum laborare: quo minus e parvo numero, illa vitata esse, recte colligeres. Neque tamen dubito, quin sæpe occurrentia veterum quoque aures, ut nostras, meas certe, offendissent, qui ne duo quidem conjuncta facile tolerarem.

De constructione in disticho *at consecratum* etc., vide pag. 159, ser. 1.

Ad pag. 18. seriem 1. In pentametro *pax, Jesu*, etc. prior editio habet *cœlituum*, quod pro *cœlitum*, genitivi *alituum* instar, aliquoties, recentiorum, in quibus Vida, exemplo decepti, usurpavimus. Major hic culpa Friedemanni, qui in Sintenisii *Gradu ad Parnassum* aut servavit *cœlituum*, aut ipse induxit, ubi et Virgilio falso tribuitur. Quanquam suspicor formam illam in codice uno alterove fuisse repertam, atque hinc maxime Vidam sumpsisse, apud quem tamen nonnisi semel reperi.

De-Lamartinii carmina omnino septem vertimus: in quibus omnibus singulisve, (ut hic alibi jam dictum repetatur,) quid non, quid parum, quid insigniter probem, dicere longum; singula autem vel ut præcipue idonea, in queis sermonis latini vis et copia cernerentur, vel ut pulchra potius, vel denique utraque ratione ductus elegi. Sic enim reputabam: si in carminibus cum magni poetæ, tum ingenio, si quis alius, ad recentiorem, ut non vana distinctione loquuntur, poesin trahendi: si igitur in hujus carminibus non vi, non copia, non splendore, nulla denique primaria dote vinceretur inter classicos, ut ita dicam, terminos contenta latinitas; jam supervacuum fore aliis argumentis eorum sententiam refutare, qui in ipsa Romanorum sermonis indole causam, cur hæc a poesi nunc excludenda sit, sive ipsi repererunt, sive inesse, aliorum dicta repetentes, contendunt.

In pentametro *culmina* etc. demonstrativum *hicce*, quo plurimos versus et quosdam ridicule confecit Feuerlein, ego, ut aliis locis nonnullis, nisi coactus, non facile retinuissem; est enim in aureæ ætatis poetis, (ne de cæteris hic quæramus,) quantum reperi, rarissimum, in Virgilio, Tibullo, Propertio, quin etiam Catullo, ne semel quidem, opinor, occurrens. Horatii quoque, dubito, an aliud exemplum, quam in *hosce secutus*; nam *hunccine* huc non trahendum; neque vero *hicce* apud Plautum et Terentium. Cicero tamen non uno in versu usurpavit; Lucretius an semel iterumve, non satis exploratum habeo.

Locus *scilicet alternas* etc. obscuræ, mihi quidem, sententiæ, illis addendus, in quibus quid meum, interpretis, esse reputaverim, vide pag. 156, ser. 2.

In *hexametro ventorum* etc. genitivum *tonitrus*, apud veteres vix occurrentem, invitus servavi. Minus etiam dativo auctorem repereris; ideoque ipse in *campana* male *tonitrui vicina*, ubi nunc *tonitribus*.

Ad pag. 18. seriem 2. De constructione in loco ***frondosis, si vos*** **etc. vide pag. 159, ser. 1.**

Suavissimum Schilleri poemation *Sehnsucht*, cujus vocis vim integram non reddit *desiderium*, quatuor octo versuum strophis componitur, quas singulas duobus distichis, ac totidem fere, quot archetypum habet, syllabis expressimus. Feuerlein, strophas sapphicas præferens, duabus primam archetypi sic reddit:

Alta convallis! nebulis gravata
Frigidis, te me cupio expedire;
Fausta tum demum cadat ingementi
Sors, et amica.

Lucidos colles ibi cerno, semper
Floridos, semper nitidos; volucres
Si mihi pennæ fierent, volarem
Lætus ad illos.

Quæ vides a meis et sententia, quam utique minimum addens demensve expressi, et sermone ita distare, ut, si alterum, non dico laudes, sed ferendum putes, alteri, ut in malam rem abeat, necesse habeas suadere.

In pentametro *horrescitque animus, sic tumet unda, meus* numerus, si quid judico, rem non male imitatur; quin talem hic impensius, quam multis aliis in locis, quæsierim. Feuerlein, quod ego uno disticho, hac strophe vertit: me tamen torrens prohibet beatis his plagis interfluus: impedito, ut cor horrescat, minitatur acer æstibus altis. In quibus et redundat et deest aliquid.

In pentametro *sylvis* etc. habes vocem *inque* positam, ubi prosa oratio non pateretur; de quo vide pag. 153, ser. 1.

Ad pag. 19. seriem 1. In disticho *vos mihi* etc. prior editio pro *Quirini* habet *quiritum*, quam genitivi formam grammaticos sero vidi non agnoscere; an vitiosa tamen sit, nonnihil dubito, et in lectionis varietate occurrentem memini me reperire.

De disticho sine commate, *indocilem* etc. vide pag. 163, ser. 1.

Locum, qualis est *vos mihi perpetuum* etc. a neolatino, qui sermone etiam cum veterum optimis contendere possit, tractatum habes in elegis Lotichii, inscriptis *ad lauros in hortis suburbanis*.

Ad pag. 20. seriem. 1. In disticho ***seu vigilem*** **etc. prior editio minus recte** ***seu subiret, seu venit.*** **nec modo nec tempore congruentibus verbis. Sunt, qui in similibus conjunctivum prorsus nolint, quos hic refutare longum.**

Ad pag. 20. seriem 2. J. G. a Salis poeta multa, quam tulit, laude dignus, in eo genere eminens, quod, sive recentiore sive antiqua versus forma, ab argumento et tractandi ratione, adfectibusque in eo dominantibus, elegiacum vocamus. Hujus autem propria virtus molle quoddam ac tenerum, idque apud multos in ludentis animi motus proclive; quum, poetam velut, quomodo ingeniose flebilis sit, quæsisse, adparet: quo vitio si non prorsus caret, raro utique culpandus a Salis. Germanorum poetæ, ex quo veterum metra imitari cœperunt, in elegiaco genere sæpe disticho utuntur; quam carminis formam par erat ab interprete latino ubique retineri. Klopstockius aliique quid in elegis peccaverint, in nota ad Schlegelis *Romam* pag. 150. monuimus. A Salis, præter *elegiam ad quietem*, poemation vertimus inscriptum *das Grab*, versibus homœoteleutis compositum, quod habes pag. 46, ser. 1; quæ tamen translatio, ut versu, sic sermone etiam ab archetypo adeo discrepat, ut imitationi quam translationi sit similior.

In pentametro *vel streperent* etc. *roseis æmula genis* reddit germanicum *purpurwangig*; ac sane non video, cur latine minus, quam germanice, poma genarum colori æmula dicantur, quin ideo *poma rubris genis*, quod alio in carmine dixeram, contra latinum vocis apud veteres usum, retinere voluerim; nec enim in talibus, ubi Latini deficiunt, ad Græcos recurrendum esse existimo.

Locus *mœroris* etc. in difficillimis latine vertenti ponendus, idque vel propter vocem *Wehmuth* in *lœchelte mir ihr Blick Wehmuth und liebliche Ruh*, cui voci tanquam dulcis doloris et desiderii vis inest. Ac, ne forte (de quo vide dissertationem a §. 59.) linguam latinam hic, ut mancam in recentiorum animi motibus exprimendis, accusandam putes, nec gallice vertentis in loco nostro minorem, quam neolatini, difficultatem fore, adfirmare non dubitemus.

Ad ultimi versus *fugitque* trahenda, quæ pag. 163, ser. 1, monuimus.

Ad pag. 21 seriem 1. Klopstockii, præter elegiam, ad quam hæc adnotamus, alia carmina, in iisque aliquot epigrammata, latine vertimus, quæ omnia huic volumini inserta. De poeta autem, superfluum sit in dissertatione de usu linguæ latinæ, §. 78, dicta hic repetere; in quibus, non erat, cur quidquam prioris editionis mutaremus. Lyrica Klopstockii qui cuncta legerint, pro ingenti scilicet poetæ et vetusta jam fama, paucos hodie vel inter doctos poesis germanicæ cultores esse, non ægre crederem. *Messiadis* aliquamdiu in Germania tanta fuit, quanta ullius usquam operis admiratio, priore tamen illa longissimi poematis parte maxime excitata; quæ gloria cur integra constare non potuerit, multi, longo abhinc tempore, critici multis variisque rationibus, nobis hic non attingendis, exposuerunt. Quæcunque primaria sit rei causa, certum manet, *messiadi*, quamlibet multis locis eximiæ, tamen longe etiam pauciores quam lyricis Klopstockii lectores superare; atque eo minus memet pu'eat ve-

rum fateri, qui juvenili ætate epos illud legere adgressus, nisi perdurare quodammodo officii mei duxissem, nondum, opinor, ad finem pervenissem. Sed de his non amplius. In elegia *Rothschild's Graber*, ut mula egregia, sic. quæ merito displiceant, non deesse dicerem; velut, distichum *aversus* etc. cumque hoc in sequentibus conjuncta, ***sed titubans cur usque morer subiisse sepulchrum***, non mirer, si adfectati quis potius doloris, quam veri sensus, esse, contendat. At enim, licet de auctoribus interdum aliquid universe pronuntiare, interdum vero singula quoque tangere, sive laudanti sive carpenti, placuerit, censorem tamen eorum, quæ latina fecimus, agere, nequaquam propositi nostri fuit, neque adeo hic illo munere, atque eo minus fungendum, ne, quem virum a pueris nunquam venerari desiimus, in eo reprehendendo nunc indulgere nobis voluisse videamur. Klopstockii numerosa carmina, quæ odarum titulo comprehensa, an cuncta latina quis fecerit, ignoro; partes qui verterent, non defuerunt. Ex his Alb. Knapp quindecim odas edidit Tubingæ, a. 1828, qui quid potuerit, ostendendi alia occasione utemur.

Ad pag. 21, seriem 2. Habes hic carmen, si me judicem vis, in Schillero quoque eximium; quale equidem malim, quam plures sive Ovidii, sive Propertii adeo aut Tibulli elegias, fecisse; quale, ut hoc addam, poesis neolatina, quod noverim, nullum habeat; atque eo impensius interpreti contendendum fuit, ne quid nimis archetypo indignum daret. Feuerlein, (ut hic quoque, si alterum toleres, alterum nequeas non cruce dignum judicare,) initium elegiæ sic reddidit:

Ecce! chori leviter bini, binique rotantur,
  Par quodvis volucri vix pede tangit humum.
Num graciles umbræ tenuesque vagantur, an alba
  Ætherias lamias lampade luna juvat?

Quanquam hæc mihi quidem multo meliora videntur disticho sexto, ubi germanicum

Schnell vor ihm her entsteht ihm die Bahn, die hinter ihm schwindet;
  Wie durch magische Hand œffnet und schliesst sich der Weg,

et quæ sequuntur, sic expressa habes;

Hoc sibi munit iter, quod desinit illico post hoc;
  Fit via, ut arte magi, clauditur hæcque brevi,
En! par interiit submersum turbine vivo,
  Mobilis ordo perit, qui modo gratus erat.

His, si tamen potest, pejus distichum duodecimum:

Disce! melos sceptro divino deprimit acres
  Saltus, ut fiant bella chorea rudes.

Quæ cum mille aliis, nec quidquam melioribus, intuens, ne Seyffertio quidem, homini plus quam satis confidenti, succenseas, qui de Feuerleinio; si qui sunt igniculi virtutum, in flammam accendi propter nimias sordes nequiverunt. Ipse autem Seyffert quid Schilleri interpres valuerit, nos alio loco attigimus. In Feuerleinii nomine ludentem æmulari si me non dedeceat, *igniculis* ejus opponerem distichum:

Feuerlein stimmt zehn Jahre die schiller'sche Lyra lateinisch,
  Ach, und sein Feuerlein dann giebt er für lyrisches Feu'r!

Sed enim nec generosi est optimæ voluntatis viro illudere, et, si quid ego unquam recte in sermone et poesi latina sensi, nemini magis, quam Seyffertio, ut rivalibus parcat, suadendum; quo si melius facere non potui, unum opto, ut, quidquid versuum latinorum composui, cum illius simul et Feuerleinii musa Veneris marito quam citissime donetur.

Ad pag. 23. seriem 1. In hexametro *sic vitæ* etc. in Tibulli ***suprema mihi quum venerit hora*** incidimus; quale an, quatenusve in neolatinis carpendum, alio loco (pag. 153, ser. 2.) quæsivimus.

Ad pag. 24. seriem 1. In loco ***quis lapidem*** etc., ut indicativum in ***stringitve***, et, quæ sequuntur, verbis carpere nequeas, ***novit***, ***quæ vis*** ad vulgarem constructionem ***novit vim***, ***quæ*** revoca., ut sit: quis novit vim, quæ lapidem stringitve metallum etc. Tametsi ego ne in altera quidem junctura: ***quis novit***, ***quæ*** (i. e. quænam) ***vis lapidem stringit***, indicativum prorsus vitiosum dicerem; qualis junctura est in disticho ***quis potis*** etc., ubi conjunctivo utimur,

Ad pag. 24. seriem 2. In pentametro ***quam stadii*** etc. vocem ***stadium***, ut aliis quoque in locis ad tropum traximus, veterum nulli, quod sciam, usurpatum. Si improbas ***stadium*** vitæ, ne mihi quidem satis placens, lege ***cursus vitæ***. Minus, opinor, aut nihil carpseris, pag. 15, ser. 1, ***ad metam stadii mei***, et, pag. 20, ser. 2, ***longo stadio requiescere***.

In pentametro ***si mage*** etc. ***turpe*** eodem sensu diximus, quo, pag. 44. ser. 2., in ***turpe, veloci citu ni capessas gaudia passu***; ubi, memini, virum latine doctissimum, an veteres sic ***turpe*** usurparint, quæsisse. Me id dubitare non sinit Propertii: turpe est, quod nequeas capiti committere pondus; Ciceronis ***de Fin.*** 1, 6, quo nihil turpius physico, et Quintiliani 10, 2, turpe contentum esse id consequi, quod imiteris.

Ad pag. 25. seriem 1. In disticho ***sic ego*** etc. in ***ploro***, ***spes quæ vana fecit***, pro ***ploro spem vanam***; ***quæ fecit***, habes constructionem, de qua vide pag. 159, ser. 1. Pro nimis ambiguo tamen nunc malo ***spem, longos*** etc.

De ***que*** adhærente in pentametro ***hoc vitæ*** etc. vide pag. 163, ser. 1.

AD pag. 25. seriem 2. In disticho *illic* etc. habes *arctà, quæ ora*, pro *arca orà, quæ*.

In disticho *ad metam* etc. *respiremus, quæ quies*, simili notæ præcedentis constructione, accipe pro *respiremus quietem, quæ*. Vide pag. 159, ser. 1.

In hexametro *prudentem* etc. cæsura est in *deus, ut*, quam, Apelio certe auctore, carpere possis: nec vero ego imitandam censeo; licet Virgilius quoque sæpius, ita tamen plerumque, ut minus offendat, admiserit. Valde displicet Cottæ, quem inepte docti etiam poetæ mirantur: ergo non credis mihi? non mihi credis amanti? Cf. Ovidii, *de P.* 1, 7, 3, indicat auctorem locus? an, nisi nomine lecto, etc.

Ad *Doxobromon demissa aure ambulantem* trahenda sunt, quæ, pag. 77, ser 2, de satirici argumenti carminibus nostris confessi sumus.

AD pag. 26. seriem. 2. Distichon *lude! gravis.* etc. Feuerlein, facili, ut in cæteris, opera, reddidit:

Lude! labor veniet brevi iniquus et improbus—Eheu!
Officii imperium cor animusque negant;

Ubi *negare imperium* quid aliud dicemus esse, quam *nolle imperare?* At Schiller longe diversa sententia: *und der gebietenden Pflicht mangeln die Lust und der Muth.* Vocem quoque *improbus* non tam recte vertentis, quam Virgiliano uti gaudentis, crederem.

Stolbergii *an die Natur* homœoteleutis versibus potius, quam elegis, vertendum erat. Archetypum, quo nihil ex illo genere suavius novi, sic habet:

Süsse, heilige Natur,
Lass mich geh'n auf deiner Spur,
Leite mich an deiner Hand,
Wie ein Kind am Gængelband!

Wenn ich dann ermüdet bin,
Sink ich dir am Busen hin,
Athme süsse Himmelslust
Hangend an der Mutterbrust.

Ach! wie wohl ist mir bey dir!
Will dich lieben für und für;
Lass mich geh'n auf deiner Spur,
Süsse, heilige Natur!

AD pag. 27. seriem 1. Carmine *vates mundi primævi* in me, ut ipse ait, *perstringendo* usus est Maur. Seyffert, pædag. regii hal. collega: qui, postquam sapienter, interpreti hoc efficiendum, dixit, ut « et facile carmen in omnium animos se insinuet, et elaboratissimum quodque quasi nulla opera et studio difficiliore videatur factum esse, » addit: « Sed hoc mirum quantum neglexit Fussius, qui, in cura versuum nimius, compositionis ruditate haud raro nauseam movet. » Idque « ne cui temere, dixisse videatur, comparationis gratia » ipsos versus meos adscripsit, adfirmans, se hæc, « quæ vere lutulenta fluant, » non *posuisse*, « nisi ab nonnullis cognitum esset » me « poetam optimum adpellari, » id est, ut equidem conjicio, nisi notum esset, me ab nonnullis etc.

Seyffert qualis quantusque sit interpres, non uno exemplo nos, sed, quot satis putamus, in notis hisce docemus; ipse autem, etsi aliquot versuum millia a me latine reddita esse sciebat, uno octo distichorum carmine, me haud raro *nauseam movere*, demonstratum voluit; cumque idem carmen homo confidentissimus a se summo studio ita translatum fateatur, ut « haud sciat, an nonnemini sit displiciturum, » malletque, quoniam in disticho septimo sibimet non satisfecerit, totum potius omisisse; nonne jam hinc recte suspicemur, illum, quamcunque demum ob causam, iniquiore in me animo fuisse? Optimum porro poetam, an cui cognitum sit, me a nonnullis adpellari, nec scio, nec scire multum laboro; sed illud manifestum, in Seyffertii nostri judicio interpretem cum poeta confundi. Enimvero, quemadmodum vel optimus interpres non ideo bonus poeta dicendus est; sic nihil obstat, quominus malus interpres probabilis sit poeta; neque vero, an sit necne, in interprete, sed in propriis potius ejus carminibus quærendum esse, non dubito, quin censorem meum assentientem habeam. Quanquam ego illi invicem libenterque concedo, optimum poetam ne interpretantem quidem facile lutulentum poemation compositurum: quale an sit nostrum, Hermannum aliquem malumus, quam Mauritium Seyffertium, dijudicare. Erat sane in difficillima opera, quod mihimet displiceret; nec aliud magis, quam distichum quintum: voce quod ingenium, fingens peperatve, penates, quisque verebatur, ceu subeunte deo; ubi constructio disjecta, qualem alio loco (pag. 157, ser. 2.) veterum auctoritate defendimus, non laudandam quidem, sed in interprete difficillimis in locis citius utique excusandam. Distichum vero illud, vitio etiam typographico *peperat*, quod Seyffertium latuerit, a ffectum, nunc ita emendavi, ut, in constructione quidem, *lutulentum fluens* nihil relinquerem. Præter constructionem autem, quid in distichis meis aut fuerit aut etiam supersit lutulentum, confiteor me prorsus ignorare. Etenim, ut censori, me nil satis recte vertisse, largiar, tamen nec in singulis verbis, nec in locutionibus crassum quidquam limosumve aut putidum, nec denique in numeris reperio; ad quos si, ut puto, trahendum Seyffertii *vere lutulenta fluunt;* næ ille, ut cæteros mittam, apud Ovidium et Horatium, unde telum in me conjecit; in tantum luti inciderit, ut, periculum sit, ne ante eum nausea auferat, quam me, quid Horatio, quidve ipsi sit *lutulentum fluere*, docere dubitantem potuerit. Sed enim, jocandum mihi non esse intelligo cum homine nec prorsus indocto, et, quem amare adeo, de poesi neolatina recte et honorifice sentientem, quamvis lacessitus, debeam. Sit igitur satis, quam suis ipse meos comparandos dederit, in hoc ei me par pari,

Seyffertii versus hic subjicientem, retulisse (*). En ipsos:

Dic, age, sacrorum quo fugit gloria vatum,
 Queis stetit ad vivos rapta corona sonos?
Queis deus ex astris, quibus est homo vectus ad astra,
 Altaque alitibus corda levata modis?
Vivunt ah! vates, desunt momenta, lyræ vim
 Lætam quæ revocent, nec favor auris adest.
O ter felices ævi, quibus omne per ora
 Viva penetrabat vox animata genus.
Quisque salutabat pius, ut si numen adesset,
 Ingenium quodquod finxerat artis opus.
Carminis a facibus sensus arsere capaces,
 Ignibus his vates pavit et ipse suas
Correxitque faces. Felicem, cui populi vox
 Clarisono expressum rettulit ore melos,
Cui dedit hac terra coram se cernere numen,
 Quod, qui nunc vivit, vix capit intus homo.

Quæ archetypo comparans, vides rigidum censorem in primo versu, *sagt, wo sind die vortrefflichen hin, wo find ich die Sænger?* quasi, quod primum in buccam venerit, probasse; in tertio *die zum Himmel den Menschen gesungen* reddi: quibus est homo vectus ad astra; in quinto *die Thaten fehlen* reddi: desunt momenta; in septimo et octavo apertam sententiam *von Munde zu Munde flog, von Geschlecht zu Geschlecht, euer empfundenes Wort* ænigmati simillimam fieri. In reliquis hic morari jam tædet: mox tamen ad artis magistrum revertemur.

Bouterweki elegiam *an meine Freunde*, mea sententia parum probandam, non vertissem, nisi semel iterumve certare interpres cum B. G. Fischero voluissem, viro de poesi neolatina egregie merito. Qui an proprium aliquid ligata oratione composuerit, ignoro; sed multa versuum millia e germanico ita trans tulit, ut raram cum sermonis latini facultatem, tum in vertendo facilitatem doctis probaret. Neque vero laudatores ei defuerunt, in iisque ipse, quid de interprete sentirem, publice non semel sum professus; quoque præstantior in difficili, quam susceperat, opera præ aliis videbatur, eo ægrius ferebam, minus multo, quam valeret, Fischerum præstitisse, limæ scilicet, ut putabam, non nimis amantem; cui quod inimica solet esse facilitas, non ideo minus verum est, sine magno labore, et, quam nulla difficultas frangat, patientia neminem unquam aut Gœthei, cujus ille *Arminium et Dorotheam*, aut Schilleri, cujus *Campanam* et *Deos Græciæ*, aut Vossii *Luisæ*, quam ante illa vertit, satis dignum interpretem futurum. Hoc igitur si Fischero, ut mihi, persuasum fuisset, maluisset fortasse pauciora optime, quam plura modo egregie, modo mediocriter, modo, ut unus de multis, reddere. At ille contra, postquam in Gœtheo et Vossio, in Eberhardi etiam *Hanchen und die Küchlein*, laudem non parvam meruerat, ad alia, volumine Stuttgardiæ, 1826, vulgato collecta, transgressus, jam non tam universe perfectiorem se quam in multis (v. notam ad *campanam* ultimam) sui dissimilem, me quidem judice, qui virum sic quoque magni faciam, præbuit. Nec aliud ei valdius nocuisse dicerem, quam, quod, laborem, ut me dixi putare, fugiens, raro brevitatem archetypi simul cum integra sententia reddere conatus est, contraque sæpe breviores versus, servato numero, in longiores extendit; unde necesse fuit, laxius commodiusque incedenti tum vivida nervosaque brevitate expressa, in longius tracta, languescere, tum vero, adjectis ad mensuram implendam vocibus, a vertenda sententia plerumque liberius longeque aberrare. In elegia utique, ad quam hæc referimus, tale quid Fischero accidisse, vel primæ strophæ comparatio satis evinceret, quam ille, ut cæteras, quatuor, ego autem tribus distichis expressi, hic una cum ejus versibus subjectam. Judicent docti.

Wenn ich einst wie sie entschlummern werde,
 Die kein Morgengruss zur Freude weckt;
Wenn das schmale Hügelchen von Erde
 Einst auch meines Leibes Trümmer deckt:
Werd' ich dann nicht ganz von euch vergessen,
 Von euch, Edle, die ich liebe, seyn?
Werdet ihr dem fernern Schatten dessen,
 Der dann schlummert, eine Thræne weihn?

Cum velut exanimes, quos gaudia nulla salutant
 Mane, vocat socium me quoque longa quies;
Colliculus terræ, moles angusta, meorum
 Cum quoque membrorum rudera lapsa teget:
An sperare licet, generosa mente sodales
 Vos quoque, dilecti, tum meminisse mei?
Tum procul amotæ, qui dormit, an illius umbræ
 Decidet e vestris lacryma grata genis?

Habes hic septuaginta sex syllabas centum et decem circiter redditas; nos, etsi tribus modo distichis, tamen archetypum aliquot syllabis excedimus, quin ideo brevitate vincamur; si quidem verborum hanc, ut res jubet, non syllabarum numero metiaris. De quo vide, pag 161, ser. 2. Scilicet lingua latina syllabis sic longior, quam germanica, verbis contra brevior invenitur; idque intuens, non mireris, facile esse germanica paucioribus verbis, at difficillimum non pluribus syllabis latine vertere; unde, quam experti novimus, ingens sæpe in distichis reddendis diffi-

(*) Aptiorem sane utramque linguam callenti comparationem præberent binorum interpretum versus germanice, et, quantum fieri possit, congruentibus verbis redditi. Sed totum sic proponere longum. Si ex parte vis, uter ad Schilleri verba sensumque propius accedat, judicare, duo hic disticha translata subjicimus.
O dreimal Glückliche durch ihr Zeitalter! deren beseelte Stimme durch lebendigen Mund jedes Geschlecht durchdrang. Jeder grüsste fromm, als wære die Gottheit zugegen, jedes Werk der Kunst, welches das Genie (der Genius) gebildet. Hæc Seyffertii, quæ ipse, opinor, a me candide reddita fateretur. En mea. Glückliche Muse der glücklichen Welt, die die Herzen bewegte, fort von Geschlecht zu Geschlecht fliegend durch jeglichen Mund! So wie Gœtter im Hause, verehreten jegliches Kunstwerk Alle zugleich, das Genie, redend und bildend, erschuf. Utrisque igitur confer Schilleri versus:

Glückliche Dichter der glücklichen Welt! Von Munde zu Munde
 Flog, von Geschlecht zu Geschlecht, euer empfundenes Wort.
Wie man die Gœtter empfængt, so begrüsste jeder mit Andacht,
 Was der Genius ihm, redend und bildend, erschuf.

cultas. Fischerus igitur, ut in Bouterweki elegia, sic in aliis carminibus, in ea re passim longe ultra, quod oportebat, interdum vero adeo sibi indulsit, ut versus mensuram pæne, duplicaret; velut in Conzii *Gœz von Berlichingen* primos versus: *Heil dir! du edler deutscher Mann! Wie blick ich dich voll Ehrfurcht an*, in distichum sic diffudit:

Te quum suspicio, penetrat veneratio mentem,
Salve Teutonii gloria rara soli!

Quæ nemo non statim sentiet languida illa, quam incusavimus, redundantia vehementer laborare.

In hexametro *qui chorus* etc. si displicet *aligerum* pro *aligerorum*, lege *alituum*, vel *alatus*. Cæterum, *conticuit*, *qui chorus mulcet* hic pro *conticuit chorus*, *qui mulcet*. In versu sequenti *ecquis* jungendum cum *ingemet*, disjecta junctura; sed qua propius ad archetypum accessimus. Mallem tamen retinuisse: ecquis, muscosos hos velut ad tumulos, etc.

In loco *at diversa* etc. Obscura obscuris vertere necesse fuit; nam neque, cur gelidus amicus dicatur, satis perspicimus, nec quid velint verba *næher schon dem Ziele*, quæ reddimus *jam propius metam*.

Ad pag. 27. seriem 2. In disticho *non fero* etc. inimicas vero pectori argutias quum tollere interpreti non liceret, fucum fuco reddidimus.

Distichum *illustris* etc., obscurum atque insuave, excuset, rogo, nomen proprium, quod terminatione latinum facere nolui.

In hexametro *hæc tibi* etc. pro *venerantis* aut *reverentis* non satis recte est *verentis*: lege *colentis*.

Ad pag. 28. seriem 1. Gœthei, præter elegias, quas a. 1824. primum vulgavimus, epigrammata pauca, ex homœoteleutis autem duo, alterum, *der Kœnig in Thule*, servata forma, alterum, *Dauer im Wechsel*, sapphica strophe vertimus. Elegiæ, quamvis veri poetæ, tamen ad tanti viri gloriam nonnisi exiguum adjicere potuerunt. Nos, quum omnes latinas facere constituissemus, accuratius in quaternis vel argumentum, vel pæne desperandam difficultatem expendentes, has omittere maluimus; neque, ad omissas jam facile revertemur. Cæterum, quum in hac quoque Gœtheanæ poesis parte mirum quam sibi critici multi placuerint; eo minus mihi hic quoque, de illis quid sentiam, tacendum duxi, ex epistola libelli, quo primum latinas edidi, hæc subjiciens.

De Gœthei scilicet elegiis, ut in dissertatione dixi, eximiæ, meo judicio, sunt longiores *Alexis et Dora* et *Euphrosyne*. In brevioribus eminet *Amyntas*; nec tamen non valde laudandæ sunt aliæ; sed quædam, etsi non malæ, ipsa brevitate sunt levissimæ, quales vulgare ingenium facile pareret, quin poetæ nomine dignum videretur. Sed, quæ, si mediocris ingenii, vix aut in breve tempus aliquo in honore forent, eadem, a summo profecta, plus quam satis prædicare consuevimus. Atque hoc Gœtheo facilius contigit propter similitudinem cum veterum elegiis, e quibus eum suis nonnulla inseruisse, notæ nostræ docent: quam similitudinem quum ipse auctor sibi quæsitam non obscure confessus sit, quid mirum, servile criticorum genus, quod nunquam summis in litteris artibusque viris defuit, Gœtheum veteris Romæ elegiacis aut æquasse, aut prætulisse, quin serio, quanta illa similitudo, quamque laudanda aut carpenda sit, inquirerent. Sed enim, quum jam displiceret Romanis modo æquatus alterque Propertius Gœtheus, fuere, qui dolerent cum Græcis comparationem negari; scilicet his demum, non Græcos imitatis, id ingenium simillimum fore. Sed *æstheticos* nugari, quousque ipsis libeat, sinamus. Interim, si me rogas, ingenue sic fatebor. Primum, neque Propertii in Gœthei elegiis ingenium agnosco, neque omnino cum Romanorum elegiacis aliam nisi argumenti, amatorii videlicet, similitudinem: quæ si tanti facienda, quidni multos in hoc genere versatos, et in iis neolatinos majoris quam Gœtheum, majoris etiam quam veteres faciamus? Deinde, vellem equidem omnes Gœthei elegias tam eximias esse, quam sunt Propertii et Tibulli multæ; sed neque omnes tales reperi, et, quomodo adfectata cum illis similitudine meliores fieri potuerint, prorsus non intelligo. Enim vero aliena illa potius videri debet a Gœthei ingenio, minime servili, et quo indignum sit malle imitando mediocria conficere, quam ex animo suo, ditissimo pulchri fonte, haurire.

Quare sapientius putamus, missa comparatione, Gœthei elegias universe minime spernendas, nonnullas levis momenti, quasdam vero eximias dicere. Quæ si mecum statuis, neque hic interpretis in eligendo judicium damnabis. Fateor tamen, nonnihil me ad vertendum impulsum esse magna illorum carminum in Germania fama, eaque a similitudine, ut diximus, petita. *Æstheticorum* enim ineptias nunquam non libenter noto, et, quantæ fuerint in Gœthei elegiis, latinas legenti lucidius, opinor, adparebit; cujus rei causam exponere longum.

In pentametro *edite*, etc. in priore editione vocis *genius* vocativum fecimus *genie*, male, si grammaticis credis. Geni occurrit apud Tibullum.

In disticho *nondum* etc. *quibus fallo viis* maluimus, quam *quibus fallo, vias*. De qua constructionis ratione vide pag. 159, ser. 1. In sequenti disticho disjectæ juncturæ est; *ne pereat*, *more caventis*, *iter*.

In loco *Parisiis* etc. prioris editionis versu, *hic* quoque *Malbrough* erat; littora *Malbrough* canunt, risum debui Mauritio Seyffert, formæ et quantitatis habita ratione, ad vocem *Malbrough* eo libentius hic, quam in quibusdam nominibus propriis secutus eram, regulam trahens (vide pag. 154, ser. 2.); quod cantilenam designat; existimans videlicet, si ne minimum quidem vox illa terminationi latinæ repugnaret, tamen hic immutatam esse servandam. At longe aliter visum Seyffertio, quem in nauseam pronum ex alio loco novimus; ut minus hic miremur

interrogantem, « cui stomachum non movent tam belli versus? » Sinamus sane et ipsum, et, si quis alius, stomachari; ita tamen, ne propterea minus ridiculum putemus monentem: « infelicissimum consilium est in iis elaborare; quæ se nolle transferri ipsa forma produnt. » Quæ si ad unum *Malbrough* referenda, non videmus, cur a me id transferri homo fastidiosus nolit, quod non transtuli, sed servavi; sin ob nomen, cujus satius judicares formam retinere, vel carmen integrum, vel locum duntaxat transferri vetat, videat ipse, ne, in quacunque demum lingua, absurdum sit nolle cantilenam aliquam suo nomine adpellari; sin denique alia esse in elegia nostra, ob quæ vertenda non videatur, arbitratus est; fatemur, vere inesse, quæ vel peritissimo difficillimum sit ita, ut nihil offendat, latina facere. At enim, hoc ipsum si criticum nostrum voluisse ponamus, qui tandem fieri potuit, ut idem divinum Gœthei poemation, *der Fischer*, transferendum sibi eligeret, neque a tali consilio horrescens refugeret; nisi scilicet eum aut illius carminis naturam, aut, quid lingua, quid poeta neolatinus valeat, penitus latuisse, persuasum habeamus? Quidquid autem fuerit, ne dubites, quin se hic quoque turpiter dederit, duo sufficiet conferre, alterum:

Sie sang zu ihm, sie sprach zu ihm:
Was lockst du meine Brut
Mit Menschenwitz und Menschenlist
Hinauf in Todesgluth?

Suave canens, nostrum mortali fraude sub æstus
Fallere letiferos quid pecus artis? ait.

Enimvero docte, perspicue et lepide, dixeris, ut nihil supra. Alterum autem, vide, an impensius etiam mireris:

Labt sich die liebe Sonne nicht,
Der Mond sich nicht im Meer?
Kehrt wellenathmend ihr Gesicht
Nicht doppelt schœner her?

An non Phœbus amans, non gaudet Luna lavari?
Æquora et his spirans pulcrius osne redit?

Ubi hexametrum, quamvis utcunque vertentis, tamen mittamus. Pentametrum vero quidni dignum tertii distichi pentametro dicamus in illis, queis Schilleri epigramma *Odysseus* Seyffert sic reddit:

Per freta cuncta vagus, patriam dum quærit Ulyxes,
Per Scyllæque minas, quaque Charybdis hiat,
Infestique maris per et atra pericula terræ,
Nec non tartareas itque reditque vias.
Tandem Ithacæ fatis acto, dum dormit, ad oras
Agnita cum luce est non sua flentis humus. (*)

His, ut trinum fiat, adde pentametrum distichi:

Advena Erechthea juvenis peregrinus ab urbe
Mœnia non Ephyres cognitus ante subit.

Quo pentametro, accedente ad *advena* et *peregrinus*, Seyffert reddit Gœthei *nach Corinthus kam ein Jüngling dort noch unbekannt.*

En tibi poesis latinæ magistrum, dignum, cui non ego, sed Ovidius, sed Horatius *constructionis ruditate* et *verborum cura nauseam moveat!* Atqui his tamen, ut plenius, quam viribus suis convenientia Seyffert, quamque feliciter legerit, perspicias, alia habes non minus, ut ipsius verbis utamur, facile in omnium animos se insinuantia, quasi nulla opera et studio difficiliore facta, solisque, ut archetypum, luce clariora: quæ cuncta, ne toti squaleant, flos ille interpretum in præfatione, qui tam miranda continet, libelli rivalibus suis præstanda proclamat: habes igitur Gœthei *Mœchtiges Ueberraschen* sic expressum:

Saxi nubifero ruens cubili
Torrens se sociare fervet alto;
Multo quæque renideant hiatu,
Invictus properat subire vallem.
Ast en, dæmonio impetu superne,
Sylvæ quam sequiturque turbida vi
Rupes, raptat Oreadem libido,
Craterisque vagas coercet oras.
Mirabunda videt retroque fervens
Ipsam se sitiens tumescit unda,
Patremque Oceanum petisse nescit.
Cessat jam tremulo lacus recessu,
Pulsarique vident, novum tenorem,
Stellæ deciduo nitore cautes.

In quorum priore parte demus inesse, quod neque insulse expressum, et intelligi aliquatenus dicas; in posteriore autem vide, mihine uni sit dolendum, qui tot annos latina didicerim, quin, in tam solis luce clarioribus, archetypi, quin ullum omnino sensum certum detegere potuerim. Nimirum digna hæc, quos supra citavimus, locis Gœthei, digna illo, quem pag. 154, ser. 1, loco Schilleri, digna denique Seyffertio. Quid autem hæc ad illum? Nihil sane. Neque enim, quod in versibus ejus tumida, inepta, nemini penetranda, sexcenta, nec raro monstris simillima occurrunt, hinc aut ipse se, aut laudatores minorem eum putabunt; inter quos *collaborator* quidam ejus, nunc, opinor, collega, in Jahnii *Jahrbücher*, celeberrimum nobis virum Schilleri et Gœthei carminum translatione, quæ (*musterhaft*) cæteris exemplar scilicet proponenda, prædicavit. Sed plura jam hic addere non licet; quamvis rei quidem causa maxime vellem: nam de homine, nec, mea quid judicet, sollicitus sum, nec vero is, qui talem meliora docere queat. Unum, si, quod in *palæs-*

(*) Ego epigramma hoc, quod inserere hujus voluminis epigrammatis oblitus sum, sic expressi:

Cuncta Ithacus, patriam quærens, sulcat vada: Scyllæ
Perque caues, rabidas perque Charybdis aquas,
Horrida per maris infensi per monstraque terræ,
Ipsa illum Ditis regna per error agit.
Tandem Ithacæ quum sors sopitum vexit ad oram,
Flet surgens, patriam nec pote nosse suam.

tra sua fecit, si e versibus meis aliquid inserere etiam velit, rogo, ne me inepta dicentem traducat. Quid enim ineptius optante, non mihi divitiæ nec clarum nomen avorum, *contingant* animi sed meliora bona? Quod ipse me optantem finxit, quum ego *contigerunt*, ut sana ratio volebat, dixissem.

Ad pag. 28. seriem 2. In pentametro *Romano* etc. *regnat in gremio* verbis minus, quam vellemus, re tamen satis exprimit *beherrscht Busen und Leib.* Gremium in simili veteribus usitatissimum.

Cum pentametro *tu divis* etc. confer Ovidii, *Fast.* 4, 270, dignus Roma locus, quo deus omnis eat. Nec alio trahendum Prudentii, II. *contra Symmachum*, dextera victoris simulacra hostilia cepit, et captiva domum, venerans ceu numina, vexit.

Ad pag. 29. seriem 1. In pentametro *me vinctum* etc. *cirris* reddit *Flechten*, quod parum placet; sed melius non habebam.

In disticho *nostra* etc. ne ab archetypo aberres, junge *memor consilii* et *veterum libros*, quos usque, i. e. semper, novos voluptate scilicet dicimus. In simili ambiguitate lectoris sensu et acumine, ut sæpe auctorem, sic justius etiam interpretem adjuvari, æquum esse diximus.

In hexametro *diverso* etc. triplice amphibrachy displicet numerus, qualem, dubito, an alibi admiserim, excepto tamen versu (pag. 34, ser. 1.): jam propiusque sonabat: Alexi! puerque tuetur; ubi cum quadruplice amphibrachy insuper offendit cæsura in thesi quarti pedis; sed enim hæc ipsa volubilem numerum sistit, sine cæsura, vel in re, quod hic propositum erat, imitanda, vix tolerabilem futurum.

In pentametro *fecit* etc. *Crassos* et *Lepidos* pro *triumviris* posuimus, quod versus excludebat.

In pentametro *sæpe* etc. Falconieri nominis formam servantes, quantitatem ex accentu constituimus. De quo vide pag. 160, ser. 2.

Ad pag. 29. seriem 2. Cum disticho *ast effusa* etc. confer Catulli, 64, 147, sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est, dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

In hexametro *autumnalis* etc. neutrum *agreste* pro adverbio usurpavimus; quale alias non facile, nisi in iisdem vocibus, ubi veteres, apud quos an *agreste* sic occurrat, ignoro.

Ad pag. 30. seriem 1. In hexametro *et Macedo* etc. pro Henrico et Frederico Carolum et Petrum, utrumque, ut illi, magnum, posuimus.

In hexametro *sidit* etc. *sidit sancta Jovi frons* tam perspicuum, ad sententiam Gœthei exprimendam, fuerit, quam ipsius *Jupiter senket die gœttliche Stirn.* Ego pro utroque aliud mallem. Locus ex illis est, ubi interpres ab auctore, quid velit, lucidius explicitum cuperet.

Ad pag. 30. seriem 2. In disticho *arcanas* etc. Gœthe, nescio, qua auctoritate, *Iason* vocat, qui veteribus, certe Ovidio, *Am.* 3, 10, fabulam narranti, Iasion et Iasius. In versu nostro metrum constabit, prioribus syllabis in unam ita, ut a consonanti nomen incipiat, contractis; nisi mavis hiatum, et secundam ictus vi productam.

Pentametro *non gemet* etc. liberius, quam solemus, archetypum reddimus, ubi *unsre Zufriedenheit bringt keine Gefæhrde der Welt.* Verbis magis congrueret: gaudia nostra orbi nulla pericla ferunt; sed illud elegantius.

Disticho *crine* etc. confer Catulli, 64, 332,

Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Lævia substernens robusto brachia collo.

Ad pag. 31. seriem 1. In pentametro *horæ* etc. *noctis sonum* dicimus campanæ sub noctem sonum, quod Gœthe Gelæute *der Nacht.* Rem, veteribus non usitatam, qui novit, hic continuo, quid velit noctis sonus, qui ignorat, ne germanicum quidem satis intelliget. Nos in similibus simplicissimum amamus. Vide pag. 155, ser. 1.

In loco *non me longinquos* etc. poeta utitur Ælio Spartiano memoratis Adriani Imp. versiculis (V. dissertat. nostram *de consonantia*, p. 9.); cui quum poeta quidam scripsisset:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas;

(Post quæ versum excidisse suspicor,) parodia jocans Imperator rescripsit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

In pentametro *libat*, etc. *vitra* non ut veteribus pro poculo aut scypho usitatum, sed per synecdochen positum volumus, ut diceres auro, gemma bibere, et similia.

Cum loco *pars quernam* etc. confer Tibulli, 1, 7, 19:

Non te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, et mensæ ducat in orbe notas.

Hinc Ovidius, *Trist.* 2, 454, et tacitam mensæ duxit in orbe notam, et, *Am.* 1, 4, 20, verba leges digitis, verba notata mero:

Ad pag. 31. seriem 2. Cum loco *hocce palustre* etc. confer Ovidii, *Fast.* 5, 93;

Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbæ,
Et paucæ pecudes, et casa rara fuit.

In disticho *nempe* etc. constructio iis, quas disjectas vocamus, addenda. Vide pag. 157, ser. 2.

In hexametro *quid, nisi vota senis?* etc. vota senis impleta intellige. Gœthe apertius sane: *nun! des Alten Wunsch ist erfüllt*; sed nostrum quoque, in quo est ellipsis, ne aliter accipias, conjuncta vetant.

Ad pag. 32. seriem 1. In hexametro *o nos* etc. post *oscula tuta*, e pentametri *dantque*, subintellige *damus*; quod fateor, propter additum *bibuntque*, minus recte fieri. Sed talia apud veteres quoque non admodum rara; ubi displicent, quin vitiosa habeantur. Simili necessitati cedendum fuit in pentametro elegiæ 20, *longior*. etc.

Cum disticho *sic nox* etc. confer Tibulli, 1, 1, 45, quam juvat immites ventos audire cubantem, et dominam tenero detinuisse sinu!

In pentametro *terræ* etc. prior editio: in terris audit me venerando deus; ubi retinere noluimus o in gerundio *venerando* correptum. Tibulli ad rem traxerunt *medicando*; sed lectio suspecta. Certior auctoritas Ovidii, *Heroid.* 9, 126. fortunam voltus fassa tegendo suos; ubi mira varietas lectionis, quin tamen *tegendo* quisquam, quod sciam, ausus sit mutare. Ex argentea ætate o correpti exempla non desunt, in quibus *vigilando* apud Juvenalem, *vincendo* apud Senecam.

Ad pag. 32. seriem 2. In disticho *talis* etc. archetypum: *sie baten: læse, Vulkan, sie noch nicht! Lass sie noch einmal besehn*; ubi, quum verba reddere lepide non possemus, ut sæpius, rem exprimere satis habuimus.

Cum loco *quem pudet* etc. confer Tibulli, 1. 9, 7,

Desine dissimulare; deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.

In hexametro *si robur* etc. *facilis fiducia moris*, vereor, ut satis plene reddat *freyes muthiges Wesen*. Sed melius, quod versus caperet, non reperi.

In pentametro *longior* etc. post *longior*, ex sequenti *aure*, subintellige *auris*; quod durum esse sentio. Vide notam ad pag. 32, seriem 2.

Ad pag. 33. seriem 1. Elegiam *Alexis et Dora* græce redditam a Fr. Gœller habes in *Sammlung von Uebersetz. ins Griechische*, quam vir ille doctissimus Coloniæ Agripp. a. 1825. vulgavit. Eidem libello meam quoque translationem latinam, qualis prima prodierat, inseruit.

In disticho *unum, quod* etc. constructio disjecta, sed parum offendens.

Ad pag. 33. seriem 2. In disticho *sic præceps* etc. habes pentametrum sine commate finitum; de quo vide pag. 251, ser. 2.

Ad pag. 34. seriem 1. In pentametro *exiguæ* etc. ultima imperativi *memento* brevi utimur: rarissimum apud bonæ ætatis poetas (vide dissertat. § 67.), tamen, eodemque, quo hic posuimus, loco defendit Ovidii, *Trist.* 4, 3, 72, exemplumque mihi conjugis esto bonæ.

Ad pag. 34. seriem 2. In pentametro *me tecum* etc. archetypum: *und auch wohl noch ein Drittes darein*, i. e., et tertium, opinor, insuper; quod nec multum placebat, et commode reddere congruentibus verbis non poteramus.

In pentametro *di, pereat* etc. *memor imago* est, quæ memorem reddat. Confer Horatii: impressit memorem dente labris notam.

Cum hexametro *Jupiter* etc. confer Tibulli, 3, 6, 49, perjuria ridet amantum Jupiter, et ventos irrita ferre jubet.

Suavissima elegia *Amyntas*, si quid aliud Gœthei, aut æquat aut superat, quidquid simili in genere a veteribus egregie dictum miramur. Hujus initium Mauritius Seyffert, (quem rivalem hic quoque, at tacitum, neque luto nos, ut in *vatibus mundi primævi*, conspergentem, nacti sumus,) sic expressit:

Nicia (*nos Telephum substituimus*), o animis bone vir morbisque mederi,
Langueo, sed nimis heu! dura medela tua.

Idem locum *non adamem* etc. vertit:

Non ego, quæ nostra solius ope indiga mitis
Ulnarum cupida vi latus ambit, amem?
Mille manus in me validis radicibus hærent,
Bis totidem fibras corda per alta trahit.

E quibus prius distichum dignum vides eo, qui constructionis ruditatem aliis exprobret; in posteriore *bis totidem* interpretem exhibet, qui in verborum cura nimius esse nesciat. De totius præstantia, ut nil dubites, adde versum ultimum *wer sich der Liebe vertraut, hælt er sein Leben zu Rath?* An vitæ est modicus, quem tueatur amor?

In pentametro *æger*! etc. archetypum *krank! ich bin es fürwahr*. Nos cum signo exclamationis positum, et ellipsi simile, imitari non dubitavimus; etsi veteres, quantum memini, raro admodum sic; quin idonea, cur id vitaverint, ratio, mihi quidem, suppetat. Cæterum, quod adeo rari usus, facile crederes, eo ipso describentium aut emendantium culpa rarius etiam inveniri.

Ad pag. 35. seriem 2. In loco *ah, bona, tu* etc. quum aliter vim archetypi æquare non daretur, apostrophe, arboris hederam alloquentis, usi sumus; ubi Gœthe: *ja die Verrætherin ist's! sie schmeichelt mir Leben und Güter, schmeichelt die strebende Kraft, schmeichelt die Hoffnung mir ab.*

In hexametro *sit mihi* etc. post *suave est* subintelligendum *profundere*, constructione, ad quam aliquoties recurrimus. Vide notam ad pag. 32, ser. 1.

Ad pag. 36. Ut in cæteris hujus voluminis partibus, sic in lyricis aliorum, quæ verti, carminibus mea miscui, cæterum, non magis hic, quam in elegiacis didacticisve aut satyricis, id agens, ut priscum aliquod exemplar sive sermone, sive argumento, sive utroque referrem, imitans quidem interdum aut recentioris aut veteris alicujus vel sententiam vel longiorem etiam locum, at servilem imitationem, præcipuam poesis neolatinæ labem, ante omnia fugiens. Horatium, non ingenio, quod stolidum sit dubitare, sed sua etiam lingua æquari posse, scio, ætatis nostræ criticis dicendum non esse, nisi forte viris, plerisque nimia potius sapientia, quam latini sermonis poesisque cognitione, laborantibus, risum debeas. Ego vero propterea non minus fatear, me recentiorum odas latinas legisse, quas a me factas, quam Horatii non paucas, mallim: quem tamen, si totum spectes, non latinis modo, sed omnibus fere, quos novi, lyricis anteponerem. Mihi, si quid non prorsus averso Apolline potui, sat laudis reputarem Sarbievii nonnullis haud indignum cecinisse; quem quanti faciam, tum in dissertatione (§. 79. sq,), tum ode *de Sarbievii poesi* (pag. 54.) declaravi.

Metra lyræ suæ Horatium a Græcis mutuatum esse, ut nota res est, sic in ea quoque delirantes critici non desunt, quidam exilem lyrici romani, ac pæne nullam, si Græcis comparetur, numerorum varietatem arguentes: quæ cur vere sint nugæ nugarum, longum hic explicare. Neolatini plerique paucis Venusini metris contenti, cætera, quibus ipse etiam raro usus, non tentarunt; fuere tamen, qui, ut Balde, et, si recte memini, Sarbievius quoque, nullum omitterent; his meam etiam hac in re industriam accedere volui; excepto tamen iambo trimetro solo, et dimetri cum solo versu heroico junctura. Tametsi ipsi Horatio quædam e metris suis parum placuisse existimo, neque vero aliam esse causam, cur ea semel tantum iterumve expresserit, imitandi scilicet magis studiosus, quam illorum numerorum suavitate multum delectatus. Quanquam occurrunt etiam, quæ haud facile crederes ei non arrisisse, velut metrum odarum *solvitur acris hiems* etc, et *diffugere nives* etc. quibus licet ille semel tantum usus sit, non ideo minus jucunda ea recentiorum auribus arbitrarer. Posterius, Klopstockio aliisque valde amatum, ego pariter sæpius, sive vertens, sive in propriis carminibus, usurpavi.

Lyrica mea non lætiorem, quam cætera poemata, sortem experta esse, nemo, opinor, me melius noverit; quo securior sane, quod ad causam, in hac carminum meorum editione aliquid ante vulgatum omittere tacitus potuissem, nisi aliud meo more judicioque dignius duxissem. Inter odas enim meas ante editas duæ sunt, in quibus Belgii sub rege Guilelmo conditio memoratur, altera institutas, a. 1817, ejus sub auspiciis universitates, altera Leodium, a. 1829, revisentem celebrans. Cujus principis quod inter cultores eram, hoc saltèm vere possum adfirmare, me nec unquam verbum cum eo locutum, nec ullo ejus beneficio devinctum fuisse: quo citius sibi, si quis hoc curet, persuadeat, me de illo bis, longoque annorum intervallo, vere, quantum sentiebam, tantum dixisse. Cæterum, ne cujus malignitati gratum facerem, neque inserere illas odas huic volumini, neque vero nunc ea damnare volui videri, quæ dicere hominem boni honestique memorem non dedecuisse, tunc existimabam: qualem sapiens quisque in fidis numerare, cujusque sacramento, quam in nova præcipitis, credere malit.

Ad pag. 36. seriem 1. In parte odæ *de Schilleri poesi* similitudo quædam cum Horatii carmine *Pindarum quisquis* etc. eaque non tam quæsita, quam ob argumento deducenda. Minus etiam horatianæ convenit ode mea *de Sarbievii poesi* (pag. 54.) Si quartam vis, ut, quantum a tantis poetis mea distent, intelligas, comparationi adjice Sarbievii oden *de poesi Davidica.*

Strophe *seu peregrinis* etc. refertur ad carmen *virgo de plaga peregrina*, pag. 104, sequens ad *campanam*, pag. 113, strophe *Græciæ* etc. ad *deos Græciæ*, sequentia pariter ad singula celebratissima divini poetæ carmina, in quibus *die Resignation*, pag. 68, *an die Freude*, pag. 102, *der Gang nach dem Eisenhammer*, pag. 111, *das Reiterlied*, pag. 103, strophæ autem a *quantus at celso* etc. ad *flamma cœlestis*, ad dramatica Schilleri, *die Jungfrau von Orleans*, *Maria Stuart*, et *Wallenstein.*

Ad pag. 37. seriem 2. Quos hyænis hic sæviores, quos horrorem mundi dicimus, nunc eo jam perventum est, ut illos non excusent modo multi, sed, tanquam sanctissimi roboris viros martyresque libertatis, exemplar mox genus humanum radicitus postremoque reformaturis proponant.

Strophe *pavore quæ* etc. cum sequente principis de Lamballe, reginæ amicæ, horribilem exitum adumbrat.

In versu *damnata, tigres ante causam* habes, in disyllabis *ante causam*, numerum, cujus causa negligentem Horatium criticus quidam finxit (v. Jahnii Jahrbücher, 2. Jahrg. 2. B. 3. H.) in *apricos necte flores*, aliisque versibus nonnullis primi et secundi odarum libri; quum in tertio et quarto exemplum nullum reperisset. Videant alii, sitne vere negligentia, an potius casus; quod equidem suspicari ausus sum, octies in duobus libris numerum videns, quem, si duodecies occurreret, in illis certe quæsitum citius, quam vitatum, diceres. Nec vero ipse, quamvis eo raro usus, criticum istum, quam Horatium, auctorem malui.

Ad pag. 39. seriem 1. In strophe *non ille* etc. voci *Eroberer*, qua caret bona latinitas, *Æmathium ducem*, i. e. Alexandrum, et *Scipiadas*, quasi per metonymiam, substituimus, Alexandrum quidem eo justius, quia, ad Cæsarem, flentem, ut narrant, ante illius statuam, verba poetæ referenda esse, manifestum.

Ad pag. 41. seriem 1. Ode *de senis pietate* virum spectat Duræ olim magistratum, ibidemque summa in senectute extinctum: de cujus casu religiosaque animi fortitudine quum amicus mihi narrasset, digna res visa est, quam, et popularis, et ipse inde a puerili ætate venerabilis illius viri amicitiam benevolentiamque expertus, Duranorum inprimis memoriæ celebrans commendarem.

In versu *fletu* etc., ut alibi etiam, usi sumus verbo *gemiscere*; quod an alius melius, ignoro, sed mihi satis defendit Claudianus.

Ad pag. 41 seriem 2. In loco, *uno fonte* etc. *fluit*, post *mortale* positum disjectam facit constructionem; de quo pag. 157, ser. 2.

Ad. pag. 42. seriem 1. In versu *rebus in* etc. *nihilum* inviti in oden recepimus.

Ad pag. 42. seriem 2. Haller, scientiarum clarior etiam, quam musæ fama, tamen iis adnumerandus, a quibus critici plerique dignioris poesis germanicæ initia deducunt. Ode, quam imitati sumus, ipsi parum placuisse diceres; certe metri angustiis eam quasi excusat, cujus imitationem se nemini suasurum adfirmat; ac fatendum, formæ carminis maxime concessa esse, quæ in eo jure reprehenderes. Quo justius nos, homœoteleutos versus faciliori sapphica strophe reddentes, si numeris archetypum verborumque delectu non vincimus, venia indigni videbimur.

Locum *amicum ut vadem* etc. vides referendum esse ad celebratam illam a veteribus Damonis et Pythiæ amicitiam, quam inter recentiores Schilleri quoque ingenium carmine, inscripto *die Bürgschaft*, nobilitavit.

Ad pag. 43. seriem 1. Extremum carminis *spectet* etc. reddit *fællt der Himmel, er kann W eise decken; aber nicht schrecken*, Horatii scilicet illud: si fractus illabatur etc.; quod, in ode cæterum non contemnenda, superare nisus Sarbievius, sublime amplificans, tumori proximus, hic eo, quo sæpius, vitio displicet.

Ad pag. 43. seriem 2. Hœltyi, vicesimo octavo ætatis anno extincti, non parva est hodieque, præsertim inter elegiacos Germaniæ poetas, fama. Nos præter carmen ejus inscriptum *ad Vossium*, aliud (v. pag. 46.), utrumque autem servata forma, Horatiana scilicet, neo non tertium duarum tantum stropharum (v. pag. 47.) vertimus; quartum autem (vide pag. 61.) imitari maluimus. His serius quintum, ideoque notis insertum, accessit, quod versibus homœoteleutis expressimus (vide notas ad homœoteleuta.) De Vossio vide notam ad pag. 67. seriem 1.

In versu *per secreta* etc. voce *aedon*, ut alio quoque loco, inviti usi sumus, utpote apud bonæ ætatis poetas vix aut prorsus non occurrente.

In versu *o dulcis* etc. brevem vocalem ante duas mutas sequentis vocis, in *mihi spes*, coacti admisimus. De quo vide dissert. §. 67.

In versu *olim* etc. pro puella, *Mædchen*, Lauram posuimus, ad similem licentiam et alias non semel in vertendo recurrentes.

Ad pag. 44. seriem 1. In carmine Uzii, insignis inter lyricos poetæ, quid imitanti propositum fuerit, vide dissert. §. 68.

In strophe *qualis umbroso* etc. an recte non flebilem cantum lusciniæ tribuerit Uzius, alii videant.

Ad pag. 44. ser. 2. In strophis *rodat impurum* etc. justa brevitate, qua nihil magis præcepta moralia versibus expressa decet, placere studui, quod si hic non contigit, nec alias usquam mihi, nec vero in ode Halleri (pag. 42.) imitanda, contigisse crederem, quam cum Uziana hoc nomine, tanquam mihimet solito utique melius in his effecisse visus, conjungerem. Sed aliorum est de hoc judicare.

Ad pag. 45. seriem 1. Kleistium inter lyricos memoravimus dissert. §. 78. Ejus in hac pagina habes duo carmina, alterum vertendo magis, alterum imitando expressum.

Ad pag. 45. seriem 2. In strophe *flamma* etc. tropo *corporis antro* an simile apud veteres occurrat, nescio; sed nil vetat, ne corpus, in quacunque lingua, sensu quodam antrum, hic tristitiæ, dicatur.

In versibus *tu*, *quid*, etc. constructio non leviter disjecta; sed eadem ut necessitati tribuenda, sic sensu quoque non obscuro minus offendens.

Kleistii carmen, iambis homœoteleutis, suavissimis quidem, compositum imitans, numeris usus sum, quibus vix ullos horatianos præferrem. Sed iidem in hac imitatione, nescio qua majore me, quam usquam, in meis certe versibus, dulcedine capiunt; neque vero aliam potius ob causam totum mihi ita placere puto, ut in nullo potius auctorem me, quam imitatorem esse mallem.

Ad pag. 46. seriem 1. De Hœltyo vide hujus pag. ser. 1.

A Salis, de quo vide pag. 164, ser. 1 poemation vertit, quem pag. 167, ser. 1, laudavimus, Fischer, isque, hic brevitatis, quam in aliis plerisque studiosior, primam stophen: *das Grab ist tief und stille, und schauderhaft sein Rand. Es deckt mit schwarzer Hülle ein unbekanntes Land*, hoc disticho expressit:

Marginis horrifici tacitumque altumque sepulchrum
Ignotam terram veste nigrante tegit.

Ego, ut Stolbergii (vide pag. 28.) *an die Natur*, sic A Salis strophas servata versuum forma, quam elegis, feliciter reddere mallem : quod quum frustra tentassem, imitationem prætuli.

Ad pag. 46. seriem 2. Carmen *la chute des feuilles* et, quia molle venustumque, et magis binarum linguarum comparationis gratia vertimus : quod si, ut sententiis satis accurate, sic ea quoque latinitate, quam non sperneret doctus Horatii mirator, reddidissem, haberes profecto egregium hocce specimen; unde colligeres, quid, in diversis tum animi adfectibus, tum res tractandi ratione, efficere neolatinus valeat, quo veterum in prisca poesi præstantiam, ipsorum lingua utens, recentiore non æquare modo, sed superare etiam posse videatur.

In ultima strophe si damnas sono durum *busta bubulcus*, lege *tacita bubulcus valle sepulchrum.*

Ad pag. 47. seriem 1. In carmine inscripto *jam vestris* etc. Klopstockiana agnosceret illius poetæ ingenii gnarus : vere hinc nostra deduci arguit odarion, quod latine expressum damus pag. 59. Sint sane Klopstockiana, modo ne eadem inepta ; neque enim, quia rem de medio sumtam tractant, ideo minoris facienda forent. Nemo enim nescit, talia diu ante *messiadis* auctorem in locis communibus fuisse, cui, non adeo sum ridiculus, ut mei quid ingenii comparatum cupiam.

De Hœltyo vide pag. 173, ser. 1.

Ad pag. 48. seriem 1. In strophe *vulgo* etc. vides, *Cæsar* et *pagique magister* ad J. Cæsarem referri, respondentem, malle se in oppido, de quo quærebatur, primum, quam Romæ secundum esse.

Ad pag. 48. seriem 2. In strophe *repente* etc. *regnum plebs, nisi pareat,* apertius diceres *plebs, nisi pareat, regnans*, ad horatianum illud : animum rege, qui, nisi paret, imperat.

C. A. Tiedge non vulgaris inter Germanos famæ poeta, quam longiori maxime poemati, inscripto *Urania*, debet. Ego e lyricis ejus duo carmina, versibus homœoteleutis composita, alterum (v. pag. 63.) vertens, alterum imitans potius expressi. In utroque, non mirer, si quid, ut quæsitum nimis vagumve carpas. Totum tamen, ut De-Lamartinii multa, pari, vitione dicam, an interdum virtute ? laborantia, mihi quidem non parum placet; atque omnino de hoc poeta adfirmare non verear, Germanis multis, quam Gallis, qui ante eum floruere, et mente et arte similiorem videri.

Ad pag. 49. seriem 1. In loco *pulchrorum* etc. solita constructio foret *pulchrorum dierum, qui siluere.* Vide de hoc pag. 159, ser. 1. Plane ad rem Horatii-malarum, quas amor curas habet etc. Similis ratio est in loco *sidereique melos-modos*, ubi numeri gratia non vulgare malui, quam, quod durius visum, *suaves, abscondita nectis quos philomela, modi.*

In versu *tu mihi* etc. *dicis*, quo posuimus, loco juncturam, nulla sententiæ obscuritate, disjectam tamen efficit.

Gotteri poemation res magis quam ars commendat; nec ego ut eximium, sed, quæ in aliis quoque nonnullis ratio fuit, ut idoneum verti, in quo latinus cum germanico sermone certaret.

Ad pag. 49. seriem 2. In extremo carmine displicet, quam interpres vitare non potui, disjecta, in *quam, bone, vellem, — deus*, constructio.

In strophe *lucem* etc., constructione nonnihil implicita, junge *stadium luctibus ærumnisque asperum.* De usu vocis *stadium* vide pag. 165, ser. 2.

In strophe *hinc sed* etc. de *angelico*, quod jungendum cum *choro*, vide, pag. 159, ser. 1.

Ode *ad Germanos*, cui annum 1818 addidimus, habet rebus, quæ tum erant, magis, quam iis, quæ nunc sunt, convenientia. Scilicet, ut omnino humana, poetæ, parvi et magni, temporum sumus; quin ideo cuncti *ventum*, quod turpissimum in musarum alumnis, *faciles versemur ad omnem.* Nunc, si unquam, hoc inclyti nostræ ætatis poetæ, (quod utinam res mortalium paterentur!) ante omnia optandum atque orandum :

Sub sancto gentes jungamus fœdere dextras.

Ad pag. 50 seriem 1. In Klopstockii carmine habes specimen poetæ. ut in dissertatione, §. 78, dicimus, ad excelsa tendentis, hic quidem non sine magna laude; at fatendum, in aliis non paucis nihil magis eidem illa sublimitatis adfectatione nocuisse; quale equidem miror Gœthenm non sensisse, (non enim videtur,) in ode *der Eislauf*, qua hunc quoque insigniter delectatum ipso testante novimus.

Vinum Rhenanum quomodo verterit, de quo vide pag. 175 et 176, Alb. Knapp, vel una e strophe, quantum satis erit, collegeris; en tibi duodecimam, inter meliores numerandam :

Verum, puer si cura alia cales,
Mordetque bilem, quod lyra per nemus
Nondum insonarit, neve nomen
Fluctibus intuleris profundis :
Dic; gloriæ ardor sit sapientia, etc.

Versus *nunc pæne* etc. exprimit *jetzt, da dein Rücken fast ein Jahrhundert trægt*, i. e. nunc, quum tergum (scilicet vini rhenani) tuum pæne sæculum fert; quod verbis reddere nolui, ineptum enimvero et inficetum potius, quam grave et lepidum; quale

dubito an ipse Baldeus, singulares, ut ita dicam, loquelas adfectans, non respuisset.

Sequelis mergere vera sagax reddit, ut potui, *der Erweis, der von Folgen triefet*, i. e. argumentum, quod stillat consequentias; quod ipse verti, quasi sit cumulatis rationum argutiis verum inplicantis potius, quam lucide demonstrantis.

Ad pag. 50. seriem 2. In strophe *te Rhenus* etc. *tremula flamma* est tremere faciens. In sequenti poeta Miltonis imitatur: *As when to them who sail beyond the Cape of Hope-off at sea north-east winds blow sabean odours from the spicy shore* etc.

In versu *non dissipet* etc. voce trisyllaba *dissipet* numerum habes, qui, quod sciam, semel tantum apud Horatium, scilicet in *hunc lesbio sacrare plectro*. Casune hoc, an, poeta numerum illum vitante, acciderit, alii expendant. Ego in meis odis tam rarum semel, puto, in aliis autem vertendis sæpius usurpavi.

In strophe *cura sed* etc. *modos bardos* e sermone, quo tum mire se jactabant poetæ Germani, nec alius magis, quam Klopstock, interdum princeps bardorum adpellatus.

In strophis postremis *raro victura*, et *carent libens mercede virtus* sententia congruit disticho:

In terris mercede caret, per seque petenda est
Externis virtus incomitata bonis.

Ad pag. 51. seriem 1. In *cedentis, optamusque colles, unde* etc. constructio disjecta, sed quæ minimum offendat.

Bina Klopstockii poematia, *juvenis* et *nox æstiva*, ex odis sunt, quas latinas quindecim fecit Alb. Knapp. Is secundam in *juveni* strophen reddidit:

Deprœlianti mox Boreæ cadunt
Quercusque et orni et montibus abietes,
Fractasque rupes volvit ornus
De trepidante jugo revulsa.

Idem Knapp versum *wie Gratien lacht das Leben dir* vertit: te circumdat ulnis gratia candidis; nec melius idem *und es weht mir von der Blüthe nicht her*, et quid spiret flos mihi, nescio.

Ad pag. 51. seriem 2. In strophe *umbræ* etc. *quos tegit caros* maluimus quam *q. t., cari.*

In tertia strophe *natura lunæ lumine pulchrior* est, quam pulchriorem luna reddit.

Ad pag. 52. seriem 1. In strophe *turpior* etc. in sententiam Ovidiani *turpe senex miles* etc. incidimus. Quale si quis aut centonis simile, aut omnino non suo nitentis esse velit, facile totam oden a me in varios dominos distraxerit, veluti tertiam strophen ad Cornelium, cujus in *Polyeucte* habes:

Sur mes pareils, Nearque, un bel œil est bien fort;
Tel craint de le fâcher qui ne craint pas la mort.

Nempe in simili argumento multis jam sæculis vix cuiquam, quod ad sententiam, indicta proferre contigit. At enim millies repetita, vere nil impedit, quominus bene, imo melius etiam nunc dicantur; eaque in re ne verborum quidem cum aliorum, modo ne sit mere compilantis, congruentiam aut anxie fugiendam, aut carpendam sapientes critici dixerint; quippe hoc probe intelligentes, a tali congruentia excluso vix ullo in argumento aut tractandi ratione, quo vel orator vel poeta sit, relinqui.

Carminis, *Solmsio* inscripti, cur me piguerit, non hic primum dico. Visus enim mihi sum in illa ode puerile aliquid passus; si quidem puerile est, quid rerum aut personarum sive gravitatem sive amplitudinem deceat, non satis meminisse: quo vitio ipse cum in veteribus, tum multo frequentius in recentioribus, nusquam vero vehementius, quam in neolatinis, offendor. Quid enim his plerisque usitatius, quam, (ut hoc unum adferamus,) urbium, aut pagorum adeo magistros Romanis rerum dominis insulsissime sermone assimilare? Huc accedit alia carminis nostri culpa; est enim, si quid video, hodie non parum ineptum, flumen longa oratione vaticinans inducere. Scio, juvenili ætati hæc in deliciis esse, scio, in claris etiam poetis, ut in Boileaui epistola Rheni indignantis atque exterriti descriptionem, querelasque et exhortationem, cum admiratione laudari; sed neque omnis mirator rectum videt, et in summis viris vel sagaciores multi vix ea reprehendere audent, quæ in aliis continuo ridicula aut fastidiosa dicerent. Mihi quidem tale nil moliendum erat. Cæterum, ne mireris, cur damnatam oden huc denuo commiserim, nec omni ex parte malam judico, et occasione libenter utor adolescentes poesis latinæ studiosos, ut meo exemplo a simili culpa sibi caveant, monendi. Quidni enim, non prorsus nullam me auctoritatem apud eos consecutum crederem, quibus operam meam hisce in litteris positam a Friedemanno aliisque viris doctis commendari viderim? Denique, quum legissem, basilicam Coloniæ Agrippinæ, mirabile artis gothicæ monumentum, quod per sæcula imperfectum et ruinæ simile stetit, perficere piissimi Borussorum regis munificentiæ placuisse, eadem re et lætatus insigniter sum, et carminis, in quo rem tantam fore dixeram, recordatus, quasi cum abdicato in gratiam redii.

Ad pag. 52. seriem 2. In versibus *urbs alma spectans* etc. et *intacta splendet* etc. habes vocalem ante duas mutas sequentis vocis consonantes correptam; de quo vide dissert. §. 67. Ego in carmine, ubi plura displicent, neque illud mutare volui, et brevem quoque ultimam in *salveto* relinquere, quod perinde contra consuetudinem aureæ ætatis poetarum esse ex iis consequitur, quæ in dissertatione, §. 67, de o in imperativis correpto monui.

Ad pag. 53. seriem 1. De Sandii, quod fama late celebravit, facinore lectis auditisque, tanquam historiæ, judicium nostrum adjecimus.

Ad pag. 54. seriem 1. Carmini inscripto *expertus noli odisse vitam*, ne quis furti me reum faciat, ipse, Schilleri, nec unius tantum loci, imitationem inesse declaro; quæ tamen maxime referenda ad carmen inscriptum *die Ideale* (vide pag. 67.)

Ad pag. 54. seriem 2. Carmine *de Sarbievii poesi* Horatium, ut sæpe vocatum reperimus, Polonum vel Sarmaticum celebramus; quem inter lyricos neolatinos non uno loco, sed præsertim in dissertationis §. 79 et 80, ita prædicavimus, ut merito verendum sit, ne recte hunc poetam æstimantibus plus justo ejus extulisse præstantiam videamur; neque vero mirandum, si mihi in Sarbievio id acciderit, a quo, præconiorum vanitatem vel maxime aversati tamen vix satis temperare sibi in iis, quos valde amabant, potuere. Ad oden vero nostram quod attinet, nemo monendus erit, aliud esse critica egregio in opere severitate quid, curve minus placeat, demonstrare, aliud, velut, si Horatium in Pindari musa imiteris, excelsa ingenia poetarum more celebrare.

Ad pag. 55. seriem 1. In ultima strophe pro *jam sero nepoti* prioris editionis emendavimus *per seros nepotes*; singularis enim vocis numeri ita, ut hic pluralis, usurpati exemplum idoneum frustra quæsivimus.

In De-Lamartinii carmine conatus inprimis sum, quæ difficillima latine vertenti non temere quis existimet, cum minimo sententiarum, verborum quoque et locutionum discrimine exhibere; atque hoc quo magis contendebam, eo minus potui, immo debui interpres præstare, ne quid aut obscurum nimis, aut cum adfectatione quæsitum diceretur. Laborat enim utroque hoc carmen; neque vero ut optimum, sed ut aptissimum elegi, quid in difficillimis recentiorum linguarum efficere latina possit, experiri cupienti.

In strophe *felices* etc. *forte*, quamvis usu hic bonæ latinitatis, tamen mihimet displicet. Vide de hac voce notam ad pag. 97, ser. 1.

Ad pag. 55. seriem 2. Carminis inscripti *ad philomelam* pars posterior sententia congruit cum Menagii epigrammate 82:

Tu mecum certare potes, Philomela, dolore?
  Questibus assiduis tu tua fata gemis.
Sors etiam nobis, animi solatia, questus
  Invidet. O vitæ tristia fata meæ!

Rousseaui oden latine factam reperi in *anthologia poetica* (auct. Thevenot, Parisiis, 1811.), cujus translationis primum distichum:

Cur queribunda tuos renovas, philomela, dolores,
  Dum te tristitia quæque levare student?

Vides esse facilem operam sustinentis; nec vero in ceteris multa his meliora, quædam adeo pejora diceres, velut: quæ tuleris, luges, lugeo quæque fero.

Ad pag. 56. seriem 2. Klopstockii carmen *an Ebert* inter pulcherrima ejus lyrica ponendum. Sunt tamen, quæ critici in eo, et recte reprehenderint. In his mecum numeraveris in tertio versu ab amico statim ad calicem transeuntem apostrophen.

Ad pag. 57. seriem 1. In versu amplexus etc. prius fuit *cineres in membra resolvens*; sed *in* post casum suum positi eadem ratio est quæ particulæ *sub*, de quo vide pag. 154, ser. 2.

In versu *Giseke quum* etc. et sequentibus vox *wenn*, cui respondet *quum*, novies occurrit. Ego interpres emendare nolui, quod in auctore recte carpit amicus meus B. Willmann.

In versu *candidum* etc. vocem *Rabener*, accentum, ut alias quoque in simili (v. pag. 160, ser. 2.), sequentes, dactylum fecimus; possis etiam disyllabam versui spondaico fingere.

Ad pag. 57. seriem 2. Carmen Cas. Delavigne si inter Horatiana, ubi occurrunt argumento utique similia: si igitur ipsis, queis ego expressi, verbis ad nos pervenisset, non dubito, quin illud critici vel præ aliis non paucis sint laudaturi; nisi quod, latinitatem ad Horatii dictionem non in unguem quadrare, posset aliquis vel suspicari, vel argumentis etiam evincere. Sed ea res vere nihil carminis honori detraheret, modo nihil in illa sit jure carpendum. Ego interpres hic quoque id egi, ut nihil omittens, et minimum addens, archetypum brevitate æquarem; cujus pars postrema, quinque meis versibus respondens, sic habet:

Plongeons nos sens dans une heureuse ivresse:
Le lierre, amis, sied bien aux cheveux blancs;
Ses rameaux vers couvrent de leur jeunesse
Les vieux ormeaux dépouillés par les ans.

Ad pag. 58. seriem 1. Odæ Klopstockianæ *an Young* primam strophen Knappius sic expressit:

Vates cane, vale! jam tua pubuit
Pridem palma tibi, milleque lacrymis
  Lætis cælicolarum,
Te sparsuri, oculi scatent.

Ubi *vates cane, vale*! reddit Klopstockii *stirb, prophetischer Greis*. Tædet plura adponere; et Knappius quid valeat interpres, pag. 174 et 175 vidimus.

Ad pag. 58. seriem 2. In strophe *ima cum* etc. *imago*, quo posuimus, loco constructionem reddit disjectam. Sensus est: tolle querelam, quod ipse citius transis, quam objecta (Gegenstænde), quod verbum vertimus, *imago rerum*, quin satis aut probemus aut intelligamus.

In strophe *cui favet* etc. *syluam* reddit *Gehalt*, sive materies, quæ in pectore poetæ, formam a mente accipiens. Vocabulum, sic raro occurrens, coacti tamen retinuimus.

In strophe *dia* etc. *terræ ora* pro *terra* dixi. Sensus est: quodcunque divinum terra videt, etc.; quo Schilleri *alles Gœttliche auf Erden ist ein Lichtgedanke nur* interpretari, quam vocabula reddere malui, ne obscuritas, quæ est in voce *Lichtgedanke*, relinqueretur, quam, nonnihil dubito, an ipse plane intelligam.

Ad pag. 59. seriem 1. In strophe *sic opus* etc. mallem *ponte* quam *pontibus*; sed ipsa vox, *Brücke*, ne in archetypo quidem satis placet.

Molsam, cujus *sonettum* metro horatiano reddimus, clarorum virorum, in iisque Ant. Flaminii amicum, sua ætas et italum et latinum poetam mirata magis est quam laudavit. Nos latinorum ejus carminum specimina dedimus in libro *réflexions sur l'usage du latin moderne en poésie. Sonetta* an quisquam latine fecerit, ignoro, neque, ut quis faciat, suadeam, certe, ut alia potius, et maxime a veteribus exculta versuum forma utatur; nisi si vertere *sonettum* forte recentiorum unum alterumve, cumque forma rhythmica consonantiam quoque servare velit, difficilem sane operam, neque tamen difficiliorem, quam in gallica aut germanica lingua, experturus. Ego, multa homœoteleuta Schilleri, et alia pauca iisdem versibus reddens, tamen a *sonettis* abstinui, ac ne Molsæ quidem, quo occasionem præbente, hæc dicimus, vertissem, nisi et mirifice placuisse poetæ aqualibus, et plures in eo latine exprimendo certasse, reperissem, quorum versus habes apud Budikium (*Leben und Wirken der vorzügl. lat. Dichter d.* XV-XVIII *Jahrhund.* vol. 2. p. 50.) Adeo autem cur placuerit, non mirabitur, qui Italorum ea ætate poesis ingenium noverit, quum multa admiranda, multa divina videbantur, quæ nunc diversis pulchri artisque principiis nitentes adfectata, vel puerilia etiam dicerent, ut non pauca in Petrarchæ *sonettis* et *canzonibus*, cujus inter æmulos Molsam Itali celebrarunt.

In versu ultimo *vocet* accipe pro *invocet.*

In vertenda *musa teutonica* quid potuerit Feuerlein, ut hinc conjicias, en tibi primam strophen:

Aurea teutonicis Augusti defluit (*defuit?*) ætas
Musis, nec arrisit favor,
Ut mediceus, iis.
Gloria non illis fuit altrix, protulit harum
Flores nec aulæ lux, neque
principis aura fovens.

Ad pag. 59. seriem 2. Klopstockii odarion, *mutura sepulchra*, me imitatum dixi pag. 184, ser. 1: quod, licet ex iis sit, quæ in hoc poeta vulgo mirantur, habet tamen, in nimia illa et quasi abrupta brevitate, quo nonnihil offendor.

In strophe *Corsus* etc. frustra voluimus idonee mutare *culmina gloriæ*, latinum quidem, sed tropo tamen parum usitato. Confer, ne ad posteriora tempora, et Claudiani non pauca recurramus, Lucani, 8, 8, de culmine lapsus, et, 702, summo de culmine rerum.

Ad pag. 60. seriem 2. Ode inscripta *in corde, quo fidas, quære*, Schilleri locum unum pluresve imitatur; si tamen imitatio dicenda, in quam inscius incidere possis.

De *sole sub nostro* in strophe 7. vide notam ad pag. 98, ser. 1.

Ad pag. 61. seriem 1. In ode inscripta *tria tenenda*, ut in præcedenti, Schilleri est, sed manifestior, ipsaque inscriptione declarante, imitatio; tametsi hæc quoque non tam proprie imitantis, quam e medio desumta cum quadam sententiarum congruentia tractantis; velut in strophe quarta agnosceres Schilleri:

Und die Tugend, sie ist kein leerer Schall,
Der Mensch kann sie üben im Leben,
Und sollt' er auch straucheln überall,
Er kann nach der Gœttlichen streben.

Quæ Feuerlein hoc disticho, hic quoque nihil poetæ relinquens, inclusit:

Virtus est rata res, quam colat arduam
Secteturque, licet peccet ubique homo.

Odarii, inscripti *Hoffnung*, quæ nos ultima strophe, Feuerlein sic non tam vertit quam inquinavit:

Vox est corde sonans: nos potior manet
Sors; et, quod canit hæc intima vox, nequit
Spe frustrari animum pii.

Ad pag. 61. seriem 2. De Hœltyo, cujus oden *ad quietem* imitamur potius, quam vertimus, vide pag. 173, ser. 1.

In versu *corusca* etc. *favonio*, metri gratia, trisyllabum pronuntia, ut apud Virgilium *connubio*.

Ad pag. 62. seriem 2. Carminis inscripti *mein Vergnügen* auctor est Buri; qui an aliis quoque poetam se probaverit, ignoro: unum, quod novi, vel dictio, et ab antiqua elegia longe discrepans natura vertenti commendassent.

Ad pag. 63. seriem 2. In carmine inscripto *die Quelle* quid reprehendi possit, pag. 174, ser. 1, indicavi. Sermone vagum, sensu, sed obscure, profundum, quale reperi, tale reddere conatus sum; de obscuritate, illis me defendens, quæ pag. 156, ser. 2, de interpretis in similibus munere dixi.

In strophe *me sacer* etc. *sacer horror* reddit *geheiligten Schauer*; utrumque solenne de rebus animum religioso quodam pavore moventibus.

Ad pag. 64. seriem 2. Schilleri carmine *die vier*

Weltalter ita, ut nullo fere divini illius poetæ magis delector: cujus ad præstantiam si non, ut in optimis quibusque solet, plurimum forma conferret, minus me translationis meæ pœniteret. Sed illam servanti quum laboris difficultas vix ullam successus spem concederet; versibus homœoteleutis tam longum tentare ad finem nolui. Feuerlein quantum hic præstiterit, e prima ejus strophe conjeceris; qua ille initium carminis nostri ad vocem *puræ* sic cecinit:

En! vinum rutilat, lumen et hospitum
Ardet, summa bonis adjiciens venit
Vates. Nam tacita, Pieri, te, deos
  Tædet nectaris ipsos.

En Schilleri strophen:

Wohl perlet im Glase der purpurne Wein,
  Wohl glænzen die Augen der Gæste,
Es zeigt sich der Sænger, er tritt herein,
  Zu dem Guten bringt er das Beste,
Denn ohne die Leier im himmlischen Saal
  Ist die Freude gemein auch beim Nectarmahl.

His adde tamen locum strophæ nostræ nonæ et decimæ sic a Feuerleinio redditum:

Justo, patre Jovis, rege, dies diem
Æquat quæque. Ovium pacificos duces
Tellus exhilarat sponte sua cibo,
  Faustos tantum amor occupat.

Ad pag. 65. seriem 2. Schilleri *das Mædchen von Orleans* metro horatiani carminis *nullam, Vare, sacra vite* etc. reddidimus, quod Venusino vel parum placuisse, vel potius difficillimum, ut mihi, visum esse crederem, ob eamque rem non nisi ter ab eo, et brevibus in odis tentatum. Feuerlein, strophas archetypi sæpe multo brevioribus includens, sicque in versibus poetæ raro aut nusquam, quod recidere audeas, habentis, necessario vel abruptus hiulcusve, vel omnino mancus et jejunus, hic quoque a Schillero adeo discrepat, ut in verbis interpretis vix illius quidquam agnosceres. En tibi primam strophen cum archetypo.

Infesta pulchro, nescia cœlitum
Ars te cavillans, o hominum decus!
  Turpat: cor, errores repellens,
    Reddit inops, fidem atroxque lædit.

Das edle Bild der Menschheit zu verhœhnen,
Im tiefsten Staube wælzte dich der Spott;
Krieg führt der Witz auf ewig mit dem Schœnen,
Er glaubt nicht an den Engel und den Gott,
Dem Herzen will er seine Schætze rauben,
Den Wahn bekriegt er und verletzt den Glauben.

Quæ cum Fischeri, pag. 167-8 citatis, versibus comparans, vides alterum brevitate, alterum redundantia, quod ei non raro accidisse diximus, interpretem peccasse. Sed Fischerus, sæpe bonus, sæpe etiam egregius, ita fere offendit, ut, quæ pessima in hoc, ea in Feuerleinio in melioribus numerares.

Ceterum, qui, ut istum hic fecisse vides, vertat, equidem nec, cur interpretem is se adpellari, et minus, cur archetypo dissimillimus esse velit, intelligo; nisi hoc scilicet mihi persuasum sit, aut me, aut germanica sic reddentem, vel utramque linguam, vel alteram certe, quid velit aut possit, ignorare. Etenim, ne a proposito exemplo abeamus, ego sane in Schilleri verbis nihil reperio, quod sincera optimaque latinitate, quin ad dissimillimas locutiones recurras, verti nequeat, imo, ut, quantum sentio, dicam, nihil, quod non a veterum scriptorum uno pluribusve congruentibus fere verbis expressum habeamus. Quod autem hic in Feuerleinio, idem in aliis interpretibus neolatinis mecum, opinor, nec in ullo impensius, quam in Seyffertio, mireris.

Oden inscriptam *nullas metuunt tua dona pruinas* metro, meis certe auribus, jucundissimo composui: quo, quod alibi jam dixi, etsi Horatius semel tantum usus, tamen non facile crederem illud ei metrum displicuisse.

Ad pag. 66. seriem 1. In *judæo æterno*, ut in carmine *amicis meis*, pag. 27, cum Fischero certavi, quas ille duobus distichis, ego sapphica strophe vertens, nec paucioribus modo archetypi verbis, sed ne pluribus quidem syllabis usus; quorum illud facile, hoc difficillimum esse animadvertimus (v. pag. 167, ser. 2.) Fischer, nullis linguæ angustiis impeditus, secundam strophen vertit:

Ecce sub arboribus lux vespertina meanti
  In nitido vivas fonte revelat aquas.
Fons invitat eum, recubare peroptat in umbris,
  Judicis at pœnis territus usque fugit.

Idem quintam strophen reddit:

Atque vetusta strepunt raucis monumenta susurris,
  Vox venit, excitis manibus, ista viro:
Haud impune deus deluditur, ocyus illum
  Flecte, nec a nobis otia pacis age!

En germanicum:

Und die alten Græber drœhnen,
  Geister-Stimme ruft ihm zu:
Gott læst nimmer sich verhœhnen,
Eile fort ihn zu versœhnen,
  Stœre nicht auch unsre Ruh!

Quæ meis comparans, uter numeris, verbis, sententiis, vi et celeritate archetypo similior, judica.

In strophe *nocte de* etc. voce *bacillus*, coacti, reddidimus *Wanderstab*; de quo vide notam ad strophen 2. carminis *grues Ibyci*.

Ad pag. 67. seriem 1. Voss, a. 1826 extinctus, inter celeberrimos nostræ ætatis philologos numerandus, rari ingenii famam cum doctrina omnino,

tum poetas in iisque **Homerum et Virgilium**, vertendo, nec parvam suis, numerosis quidem, carminibus, præcipue tamen *Luisa*, laudem adeptus. Idem animo inprimis irritabili, et rixarum plus, quam satis, amans; qualem nos pag. 92. exhibemus, inanem ejus de recentiorum latinitate sententiam arguentes. E carminibus autem Vossii unum tantum, idque liberius, quam, ubi accurata translatio proposita, expressimus. In eo poematio equidem aut nihil aut minimum reprehenderem; sed præsertim placet strophe, quam reddimus *redeunte fronde* etc. En ipsam:

Manches Jahr gekostet
Hab' ichs, und gedankt,
Wann ihr, Blætter, sprosstet,
Wann ihr welkend sankt!
Mancher schon der Brüder
Hier und überall
Sank beim Sprossen nieder,
Sank beim Blætterfall!

Ad pag. 67. seriem 2. Schilleri *die Ideale* inter celebratissima ejus carmina ponendum. Ego, me ex illo quædam imitatum esse, alio loco dixi (pag. 176, ser. 1.): in his insignis locus, quem verti *vitæ strepebant ante currum* etc. Eximiæ ejusdem strophæ, quas disticho quodammodo complexus sum pag. 5, ser. 2:

Wie einst mit glühendem Verlangen
Pygmalion den Stein umschloss,
Bis in des Marmors kalte Wangen
Empfindung glühend sich ergoss:
So schlang ich mich mit Liebesarmen
Um die Natur, mit Jugendlust,
Bis sie zu athmen, zu erwarmen
Begann an meiner Dichterbrust,
Und theilend meine Flammentriebe
Die stumme eine Sprache fand,
Mir wiedergab den Kuss der Liebe,
Und meines Herzens Klang verstand:
Da lebte mir der Baum, die Rose,
Mir sang der Quellen Silberfall,
Es fühlte selbst das Seelenlose
Von meines Lebens Wiederhall.

Hæc J. B. Niethammer versibus homœoteleutis sic latina fecit:

Sicut Pygmalion ardore
Precum amplexus marmora
Perfudit vehemens calore
Vitæ genarum frigora:
Naturam ego adamavi
Complexu puer fervido,
Exanimemque animavi
In sinu vatis calido.
Tum muta, flamma hac concepta,
Discebat vocem animi,
Reddebat caritatem, recta
Interpres disiderii.
Vixitque mihi arbor, rosa,
Fons labens, cantu murmurans,
Res vitæ expers animosa
Vigore meo resonans.

Quæ, non inepta, longe tamen a Schilleri versuum vi, perspicuitate et nitore distant. Idem Niethammer vertit Schilleri *Campanam*: de qua translatione nos quædam in libro: *Reflexions sur l'usage du latin moderne en poésie* etc.

Priorem e propositis strophis Feuerlein horatianis, iisdem quibus ego quoque hic usus, sic reddidit:

Ut marmor olim Pygmalion precans
Desideranti pressit ad os suum
Vi, dum genarum frigus ardor
Solveret, hæ caperentque sensum:

Natura! sic te complicui manu
Concors amanti, flore virens adhuc,
Dum pressa complexu poetæ
Duceret heus (*sic*)! animam calescens.

Ad pap. 68. seriem 1 In strophe *angusta tendens* etc. *intrare factis, voce, sono specieque vitam* congruentibus verbis reddit archetypi non magis perspicuum *hinaus zu treten in das Leben, in That und Wort, in Bild und Schall.*

Ad pag. 68. seriem 2. De argumento carminis *die Resignation*, ut auctorem, interpretem illis excusatum cupio, quæ ad pag. 96, ser. 1, de carmine **meo** *quem dicam* etc. lectores rogandos putavi. Cæterum, moralem in schilleriano finem intuenti non mireris occurrisse Gœthei *Prometheum*, in quo pariter cavendum, ne nihil aliud voluisse poetam putes, quam illam mortalibus animi tranquillitatem commendare, qua gloriantibus nos, in elegia pag. 17, solamen ægro pectore deum pepulisse diximus. Ejusdem vero carminis quo major est apud Germanos fama, eo magis operæ pretium duxi, quum inter poemata jam non possem, hic latine redditum cum Schilleri *resignatione* conjungere. En igitur *Prometheum* tibi cum ad verbum vix non ubique expressum, tum forma metrica ab archetypo parum, certe numero magis et longitudine versuum, quam rhythmico concentu, discrepantem.

PROMETHEUS.

Vapore cœlum nubilo condens tuum,
In ilicesque, Jupiter,
Jugaque, velut, qui carduos truncat, puer,
Sævi! Meam tamen sines
Terram, casamque stare te sine conditam,
Focumque, cujus invides
Flammam mihi. Pauperius ego vobis nihil
Novi sub æthere, numina,
Litantium nidore majestas quibus
Ægre precantumque halitu
Se pasta jactat; quam fames consumeret,

Infantibus spes stulta ni
Staretque mendicantibus. Puer ego dum
Viæ vagabar nescius,
Errante solem lumine tuebar, meam
Supra quasi foret audiens
Auris querelam; quasi cor, adflicti, ut meum,
Miserere quod hominis queat.
Titaniam contra proterviam mihi
Quis adfuit? Quis morte me
Aut servitute vindicavit? Omnia
Ardore nempe tu sacro
Cor perpetrasti, vindicem, juvene et bonum,
Nubes supra dum fervidis
Lusum fatigas dormientem gratiis.
Tene ego colam? Cur? Lacrymas
Unquamne pacans erigebas anxium?
Unquamne lenibas malis
Presso dolorem? Nonne me omniparens virum
Cudit dies, æternaque
Fati, mihi tibique imperans, potentia?
Neve mihi vitæ tædium
Fore, neu putes in tesqua fugiturum; quia
Non cuique fructus somnio
Maturuere? Homines, sedeo, viden'? hic meam
Ad imaginem formans, genus,
Flens simile patiensque mihi, quod, lætum et dolens,
Numen, ut ego, spernat tuum.

His quomodo et verbis, et metro numerisque conveniat germanicum, ex parte, cui nostra, usque ad vocem *pauperius*, respondent, intellige:

Bedecke deinen Himmel, Zeus,
Mit Wolkendunst,
Und übe dem Knaben gleich,
Der Disteln kœpft,
An Eichen dich und Bergeshœhn;
Musst mir meine Erde
Doch lassen stehn,
Und meine Hütte, die du nicht gebaut,
Und meinen Heerd,
Um dessen Gluth
Du mich beneidest.

Mauritius Seyffert, quem, pag. 166, rivalem mihi censoremque non nimis lenem contigisse dixi, quæ iambis ego, duabus strophis sapphicis sic expressit:

Cœla subtexas nebulosa fumo,
Carduos frangens puer et faga,
Jupiter, quercus jaculatus igne et
Ardua montis;

Nostra non tellus, casa nostra nullo,
Quod tuum non est opus artis, almæ
Nec tibi flammæ focus invidenti
vincitur ictu.

Ubi in priore strophe habes *cœla* eaque *nebulosa fumo*, quo interpretem traxit Virgilii cœlum subtexere fumo, *proprio* scilicet *Marte*, ut ipse adfirmat, *secundum optimorum exemplar procusa* dare assuetum; secunda autem strophe qua constructione quantaque, in apertissima archetypi sententia, perspicuitate commendetur, intuens, criticum aliis obscuritatem et compositionis ruditatem lutulentaque objicientem mirare. Adde, si vis, locum: *titaniam contra — vindicavit?* a Seyffertio versibus sane perquam canoris redditum:

Frena cervici manus expedivit
Ecqua Titanum? manus ecqua letum
Rupit et vinclo mea servitutis
Colla redemit?

Quæ, priore parte obscura, si germanice *congruis* verbis recteque verteres, nempe remotissimum ab archetypi simplicitate haberes. Atqui idem Seyffert, in præfatione, postquam in meis vocem *Malbrough*, postquam non tentanda tentantes reprehendit, Gœthei, quæ latine vertenti gratissima sit, cum veteribus mentis sermonisque similitudinem cum admiratione prædicans, *longe aliam rem* esse. ait, carminum, quæ orationis eum habeant « colorem, cujus inadfectatam simplicitatem, ut tota expressa est ad antiquitatis normam, ita antiquis verbis facile possis et apte reddere. In quo genere quis est, Gœthium qui neget unum omnium maxime excellere? Itaque ex hoc quæ sunt a nobis translata, non dubitamus in suo quodque genere pro perfectissimis habere, in quibus quod est vere divinum et commune omnium, quorum ingenium non abhorret a musa, cum quavis lingua cultiore, tum antiqua reddendo feliciter liceat assequi. » His paulo post, Schillerum cum Gœtheo comparans, addit: « religiosis licuit esse in Gœthio, in quo sæpe et sponte se obtulerunt, quæ cuique loco convenirent non quæsita, et si quærenda essent, quo hæc certissimo modo invenirentur, non latuit. » Sic igitur sentienti nonne nil prius, in *Prometheo* vertendo, futurum diceres, quam, ut, de Gœtheo poeta se verissime existimasse, re probaret? Atqui vides, eundem hominem ab archetypi simplicissimo, imo plebejo pæne in nonnullis, si verba æstimas, sermone, adeo abiisse, ut nudum candidumque fucoso, perspicuum obscuro reddiderit. Quid hinc, nisi rigidum censorem ea aliis jactasse, quæ, si vere sensisse concedas, tamen manifestum sit, ipsum minime præstitisse? Nimirum aut diligentiam summa volenti, aut eam linguæ poesisque latinæ scientiam defuisse, fateamur, necesse est, qua Gœthei mirabilem illam cum veteribus similitudinem quomodo congruis verbis locutionibusque redderet, intellexisset; quæ scientia si vere Seyffertio fuisset, non minus, quam in Gœthei, in Schilleri, quos vertit, versibus, quantum valeret, ostendere potuisset; ubi pariter, qualem se præbuerit interpretem, aliis locis animadvertimus. Cæterum, *Prometheo* iambis ita, ut non nimis displiceret, expresso, eundem sapphica strophe tentare placuit; quin, in metro difficiliore, longius a germanico sive sententiis sive verbis abiremus; quod tamen in extremo carmine, strophen implentes, vitare frustra laboravimus. Scilicet diversam prorsus a seyffertiana viam tenere consuevimus; neque vero, ut cum Fischero in quibusdam, sic cum illo contendere aut hic aut

usquam voluimus. Quæ enim æmulatio mihi, quæve comparatio cum homine futura, cujus et vertendi norma plurimum, et ipse sermo latinus adeo a meo differt, ut multos ejus, vel in prosa oratione, locos tarde vixque, quosdam autem ne sic quidem intelligere potuerim? Enim vero Seyffert, quum in præfatione, carminibus a se translatis præmissa, dictione nec nimis obscura, et satis latina usus esset, in altera, *palæstræ* ejus præmissa, haud scio, an male palpantium laudibus audentior etiam factus, eo usque torrenti copiæ confusæque volubilitati indulsit, ut omnia hic rite intelligere, non mihi, sed omnium latine doctissimo arduum fore, non metuam adfirmare. Sed ecce strophas nostras.

PROMETHEUS.

Nubilo subtexe tuum vapore,
Jupiter, cœlum, puer utque truncans
Carduos, quercus feriensque suda
Fulmine montes;

Stat mihi tellus tamen, atque tectum,
Ipse quod struxi sine te, focumque,
Et meum splendere videns dolebis
Invidus ignem.

Nempe inops vobis ego, di, sub æthra
Nil magis novi, stipe queis litantum
Macra majestas nitet halituque
Pasta precantum,

Pasta, mendicis puerisque donec
Spes viget stultis. Puer ipse, quo me
Verterem, erranti dubius tuebar
Lumine solem;

Ceu meos nubes super auris esset
Audiens questus, superum gementis,
Ut meum, ceu cor miserere posset.
Quis mihi contra

Præbuit Titanas opem protervos?
Quæ manus letum mihi, quæ catenas
Reppulit? Sacrum, tua nonne flamma
Cuncta peregit,

Pectus? illusum, juvene, heu, bonumque,
Dum quiescenti super astra gratum
Vindici flagras! Ego tene honorem?
Unde? Dolore

Num quid adflictum relevare, num quid
Anxii curas inhibere fletum?
Me virum nonne omniparens dies æ—
Ternaque fati,

Quos habes mecum dominos, potestas
Præstitit? Neu forte odium tenere
Me putes vitæ, placitura quondam
Neu mihi tesqua;

Somnii florem quia non secuti
Quemlibet fructus: homines ad instar
Hic meum formans sedeo; videsne?
Spretor Olympi,

Hic paris stirpem mihi formo sortis,
Quæ fruens mecum toleransque, mecum
Quæ gemens, gaudens, tua, me docente,
Numina temnat.

Ad Schilleri carmen, cum quo *Prometheum* hic conjunxi, redeo: in quo si quid Feuerleinii comparare vis, cum meis *vitæ semel* etc. confer illius strophen secundam:

Ornat juventam flos semel, haud redux
Fluxit, meus jamjam genius facem
Invertit: extinctum, sodales,
Flete mei ingenii vigorem!

Ad pag. 69. seriem 1. In strophe *trans* etc. *seges est tuo dolori* reddit *wuchern deine Schmerzen.* Magis ad verba diceres *tuo erit fœnus dolori;* illud tamen malo.

De voce *mumia* vide pag. 156, ser. 1.

Ad pag. 69. seriem 2. Epigramma inscriptum *ad Lucinam* germanicum habes pag. 149.

Ad pag. 70. seriem I. Epigramma inscriptum *Romæ æternæ* germanicum habes pag. 149.

Epigrammatis *Napoleo numine tutus*, quod mutavimus, auctor rem sic expressit:

Te petit ense scelus, fluctu mare, tartara flammis:
Arma, ratem, currum, ter deus ipse regit.

Ubi arma ad percussorem, ratis ad maris pericula, currus ad tartara, utrumque ad machinam illam infernalem refertur. Unum offendit, quod *ter*, salva grammatices lege, recte intelligi nequit, nisi de ter arma, ter ratem, ter currum regente; idque contra auctoris sententiam, cui cæterum soli omnis ab hoc epigrammate laus debetur.

Ad pag. 70. seriem 2. Epigramma *porta* Feuerlein vertit: Porta rudem ad leges blande invocet, illa civem sub Dium corde lubente foras.

In epigrammate *exitus e vita*, *perenni te menti reddens* exprimit *zum Ideale führt;* quo sententiam, subobscuram, utique reddidisse putamus.

Epigramma *meine Antipathie*, ut in minutis quoque, secundo certe disticho, sui similem agnoscas, Feuerlein vertit:

Horreo turpe, magis detestor, quod tot honesti
Præcones vanos largiloquosque creat.
Numquid idem reprobas? — Hoc σ si percolat omnis!
Det Deus! omnis abhinc transeat hocce silens.

Glogau, cujus epigramma *der May* Franc. Horn, non vulgari nostræ ætatis critico, mire placuisse, vidi, inter eos laudem et merito tulit, quibus longam post oblivionem nunc testibus Germani ostendunt, vel iniquissimo patriæ musisque tempore, misere corrupta, præsertim gallicis vocabulis lingua, fuisse tamen, qui et hanc intactam ab illa labe servarent, et Phœbo digna loquerentur. Sed evenit, quod in simili re consuevit: nam, quos spretos indignabantur, hos supra meritum extollere critici multi cœpere, quin tamen, quod contendebant, a popularibus impetrarent. Etenim, quæ bona vetustiores illi poetæ, vel cum melioribus nostræ ætatis comparata, quamvis pauca, habent, ea tanquam in vitam revocata, cum voluptate leguntur, mediocria plurima et insulsa antiquariorum curiositati et deliciis relinquuntur. Cæterum in bonis epigrammata satis multa, ut ingenti in numero, occurrere, non est, cur mireris; quippe in eo genere et frequens et facilior imitatio; neque dubium, et alii animadvertere, optima pleraque e neolatinis, quos nunc paucissimi legunt, vertendo aut imitando expressa, poetas illos pro suis dedisse. Atque hoc quum ipse reputarem, incidi in epigramma Opitzii, quod verbum verbo redditum habes pag. 74, ser. 1; cujus adeo archetypum latinum extare, si non aliud, ipsa, ut crederem, vertendi facilitas suaderet.

Epigramma in Anastasii statuam, et, quod sequitur, in Cappadoces, Lydi *de Magistratibus* opusculo inserta, in *epistola ad C. B. Hase*, restituta vertimus.

Ad pag. 71. seriem 1. In epigrammate *in Pandectas*, non uni tentato, an melius possem, experiri volui.

Ad pag. 72. seriem 1. Epigramma *bonus et magnus* Feuerlein, turpi hexametro, meliore pentametro, reddit:

Sunt modo virtutes binæ, o foret una modo! Esset
Usque bonus magnus, magnus et usque bonus!

Ad pag. 72. seriem 2. Epigramma *deutscher Genius* Feuerlein, in pentametro quidem mire satis, vertit:

Euge! — gravem Latium te reddat, Græcia gratum;
At Gallo nunquam velificare levi!

Quæ, vide, quam bene ad Schilleri:

Ringe, Deutscher, nach rœmischer Kraft, nach griechischer Schœnheit!
Beides gelang dir; doch nie glückte der gallische Sprung.

Ad pag. 73. seriem 2. Epigramma inscriptum *Rhura* germanicum habes pag. 149.

Ad pag. 74. seriem 1. Epigrammatis *Würden* distichon tertium, solito hic paulo melior, sic expressit Feuerlein:

Sic honor illustrat mortalem, *haud* ipse coruscat,
Est modo, quem peragrat, splendidus *iste* locus.

Ad pag. 74. seriem 2. Epigrammata, acrosticha, *Napoleoni* et *Helenæ*, in *Encyclop. belgica* Bormansio, errore, quem ipse ægre tulit, adscripta vidi. In priore *hostili sub manu* de hostium potestati subjecto intellige.

Epigrammata Klopstockii sententia satis, minus sermo et numeri commendant. Ego hic imitator fere potius, quam interpres.

Ad pag. 75. seriem 1. Epigramma *Maurogenes* etc. ne cujus in suspicionem incidat, iis cautum volo, quæ pag. 77, ser. 2, de satirica carminum meorum parte professus sum. Cæterum ipse annus rem ad remota refert.

Ad pag. 75. seriem 2. Epigrammatis *die Antike* etc. versum *die der begeisterte Ruf rühmt durch die staunende Welt* Feuerlein, in hoc epigrammate, ut paucis sane locis, solito tolerabilior, vertit: cujus honor cuncto crescit in orbe recens.

Epigrammatis *der Kaufmann* distichon:

Trag es gnædig, Neptun, und wiegt es schonend, ihr Winde,
In bewirthender Bucht rausch' ihm ein trinkbarer Quell,

Feuerlein non ita inepte, etsi binis tribusve offendens, reddit:

Esto rati facilis, Neptune, auræque favete,
Hospitus *hanc* recreet fonte scatente sinus.

Ad pag. 78. seriem 1. locus *nullam Libitinæ* etc. eorum sententiam exprimit, quibus nihil vivere in poesi neolatina, certe nihil animum satis movere, placet, ob eamque rem vel magni ingenii viros nullam in populum vim, nullam in vitam habuisse; et quæ his similia *æsthetici* profari, tametsi plerique non sua, sed aliorum, ut Herderi, et Fr. Schlegelis, dicta repetentes, consueverunt: quorum in opinione aut doctrina, ut quædam vera, sic multa inania, multa etiam a sensu communi abhorrentia dicuntur. Nos illam quæstionem tum in hoc volumine aliquoties, tum alias, velut in dissertatione de versibus homœoteleutis, pag. 74, in nota ad carmen *Dies iræ*, attigimus.

Ad pag. 79. seriem 1. In versu *tramite* etc. *nebulosus* tropice dictum vix satis defendit locus apud Gellium, 20, 3. Ego tamen *nebulæ* quoque sic, pag. 85, ser. 1, in *nebulas dixere legentem*: quod si damnes, nec erit, cur *tenebræ* sic a me, nulla voce adjecta, dictum probes. Ipse autem, nisi in talibus a veterum usu non discedendum putarem, neque hic in memet notam, neque aliis locis, qui tamen paucissimi, addidissem. Cæterum, quæ mihi suspecta ex eo genere, doctior habuerit fortasse, quo melius, quam ipse interim possim, defendat.

Locus *nugarique foro* etc. Euripidem, e Schlegeliano scilicet epigrammate, designat, qui de illo poeta: *Euripedes schwatzt ein sophistischer Rhetor am Markte.*

Ad pag. 80. seriem 1. In versu *dirus* etc. si displicet *laxa crumena*, quo et pag. 28. ser. 2. in versu *et mage* etc. utimur, lege *larga*. An laxam veterum quis, ignoro; ego tumidam quoque crumenam, pag. 77. ser. I. in versu *unde feras* etc., pro plena, neque hoc veterum, quod sciam, auctoritate dixi. Ad Aretini maledicentiam Blumii epigramma, quod imitans sic expressi:

Lætus Aretinus cunctos mordere, pepercit
Uni, quod nullum credidit esse, deo.

Ad pag. 81. seriem 2. In versu *nequidquam* etc. voce *recens*, ut alias *recentior*, ea plane significatione usus sum, qua Germani dicimus *neuere*, qua Galli *moderne*, velut *le monde*, *l'Europe moderne*; nec enim habui, quod illi præferrem, ac ne variare quidem verba volui, ubi in omni lingua idem semper usurpare res jubet. Non mirer tamen, si cui, sæpissime in scriptis meis recurrens, non ubique classicum, aut si classicum satis, ciceronianum non videatur. At mihi, quamvis rariore tali apud veteres usu, latinum tamen esse, satis erat, ne ad alia recurrerem.

Ad pag. 82. seriem 1. in versu *ægro* etc. Vocem *æstheticus*, a græco ejus usu non leviter aberrantes, Germani nostra ætate usurpare cœperunt; nunc Gallos quoque, ne de aliis hic quæram, inter *technica* in pulchri doctrina vocabula recepisse video. Neolatino cur in talibus a voce recentiores in linguas inducta abstinendum minime existimem, rationem hic exponere longum. Rem attigimus in dissertatione, §. 18. Cæterum aliis auctor sim, ut, quod ipse feci, ejusmodi vocabula typis, ut non latina, distinguant.

Ad pag. 84. seriem 2. Initio carminis inscripti *adoratio pastorum*, et illis, quæ huc e pag. hujus ser. 1. trahenda sunt, congruentia habes hæc Doissini, scalpturæ inventionem canentis:

At formas ære expressas committere chartæ,
Fictosque in lævem vultus transferre papyrum,
Res abstrusa diu, multisque incognita sæclis
Ars fuit.

Picturarum descriptiones plures *anthologiæ* suæ *latin* (vol. 1. pag. 261.) inseruit Thevenot, in iisque notissimam illam S. Antonii tentationem, ab eodem Doissino descriptam, et in Noelis quoque et La-Placii *lectiones latinas* receptam.

Ad pag. 87. seriem 2. Versus *in homines ventosos*, ne initii abruptum mireris, ex *epistola ad. C. B. Hase*, e contecta oratione desumtos dedi.

Ad pag. 88. seriem 1. Ad argumentum carminis inscripti *pygolichia* maxime trahenda sunt, quæ pag. 77, ser. 2, de satiricis meis monenda duxi. Ipso vocabulo cur crucem me meritum quidam clamaverint, intelligo; non malevolos autem, nec veterum in similibus ac neolatinorum quoque consuetudinis ignaros, cur, non titulus, sed ipsum carmen liberiore sermone offendat, fateor me nondum videre; etenim vel in recentioribus linguis multa reperires, quæ verborum licentia mea longe superent, neque ob eam rem in gravissimis quoque viris non probentur potius, quam turpia existimentur.

Ad pag. 88. seriem 2. Versus *hanc tu* etc. et duo sequentes Mureti sunt.

Ad pag. 90. seriem 2. Carmen inscriptum *sacrum, Latii* etc. satiricum esse, hinc intelligis. Ejus, omnium, quæ composui, longissimi, prima pars quisquilias quasdam grammaticas, quales bilem movere vel placidissimo queant, cumque illis conjuncta nomina deridet; secunda longiorque pars, poesin neolatinam defendens, inclytorum virorum, in his Gœthei, Herderi, Eichhorni, Vossii, Ruhnkenii, Wolfii, de illa, aut omnino de recentiorum latinitate judicium vel laudat, vel improbat, in nonnullis, ut Wolfio et Ruhnkenio, præsertum vero in Vossio et Eichhorno diutius inhærens; eadem, inspersa celebrium e neolatinis mentione, meam de Petrarchæ poesi latina sententiam explicat. Tertia denique carminis pars, de latinis carminum Germanicorum interpretibus agens, et veteris Romæ poetas, et e recentioribus Buchananum, cæterum Schilleri quoque umbram in turpes quosdam fœtus ultores invocat, Mauritium autem Seyffert, *palæstræ musarum* auctorem, eundemque Schilleriani carminis, *grues Ibyci* inscripti, interpretem, ne sacratos patriæ vates, neve Latii recentioris camœnas porro temerare animum inducat, deprecatur.

Ad pag. 92. seriem 2. In loco *non tamen hinc* etc. invulgari de latina Petrarchæ poesi sententia quominus temere abire videamur, hæc ad nostram tuendam pauca adferimus. Poetarum nonnullorum carmina latina hodie ab eruditis quoque vulgo aut negligi aut prorsus ignorari, florentibus contra, quæ patrio sermone iidem composita reliquerunt, in dissertatione hujus voluminis (§. 42.) memet animadvertantem habes: idem pluribus attigi in libello *réflexions sur l'usage du latin moderne* etc., Sannazarii *Arcadiam* ibi (pag. 40.) *rimasque* Petrarchæ memorans; unde, ut solenne, sic inane argumentum nostra ætate repetunt poesis neolatinæ osores, plerique illi, si non omnes, priorum jam criticorum, in iisque Fred. Schlegelis, dicta referentes, quin ipsi Lauram italis celebrantis versus latinos aut viderint, aut ullos legere animum induxerint. Atque hoc, licet dicere me vix ausum fatear, tamen dubito, an hic celeberrimo quoque Sismondio acciderit, qui (in *de la littérature du midi de l'Europe*) de Petrarchæ poesi in aliis: l'*Afrique* — est fatigant à l'oreille; son style est enflé, le sujet dépourvu d'intérêt et ennuyeux de manière à ne pouvoir être lu; de epistolis autem ligatæ orationis: l'imitation, la fidélité de la copie, qui, aux yeux de Pétrarque lui-même, faisait leur principal mérite, leur ôte pour nous tout l'accent de la vérité. Ego autem, qui his similia in aliis ante vidissem, quam in scriptore, cujus et pulchri sensum, et criticum in ipsis Petrarchæ *rimis* acumen vehementer probo, postquam sero hujus versus latinos, raris

hodie exemplaribus extantes, non omnes, sed majorem tamen partem attentius perlegi, veriorem illam, quam in carmine meo secutus sum, sententiam reputavi. Nam in *Africa* ut multa quæsitis adfectibus et ridiculo interdum tumore vitiosa, sic egregia etiam, et quæ pulcherrimis in Petrarchæ ***sonettis*** et ***canzonibus*** comparata non fastidires, reperi. Sed enim in longissimo poemate quum multis valde offendimur, totum citius damnare ac jure quodam consuevimus; at contra in minutis, qualia sunt pleraque Lauram canentis lyrica, pravorum carminum superante copia vel nihil, vel levius, quominus pulchra in deliciis habeamus, impedimur: quod ni ita esset, ne sua quidem in gente magna Petrarchæ a poetica facultate ad nostrum ævum gloria durasset; cui si totam hanc demas, tamen restabunt, ob quæ, ingenium ejus mentemque venerantes, divini, quod commune cum Platone tulit, cognomine dignum judicemus. Enimvero ex italis ejus carminibus ***triumphi*** pauca habent, quæ magnum poetam, plurima, quæ vix mediocrem deceant; idque vel summi ejus miratores plerique, opinor, concederent. E ***sonettis*** autem et ***canzonibus***, ut cætera nomina mittamus, quædam sunt sane divina, sed multo major pars iisdem, quibus et latina Petrarchæ carmina, vitiis, ac, si quid meo judicio tribuis, frequentius adeo laborant. De epistolis vero, quas diximus, miror profecto inprimis hic displicentem Sismondio cum veteribus similitudinem, qua nobis omnem veritatis sonum perire adfirmat. His enim adeo non assentior, ut in nulla poesis petrarchianæ parte potius veros animi sensus vocesque quærerem, scilicet epistolas illas minime quidem integras a familiaribus auctori vitiis, at minus tamen rariusque adfectas existimans. An autem, ut Sismondi videtur significare, ipse confessus sit, primariam se illis laudem a veterum imitatione et perfecta exemplarium imagine trahere voluisse, equidem non memini; cæterum, si maxime, hoc eum conatum, fingamus; verum tamen manebit, et in prosa Petrarchæ oratione, et in carminibus quoque pleraque scriptorem lingua latina, tanquam patria, facile utentem, omninoque a servili imitatione ita alienum arguere, ut proniores in hanc labem non paucos vel inter eos reperiamus, quos dictionis causa critici et merito laudaverunt. Sed satis de his; nec enim notis dissertationem inserere placet.

Ad pag. 93. seriem 2. extr. In proprio carmine qualis sit Seyffert, quamque ego hic vere aut inique, e loco, ad quem mea *fidens propriam* etc. referuntur, ipse judica; germanos enim poetas neolatinos iambico carmine et pindarico spiritu celebrans, sic incipit:

Adulterinos ora mentiri crepas
Cultus Camœnam, quæque nuper advena
Genuina propinasse mella nesciat.
Hæc illa vultus explicatos detegens
Placidum renidens reggerit convicia:
Quam o iniquo exerceor fato deum!
Livoris olim muta passam vincula
Secura pridem surpuit me oblivio. etc.

His, solis luce, ut Seyffertiana cuncta, clarioribus, adde versus:

Audin' sonoros, cura non fuit ultima,
Germaniæ per arva fluvios volvier?
Hinc cærula vada temperans Mœnus lyræ
Junctos Micylli sociat impares modos,
Et parva, nomine grandiora mox suo
Lotichio labella rorantem juvat.
Illinc Philippi visitat sacrarium
Discentiumque voce mutua choros
Albis salutat refluitque doctior —
Illinc fluenta confremunt Bavariæ
Rorisque certant ebria Rhodopeii
Plectrum sub astra ferre baldeæ lyræ.

Ad pag. 94. ser. 3. Carminis inscripti *la perte de l'Anio* initium, ab Aniene cadente ductum, habet a multis cum prosæ scriptoribus tum poetis descripta. Nos unius hic neolatini, J. Rotgeri Torckii, ex elegia ***de secessu tiburtino*** versus comparationis gratia subjicimus, cujus carmina habes inter ***septem illustrium virorum poemata*** (Amstel. 1672.) In quibus versibus ea est cum De-Lamartinii verbis similitudo, ut, nisi alioquin parum credibile esset, pæne diceres hunc e neolatino aliquid traxisse. Sed ecce ipsos.

Quid loquar, ut nitidus Anio pellucidus undas
    Volvat, et electro purior arva riget?
Jamque vago cursu et lapidosa exercitus ira
    Mollior herculeos lambere gestit agros;
Et veluti flabris crispatum lenibus æquor
    Compositæ repens otia ludit aquæ,
Cum subito lapsu barathrum ruit omnis in imum,
    Condendum inferno jam Phlegethonte putes.
Rorantes cana latrant aspergine cautes,
    Et furit horribili spuma aniena sono.
Mox vasto exesi sorbetur montis hiatu,
    Præcipitatque trucem per cava saxa fugam.
Trunca jacent ripis secli monumenta vetusti,
    Et premit informes alta ruina domos.
Hæc Mœcenatem spirant, hæc rudera Flaccum, etc.

De Aniene autem exhausto, fuit, qui, ipsis in locis diuque versatus, De-Lamartinium hic errasse, mihi adfirmaret: flumine scilicet ex alvei parte jussu P. M. deducto, hanc interim siccam mansisse, et, quæ alia narrabat. Hæc igitur an vera essent, quum mihi ne dubitare quidem liceret, dolui sane, tam eximium carmen ab errore profectum; qui, nil poetæ ingenio demens, lectoris tamen, verum scientis, necesse est, nonnihil turbet voluptatem. Ipsum vero in errorem quomodo incidere, imo, quomodo verum diu latere potuerit De-Lamartinium, ab ipso discendum foret. An aliquid ad rem publice sit confessus, interim ignoro.

Ad pag. 95. seriem 1. Verba ***signo nomine ut usa tuo*** accipe pro ***nomine tuo, ut signo, usa.*** Vide pag. 159. talia me excusantem.

Locum *aera deserti sonipes* etc. mallem in sacra **prophetarum** poesi, quam hic legere. Cæterum in ejusmodi descriptione difficile plerumque est, nisi

rem oculis spectaveris, sive recte intelligere scriptorem, sive, quid juste nimiumve dicat, judicare. Locus vero præsenti comparandus est in carmine inscripto *solitude*, quem ego, nihil insolentiæ addens, quomodo verterim, vide pag. 99, ser. 2, a versu *vidimus oceani* etc.

Ad pag. 96. ser. 1. Carminis inscripti *quem dicam* etc. causa in primis mihi lectores, si quos habeam, rogandi sint, ne in versibus ubique poetarum ipsissima vitæ præcepta moresque, aut in divinis religiosisque rebus quasi dogmaticam persuasionem videant: tametsi hic sæpe minus metuendi sunt falso, quam maligne judicantes, qualis manifesto fuit auctor libri inscripti *Klopstock und Schiller*, Schillerum ob lyrica aliquot carmina cum sacro quodam furore abominatus. At neque summus ille poeta de animi immortalitate aliisque primis naturæ humanæ bonis doctrinam christianam impugnare, neque ego, sit venia comparanti, similem culpam de dei, quæ mortales fugit, natura quærendo admittere, sed adfectum et quasi momentum animi adumbrare volebam, quo dilabi interdum necesse sit hominem, qui se mundumque et rerum auctorem, qua potest ratione, contempletur.

Ad pag. 96. ser. 2. Carmen inscriptum *Aquisgrani* etc., quod germanicum habes pag. 134, a. 1829, valetudinis causa Borcetlæ degens, composui. In versu 8. alloquor Petrum Pauls, summæ dignitatis parisque humanitatis virum, eundemque omnis pulchri amantissimum, cujus mecum amicitiæ, quum Herbipoli studiis academicis una vacaremus, inchoatæ, hanc memoriam exstare volui.

Ad pag. 97. seriem 1. In versu *scilicet ægroti* etc., in sententia prorsus aperta, *forte* latinum esse, aliquot optimæ ætatis scriptorum locis, inter quos unus Ciceronis, evincere contra Krebsianos possem; (*) sed fatendum, labentis latinitatis tempore demum particulam illam frequentius, ea, qua hic a me, significatione usurpatam esse. Sic igitur jure quodam e neolatinis illi carpentur, qui, quod augusteo ævo rarissimum, eo vulgo utuntur, cum Ruhnkenio, Wyttenbachio, Ernestio, qui tamen omnes raro sic, *forte* pro *fortasse* ponentes. Muretus an usquam fecerit; valde dubito. Sed, ut hac occasione ad rem mea latinitate aliquanto graviorem vertamur, de *forte* Horatii, quod ipse alias paucis illis, quos dixi, aureæ ætatis locis addidi, quid statuendum esse nunc existimem, proponam. Locus, quo critici, plura per sæcula torti, hodie etiam torquentur, omissa orationis distinctione, sic habet: ***forte quid expediat communiter aut melior pars malis carere quæritis laboribus***; post quæ sequuntur verba ***nulla sit hac potior sententia***, etc. Hujus igitur loci si ullam ex iis, ad quas, latente, ut ego puto, vera verborum junctura, confugere interpretes coacti sunt: si ullam, inquam, probemus, iidem concedamus necesse est, Horatium hic obscurius, quam ullo alio loco non suspecto, atque, ut verum dicamus, pessime, quod in eum vix semel cadere possit, esse locutum. Cur ita statuam, quibusque, quam novam certe crederem, sententia argumentis nitatur, quum hic satis explicare, quin modum nota excedat, nequeam, simpliciter, qualem totius loci constructionem, quamque hinc profluentem sententiam sequar, expositum intuens latine doctus, mihine assentiendum, an nihil dicam, dijudicet. Ego igitur, *forte* adjectivum faciens, sic distinguo: ***Forte quid*** (i. e. aliquid, quod sit forte, quod sit fortis animi) ***expediat*** (i. e. liberet, nos sc. a malis). ***Communiter, aut melior pars*** (i. e. omnes, aut, qui meliores inter vos) ***malis carere quæritis*** (pro quo dicere poterat *si quæritis*, sed interrogatione uti, quemadmodum in ***vultis severi me quoque sumere*** etc. maluit.) ***laboribus? Nulla sit hac potior sententia***, etc. Sic distinguenti sensus habetur, quem, me quidem judice, nec linguæ, quod ad *forte quid* (*) *expediat* attinet, usus damnare possit, et cætera optimum esse nemo non fateatur.

Ad pag. 97. seriem 2. In versu *Francorum* etc. vulgare nomen, de qua hic agitur, arcis, ut in carminis quoque inscriptione, servamus, non ignari, doctioribus, certe Christiano Quix, de antiquitatibus Aquisgrani bene merito, verum nomen esse ***Frankenburg***, non ***Frankenberg***.

Ad pag. 98 seriem 1. In versu ***perpetuum sub sole*** etc., ut pag. 60, ser. 2, formam loquendi habes, quæ an apud bonæ ætatis scriptores occurrat, dubito. Aliud enim ***sub sole*** pro ***in sole***, ut in Virgilii ***sole sub ardenti***, quale est nostrum pag. 4, ser, 2. in ***sub sole agricolis*** etc.

In loco *hic flere* etc. numeri gratia maluimus — ***tumultus***, ***aut gliscens***, ***pacare***, ***urit*** etc., quam ***tumultus pacare***, ***aut*** etc. Veteres eandem ob cau-

(*) Apud Ciceronem, *ad Div.* 9,22, habes *forte nosti canticum*; cum quo confer ejusdem. *de Off.* 2, 20, - *in illo uno, aut forte in liberis ejus manet gratia.* Livii, vide, an satis ad rem *ne penes ipsos culpa esset cladis forte gallico bello acceptæ.* E poetis optimæ ætatis habes Virgilii *invitat, qui forte velint*, Ovidii, *Trist.*, 5, 7,—*qui forte latine — reddere verba queat*, ejusdem, *Heroid.* 21, 237, *nisi, quod nova forte reperta est*: quæ, sicut alia quædam ejusdem ætatis, quantæ sint ad rem auctoritatis, inquirere longum. Apud Propertium, 3, 22, 20, equidem haud valde mirer, non satis expenso vocis usu accidisse, ut pro *forte jacent* legeretur *et ponit.* Ex argentea est Senecæ, *de brev. vitæ*, 11, *quæris forte, quos occupatos vocem*? Quintiliani, 9, 4, *nequeas satis forte* etc. Gellii, 20, 1, *ne existimes, invidiam me istam forte formidare*; ubi *forte* non pendet a particula *ne.* illis alia sive prosæ sive ligatæ orationis addere non libet. E seriore ævo, ubi exempla multa, Claudiani, cujus latinitas aurea ætate digna, *Mall. Theod. consul.*, 215, *fuerint aliis hæc forte decora*, et, *de raptu Pros.*, 3, 306, *confessa Diana forte tibi.*

(*) *Expediat* exemplis defendere, quia rara non sunt, supersedeo. Pro *forte quid*, non fateor modo, usitatius fore *forte aliquid*; sed idoneum veteris exemplum interim a me frustra quæsitum. Si recentioris sufficeret, ad Ernestii *est majus quid eloquentia*, (cf. Cic. *de Orat.* 1, 4, majus est hoc quiddam.) aut *quomodo generosi quid parere potest*, recurrerem. Cæterum, quum veteres sæpe *quid*, quin particulæ quædam præcederent, pro *aliquid* iidemque magnum aliquid, ut Virgilius et Juvenalis, et similia dixerint, dubitare nequeo, quin et *forte quid* recte dixissent. Alia ratio est præcedente relativo, ut apud Livium, 5, 1, in *a quo tale quid dictum referretur*: vide, an alia etiam in Ciceronis, *de Orat.* 2, 40, *aliud quid.*

sam solitam interdum disjectam constructionem prætulisse, alio loco monuimus (v. pag.153.)

Ad locum *quas nullius aures mortalis* hæc notamus. Famam Aquisgrani vetustam et prosa oratione et carminibus enarratam continet liber Aquisgrani vulgatus ab Alfr. Reumont, inscriptus *Aachens Liederkranz und Sagenwelt* (ap. J. A. Mayer, 1829.), ubi *Mons Francorum* cum aliis tum Fr. Schlegelis et J. B. Rousseaui versibus celebratur, cujus e carmine hæ sunt strophæ:

Recht ein Sitz der stillen Liebe
Bist du, Veste, wo der Held
Zu den Fluthen, tief und trübe,
Der Geliebten Ring gesellt.
Ferne von der Menschen Reigen
Schleich ich durch den Wald zu dir:
Was ich ihnen muss verschweigen,
Klag ich laut dem Echo hier.

Ad pag. 98. seriem 2. Ad locum *irrisum tibi dæmona* etc. pervulgata vetus hæc fabula. Quum templum perficere inopia pecuniæ non possent Aquisgrani magistratus, desperantibus diabolum numos ea conditione obtulisse, ut, qui primus templum consecrandum intraret, ejus ipsi animam concederent: qua conditione accepta, monachum suasisse, ut lupum primum immitterent: huic diabolum furentem animam evellisse. Miraculi testis hodieque cernitur, lupus ad templi fores positus, cujus in pectore foramen extractæ animæ indicium. Rem a Langbeinio jocoso carmine narratam habes in Reumontii libro, supra memorato.

Locus *pieria* etc. referendus ad sacerdotem Guil. Smets, qui in carmine *an die schœne Stadt Aachen*:

O Aachen, schœnes Aachen,
Wie schœn erwecktest du
Mein Leben und mein Lieben,
Mein erstes Lied dazu!

Idem poeta, majorem olim, opinor, et, quam mereri mihi videtur, famam consecuturus, in monte, de cujus nomine litem esse dicimus, se musæ primitias Aquisgrano dicasse, ipse in ephemeride quadam litteraria testatus est.

In versu *spe se* etc. cæsuram habes, qualem metrici reprehendunt. Vide pag. 166, ser. 1.

Ad pag. 99. seriem 1. Locus *nam cito discussis — crines*, subobscurus: vide, an clarius archetypon:

Votre front solennel, un moment obscurci,
Sur nous, comme la nuit versant son ombre obscure,
Et, laissant pendre au loin sa noire chevelure, etc.

Ad pag. 99. seriem 2. *In loco infra me longe* etc. ea est cum Claudiani (*de Mallii Theod. consul.*, v. 203 sqq.) versibus similitudo, quam imitantis facile crederes; nos tamen hic quoque, tametsi minus, quam, in *Aniene exhausto* (v. pag. 184, ser. 2.) de neolatini, imitatione, dubitamus. En locum Claudiani:

Sed ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
Perpetuum nullæ temeratus nube serenum,
Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, et rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animi etc.

In versu *usque ejus* etc. post *usque* subintellige *illam*, scilicet horam; ut sensus sit: usque ad illam horam, qua ejus orbis etc. Constructio hæc obscura; sed veterum exempla tuentur.

De loco *vidimus oceani* etc. confer pag. 184, ser. 2.

In versu *inque suis* etc. *velatum frigore et umbra*, quo redditur *voilé d'ombrage et de fraîcheur*, accipe pro *velatum frigida umbra*; quale Virgilii frigus opacum. Idem, eadem vocis vi, *frigora captant*; qua, ut veteres sæpe, sic nos non semel usi.

Ad pag. 100. seriem 2. In versu *culminaque* etc. *dies victrix* est pro *ævum victrix*, quod e priore editione retinere noluimus; quamvis defendere possit Claudiani *victrix solum. Dies* sic vel in prosa oratione usurpari, notum.

Ad pag. 101. De versibus homœoteleutis, quos consonantes, ideoque *rimam* consonantiam, vocavi, in dissertatione, hoc in volumine non semel memorata, egi. Poemata consonantia latina, parva aut longiora, quis veterum primus composuerit, omnes mecum ignorare, arbitror: certum est, quarto p. Chr. sæculo antiquiora nulla reperiri. Quæ autem sæculi quarti, et, quoad in præsentia memini, quinti etiam et sexti, occurrunt, cuncta et masculinæ, ut recentiores vocamus, consonantiæ et, uno alterove exceptis, iambica aut trochaica, longe tamen maximam partem iambica, dimetro iambo, inveniuntur. In utrisque vero ab iis, quæ versuum numeris quantitatem sequuntur, distinguenda sunt accentu, neglecta quantitate, temperata; tametsi in utroque genere casu sæpe fieri necesse est, ut iidem versus accentus simul et quantitatis sint, velut *amœna propter littora*, accentu scilicet, in iambo ad quantitatem facto, cum longa syllaba in pedum arsi congruente; nec diversa ratio est trochæi, velut *in fluentis cærulis*. Cæterum versus latini sine consonantia accentu temperati antiquissimis Romæ temporibus usurpati, Græcorum metris ita cesserunt, ut cum in sacris, tum in ore vulgi superarent, Sed in iisdem consonantiam serius aliquanto, quam in versibus ad quantitatem factis, a scriptoribus utique, usurpatam crederem; nam multo posterius inductam non esse, vel divi Augustini hymno *ad perennis vitæ fontem*, cujus incessus trochaicus, arguere possis. Consonantes versus accentu temperatos, per medium ævum vigentes, recentiores quoque latini imitati sunt, in versibus consonantibus plerique solum accentum sequentes. Fœminina autem consonantia, quæ vel in aureæ ætatis poetis, etsi nusquam satis manifesto quæsita, occurrit,

in poematis homœoteleutis longo post masculinam tempore primum reperitur: quod quidem, nisi me fallit memoria, Niebuhr in epistola quadam ad Nækium, idque ad Fabricii *veterr. poett. eccll. opp.* provocans, perperam negavit; ipse certe fœmininam consonantiam in illo opere frustra quæsivi. Ordinem porro consonantium versuum numerumque ad eandem conjunctorum quod attinet, initio, diuque nullum tanquam legitimum observatum esse, facile crederes, et vere sic accidisse, veterum consonantia poemata, certe a Fabricio collecta ostendunt: inter quæ etsi nonnulla distinctionem aliquam consonantiæ per strophas, sive in parte, sive per integrum carmen servant, pleraque tamen, ac multa etiam non consonantibus immistis, nullum consonantium versuum ordinem, nullam distinctionem alia, quam anctoris ad libitum, norma constitutam produnt. Nimirum novæ versuum et rhythmi formæ, initio ad plebis magis quam ad eruditorum usum et voluptatem compositæ, consentaneum fuit, artis rationem serius accedere. Cæterum, plures formas, nec ab antiquioribus poetis, nec per medium ævum usurpatas, neolatini aut invenerunt, aut e recentiorum linguarum poesi ad latinam transtulerunt, ad puerilia illi hic, ut in aliis, multi dilapsi; quo merito traxeris hexametrum a versificatore quodam, idque in poemate aliquot versuum millia continente, in tres partes consonantes, ut in duobus hic exhibemus, divisum:

Hora novissima, tempora pessima sunt: vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus.

Quales versus bini sex consonantium strophen efficiunt; idque ipse, poema illud nondum noscens, quum animadvertissem, in dissertatione de consonantia male suspicatus sum, Apelium ejusmodi strophas pro binis hexametris errantem accepisse. (*) Ad totam vero de consonantia in versibus latinis quæstionem non vulgaria nunc, eaque jure exspectamus a Friedemanno, viro, ne alia hic attingam, de poesi neolatina insigniter merito; quem ab ipso scimus disquisitionem de consonantia operis, mox vulgandi, partem facturum, quo poetarum latinorum, qui a s. IX. ad nostram ætatem floruerunt, carmina selecta complectetur.

Carminibus, quæ versibus homœoteleutis verti, addendum Hœltyi, e celebratissimis Germanorum cantilenis, *Rosen auf den Weg gestreut*, in quo contendere cum Schumanno, tum, quia rivalis hic nec indoctus et minime ineptus, tum vero magis ob sententiam ejus de neolatinis germanicorum carminum interpretibus, placuit, quam, in nota ad dissertationis §. 68., ab ipso aliquatenus refutatam dixi. En meam translationem.

(*) Alius hic erroris mei confitendi occasione utor. In eadem enim dissertatione carmen illud in Germania notissimum *mihi est propositum* etc. tanquam ad Bürgeri *ich will einst bei ja und nein* etc. compositum, falso dedi, quum contra, ut doctus Paulsius amicum monuit, hoc illius sit imitatio.

BREVIS RAPE DULCIA VITÆ.

(Hœltyi *Lebenspflichten.*)

Rosis viam spargite,
Valeat omnis cura;
Breve nobis spatium
Tribuit natura.
Vernis puer hodie
Choreis beatur;
Cras corona tumulus
Ejus decoratur.
Mane sponsa juvenis
Læta stat ad aram;
Quum rorabit vesperus,
Cupulus habet caram.
Ferant curas, cerebri
Ferant nubem venti,
Stratis clangant pocula
Tilia sub virenti.
Notos philomela vos
Mulceat per calles,
Murmur apis teneat
Floreas per valles.
Dulces uvas, oscula,
Dei amate dona,
Dum, quæ rapit omnia,
Mors hæc rapit bona.
Nostra tenebroso quum
Torpent ossa leto,
Fragrans nulla recreat
Aura de roseto;
Nec ovantum sonitus
Excitat scyphorum,
Nec velatus pampino
Chorus compotorum.

Quæ nos hic quatuor versibus, totidemque, quot habet archetypon, syllabis, Schumannus, aliorum, ut Fischeri (vide pag. 167), ab amplificando in similibus quasi languorem vitans, singulis distichis expressit; neque aliter nos in ea versuum mensura fecimus, quin etiam aliquanto longiores, velut in Schilleri carmine, pag. 18., disticho quaternos includentes. Cæterum, Schumanno facilior multo, quam nostra, in talibus opera fuit, admodum, scilicet libere, ac, si mihi credis, plus, quam satis erat, hœltyana vertenti: de quo ut, simulque, uter nostrum melius dederit, ipse judices, confer versibus nostris, mane-caram, respondentes:

Wonne führt die junge Braut
Heute zum Altare;
Eh die Abendwolke thaut
Ruht sie auf der Bahre,

a Schumanno hoc disticho redditos:

Serta facesque hodie sponsam comitantur ad aram;
Cras sparget tumulum luce Diana novum.

His, satis ad id, quod volumus, postremos tantum carminis versus adde:

Tœnet nicht der Wonneklang
Angestossner Becher,
Noch der Frohe Rundgesang
Weinbelaubter Zecher,

sic expressos:

Nec valido exhilarent (*vos*) resonantia pocula pulsu,
Nec vocet ex Orci diva Camœna domo.

Habes hic bina disticha, in quorum pentametro, ut cætera mittamus, eam vides ab archetypo discrepantiam, ut existimare necesse sit, aut distichon conficere quacunque ratione Schumannum satis habuisse, modo nil a re prorsus alienum diceret, aut vero, tam longe a germanico eum, quo melius verteret, abiisse. Atqui versibus qualibuscunque defungi minime cadere diceres in virum, qui et latine doctum se et tritas veterum numeris aures suis in carminibus probaverit, idemque, germanica a se, « ut exempli instar sint, » reddita esse, declaraverit. Relinquitur adeo, ut Schumannum eadem persuasione occupatum credamus, quam in præfatione hujus voluminis, pag. 3, aliisque in locis reprehendimus, mirantes videlicet interpretes, qui ne ea quidem congruis verbis formaque exprimerent, quæ ab latini sermonis ingenio usuque nequaquam abhorreant. Enimvero: ut, quale in Feuerleinio, Seyffertio aliisque passim occurrit, in Schumanni parvi carminis translatione notetur: quis igitur linguæ latinæ, etsi non egregie, mediocriter tamen peritus, non fateatur, ea, quæ Schumanni pentametro, cras sparget tumulum luce Diana novum, respondent, latine non modo, congruis germanico verbis, apte, et eleganter adeo reddi potuisse, sed vere a veteribus poetis sæpiusque expressa reperiri? Nec vero alia ratio est alterius pentametri, nec vocet ex Orci diva Camœna domo; cui respondens germanicum nos congrua sententia, verbis veteribus usitatis, Schumannus contra ita, ut archetypi ne umbram quidem, ut ita dicam, relinqueret, expressit. Ac, quominus necessitate, nimiave difficultate coactum fuisse putes, idem fecit simplicissima in sententia, *bis der Tod, der alles raubt, kommt auch sie zu rauben*, quæ talis est, ut nulla in lingua, quamvis parum exculta, verbis plane congruentibus recte et apte reddi nequeat. Sed Schumannus, speciosius nempe quærens, longe aliud, quam simplex et archetypo conveniens, maluit, vertens: non viret ad Stygias bacchica vitis aquas. Vides vertendi rationem, quam et vehementer improbare queas, et idem concedere, posse interdum sic carmen non ineptum, quin etiam pulchrum existere; at laudanda translatio quomodo prodeat, merito, nec minus mireris, quam, si laudandam quis hominis exhibendi imaginem eam dicat, cujus nasus forte labraque et genæ similia satis, oculi autem frons, mentumque, quin ideo turpem in faciem partes componantur, tamen sic expressa cerneres, ut cujusvis hominis potius, quam pingendi, esse viderentur. Cui quidem hoc etiam recte addideris, ex istiusmodi opera, si mala translatio pulchrum carmen sit, sane, quid lingua latina valeat, at nequaquam, quid, archetypo comparata, non valeat, intelligi; ideoque Schumannum in vertenda Hœltyi cantilena vere duo peccasse; quum nec illam, ut doctum interpretem decebat, expresserit, et carmen, quod, nulla linguæ latinæ culpa, dissimillimum archetypo finxit, argumento esse voluerit, carmina germanica latine reddita statuas magis hominum quam, ut ipse loquitur, cœlesti aura fruentes, referre. Cæterum Schumannus, in alterum hujus rei exemplum, pariterque elegis vertit, cujus nos quoque duo carmina, a Salis, versiculos sane non illepidos, inscriptos *Herbstlied*; in quibus quid potuerit, in præsentia ostendere non libet; sufficere enim putamus, quæ hucusque, neque viri, quem est cur amemus, sed rei causa diximus.

Hæc scripseram, quum, insomni nocte, ad carmen nostrum et Schumanni operam reversus, eodem etiam metro cum eo certare volui; quo justior scilicet, eadem proposita difficultate, duorum interpretum comparatio, tum omnino, tum latinitatis ratione daretur. Videat igitur, si cujus interest, an sic quoque, nec homœoteleuto impeditus, et paulo majore syllabarum numero utens, propius ad archetypi sensum venustatemque quam Schumannus, quin a sincero veterum sermone deflecterem, accesserim, Hœltyi cantilenam elegis hisce exprimens.

Sparsa rosis via sit, mœror valeantque querelæ;
De Lachesis properat dum brevis hora colo.
Quem vernis hodie choreis miramur ovantem,
Cras pueri in tumulo languida serta jacent;
Jamque rigens capulo, vesper quum rorat, ad aram,
Mane dedit juveni sponsa beata manum.
Tradite mœsta notis, et inanes tradite curas,
Sub tiliæ strati fronde madete mero.
Omnis vos cantus philomelæ mulceat, omnis,
Quæ vernante vagans valle susurrat apis.
Oscula, quamque sinit deus, uvam carpite dulcem,
Cuncta trahens dum mors hæc quoque dona rapit.
Nunquam nostra, semel quum nox premit, ossa rosceti
Ad leti fragrans suscitat aura domum.
Nec clangore movent nos pocula læta, racemis
Vinctus bacchanti nec movet ore chorus.

In quarto pentametro facile erat congruis verbis exprimere *bei hellem Becherklang*; sed vitare malui, quod, in fine carminis recurrens, in archetypo quoque displicet. Major difficultas in secundo pentametro ob vocem *weht*, qua retenta, quod placeret, frustra tentavi. Eandem si mutes in *welkt*, et congruum plane nostro, nec quod minus placeat, habebis. Totum comparare cupienti subjicimus elegos Schumanni.

Spargite flore viam et tristes dimittite curas;
Vita, velut rivi mobilis unda, fugit.
Delectant hodie puerum choreæque jocique;
Cras tenuis cineres occulet urna leves.
Serta facesque hodie sponsam comitantur ad aram;
Cras sparget tumulum luce Diana novum.
Tradite tristitiam et curas, age, tradite ventis;
Sub tilia viridi pocula clara sonent.
Ne cuiquam vestrum surdo philomela silescat,

Neu, quin videritis, verna revertat apis,
Carpite, quum cœlum permittit, et oscula et uvas:
Non viret ad Stygias Bacchica vitis aquas.
Quum vestras erebi circumstrepet umbra favillas;
Neo vos in tumulo pulchra roseta juvent,
Nec valido exhilarent resonantia pocula pulsu,
Nec vocet ex Orci diva Camœna domo.

Carminis divini *puellæ querela* primam strophen ita vertit Feuerlein, ut de cæteris quærendum non putes: en ipsum:

Querceta strident, nubibus horridis,
Sedensque virgo cespite littoris,
Trementis unda undaque. questus
In tenebras lacrymosa fundit.

In versu *siste fletum* etc. in *cara; ardente*, item in versu *iners* etc. in *hasta in aula*, ad elisionem coacti, ut in aliis, sed rarissime, recurrimus. Hiatum in versibus ad accentum factis ab ipsis veteribus admissum esse, carmina apud Fabricium in iisque dd. Augustini et Ambrosii, arguunt; quo minus a recentioribus quoque non vitatum mireris. Nos tamen et rarius omnino hiatum, et, nisi necessitas cogeret, non facile, nisi aures, nostras certe, minus offendentem toleravimus.

Locum *siste fletum* etc. Feuerlein reddit: guttas o cohibe tuas, conjux cara; laçerti Hectoris Ilion servant: inque aciem feror.

Ad pag. 102. seriem. De carmine Gœthei *der Kœnig in Thule*, quo nullum Germanorum ore magis celebratum crederem, Æmilius Deschamps: Cette ballade — est pleine de caractère et de naïveté dans la langue allemande. C'est un chef-d'œvre de style. J'ai du moins tenté de donner une idée de ses formes en la traduisant, pour ainsi dire, vers par vers. Quæ quam recte dicta et judicata, nostrumque uter propius ad archetypi præstantiam sententiis numerisve accesserit, videant ternas linguas satis callentes. En archetypum cum gallica versione.

Der Kœnig in Thule.

Es war ein Kœnig in Thule
Gar treu bis an das Grab,
Dem sterbend seine Buhle
Einen goldnen Becher gab.

Es ging ihm nichts darüber,
Er leert' ihn jeden Schmaus;
Die Augen gingen ihm über,
So oft er trank daraus.

Und als er kam zu sterben,
Zæhlt' er seine Stædt' im Reich,
Gœnnt' Alles seinen Erben,
Den Becher nicht zugleich.

Er sass beim Kœnigsmahle,
Die Ritter um ihn her,
Auf hohem Vætersaale,
Dort auf dem Schloss am Meer.

Dort stand der alte Zecher,
Trank letzte Lebensgluth,
Und warf den heil'gen Becher
Hinunter in die Fluth.

Er sah ihn stürzen, trinken,
Und sinken tief in's Meer.
Die Augen thæten ihm sinken;
Trank nie einen Tropfen mehr.

Le Roi de Thulé.

Il fut à Thulé, dit l'histoire,
Un roi tendre et fidèle encor.
Sa maîtresse, en mourant, pour boire,
Lui fit don d'une coupe d'or.

Rien n'avait pour lui tant de charmes,
Soir et matin il s'en servait.
Ses yeux se remplissaient de larmes,
A chaque fois qu'il y buvait.

Et, quand l'écuyer sombre, en croupe,
Vint le prendre..., à son héritier,
Il laissa son royaume entier,
Mais non, certes, sa belle coupe.

Il siégeait au royal gala,
Dans la grande salle gothique,
Dans son château sur la Baltique;
Tous ses chevaliers étaient là.

La mort au cœur, le vieux convive
Réchauffa sa force en buvant;
Et sur la mer, loin de la rive,
Jeta sa chère coupe au vent.

Il la vit tomber, s'emplir toute,
Et s'engloutir en moins de rien;
Puis, fermant les yeux, dit: C'est bien!
Et plus onc ne but une goute.

Ad pag. 103. seriem 1. Locum *suavia, nectar* etc. Feuerlein vertit:

Hæc vina præbet, præbet et oscula,
Fidemque fato cuique superstitem,
Hac obruit vermem voluptas,
Hac genii ante deum locantur
(*Und der Cherub steht vor Gott.*)

Strophen *flores germine* etc. Füglistaller, idem, opinor, cujus *campanæ* translationem pag. 114. memoravimus, docte sic reddidit:

Gaudium est, quod potentem
Mundi ciet animam;
Rotat gaudium ingentem
Universi machinam.

Elicit ex cœlo soles;
Spargit florum semina,

Et sphærarum volvit moles
Per ignota spatia.

Chorus.

Uti soles exultantes
Pervolant sublimia,
Sic per vestra stadia,
Fratres, currite certantes.

Quæ, ut verbis, sententiis, numeris laudanda, sic, archetypo collata, et facilis operæ diceres, et, ut cætera pleraque Füglistalleri in hoc carmine, translationis nomine vix probares. En versus Schilleri :

Freude heisst die starke Feder
In der ewigen Natur,
Freude, Freude treibt die Ræder
In der grossen Weltenuhr.

Blumen lockt sie aus den Keimen,
Sonnen aus dem Firmament,
Sphæren rollt sie in den Ræumen,
Die des Sehers Rohr nicht kennt.

Chorus.

Froh, wie seine Sonnen fliegen
Durch des Himmels præcht'gen Plan,
Laufet, Brüder, eure Bahn,
Freudig wie ein Held zum Siegen.

Eandem strophen Feuerlein lepide, ut nihil supra, his expressit :

Æterna naturæ omnipotentia
Nil non foventis lætitiæ viget,
Et machina ingens universi
Lætitia assidua movetur.

Hæc ista flores stirpibus elicit,
Soles novos hæc seminat in polo;
Sphærasque stellarum perito
Per spatium rotat irrepertas.

Chorus.

Soles ut acres per decus arduum
Cœli capacis deproperant, ita
Fratres, ut heroes, volate
Curriculum, velut ad triumphos.

In loco *globos volvit* etc. *lentem* diximus pro telescopo. De recentiori vocis, in re veteribus ignota, retento a nobis usu, vide pag. 155, ser. 1.

In strophe *flammea* etc. rectius erit *flammeo* vel *flammeæ* (sc. veritatis); posteriorem autem ejus partem sero vidi multo melius sic verti posse :

Arcem fidei radiare
Signis ejus, capulum
Perque ruptum cernis stare
Choros inter cœlitum
(v. angelum.)

Ad pag. 103. seriem 2. *Locum scyphus* etc. Füglistaller reddit : ecce, ambit amphora; spumis istis salutamus vos benigna numina. Hinc nos vocem *salutate*.

Veritas et fratribus sunt volentis, ut veritate ne amicissimis quidem parcamus; unde consequitur, Schilleri : veritas erga amicum et inimicum, volentis, ut æque erga utrumque, sive, ut erga inimicum quoque veri simus; quare recte etiam verteremus : *veritas et hostibus*.

Canticum equitum (*das Reiterlied*) mire amant vulgoque canunt Germani; nec facile quidquam magno poeta dignius dicerem. Quo justius pœnas hic nobis dederit G. Griesinger, vere turpissimus divini carminis interpres. Is enim quum, ut ipse ait, horæ fere spatio eodem e dramate, cujus pars est canticum equitum, orationem capucini vertisset, sicque vidisset, versus homœoteleutos latine facere facilius esse quam cancros edere, totum jam drama adgressus, turbine citius *Castra* in chartam transtulit (*wie der Wind waren die Castra auf dem Papier.*) Cujus ut impudentiam potius quam operæ celeritatem mireris, e cantico nostro unam ejus strophen, quintam, qua cæteras plerasque non meliores, quasdam etiam pejores diceres, hancce lege :

In veloce caballo equitans
Est hospes perterrens bellator;
Nuptiarum domus est fulgurans,
Non exstat ad festum vocator,
Non ambit nec aurum exhibet,
Sed amorem per impetum commovet.

Ad pag. 104. seriem 1. In strophe *quid plorat* etc. *cor suum nusquam reliquerit* reddit *seine Ruhe læsst er an keinem Ort*; quod gallice recte verteres : *nulle part il* (miles) *ne laisse son cœur*, vel, si ipsum verbum vis, *son repos* : nos prius et metri causa, et ut minime ambiguum, prætulimus. In priore editione minus recte me vertisse : *quiete non est ubi fruitur*, monente deinum, quem pag. 185 pluribus laudavi, amico, intellexi.

Ad pag. 104. seriem 2. Poematii inscripti *virgo de plaga peregrina*, suavitatem nemo Germanus non sentit; ipsa autem virgo quid maxime significet, artem omnino, an, quod citius crederes, poesin, an aliis donis propitium mortalibus numen, nec ipse satis intelligo, et alios dubitantes non semel vidi.

In strophe *cunctosque* etc. *sene curvo* reddit *der Greis am Stabe*; de quo vide pag. 192, ser. 1.

Carminis inscripti *iter noctu* auctor L. Uhland inter superstites Germaniæ poetas non parvam laudem, eamque populari, ut vocant, maxime poesi, cujus hoc quoque specimen vides, est consecutus; nec vero Bürger, sequentis auctor carminis, alio

magis nomine clarus hodieque manet. Quod genus quum sit per se magnopere laudandum, multaque protulerit summis ingeniis dignissima, non eo minus ridiculos se ætatis nostræ critici præbuere, popularia illa inter lyrica, quo referuntur, adeo extollentes, ut, quæcunque diversæ indolis, ea nullius pretii dicerent, aut præ illis utique contemnerent. His enim si credas, vix lyra dignum inveniemus, nisi populi, imo plebis ore decantatum, Schilleri autem carmina, tanta Germanorum admiratione celebrata, nec magni faciemus, et omnino lyricum non esse, cum eo facile contenderimus, quem in Uhlandii laudem de hoc poesis genere præ aliis mire delirantem criticum memini me aliquando in ephemeride litteraria reperisse. Cæterum, carmina, ut canantur, latina componere, sentio, quam sit operam perdere, nisi forte academicæ in Germania juventutis cantilenis aliquid addere laboremus; sunt enim latinæ. quæ hanc vernaculis non minus delectent, velut notum illud *mihi est propositum*. At enim, si quid simile illis fingas, quæ popularia habent recentiores linguæ, quamvis nec cantetur, nec omnino vulgi ore floreat, tamen, si bene idem, si pulchre compositum, cur, quia latinum sit, placere nequeat, non video; nec vero, si ita accidere necesse sit, cur veterum quædam græca latinaque harum gnaris linguarum adeo sint jucunda, intelligam. Latina tamen poesi laudem quærenti a populari genere universe abstinendum esse, ut alias ipse dixi, sic etiamnunc existimo. Quodque propria componenti, idem interpreti, ita scilicet suaderem, ut minime negem, in populari genere esse, in quibus reddendis non frustra laboret; neque vero ipse, nisi sic reputarem, unquam aut Uhlandi *Nachtreise* aut Gœthei *regem in Thule* vertissem. At enim longe aliud, si Schilleri, ut fecit Griesinger (v. pag. 190.) capucinum in milites sævientem, aut Gœthei vel *regem alnorum*, vel *piscatorem* modo tentes. Nempe hæc quum talia cernantur, ut ne in recentiorem quidem linguam transferri satis recte possint, ideoque nonnihil placituro imitatio potius, quam vera translatio, concedatur; patet, quod Seyffertii in *piscatore* operam mirantes, pag. 169, diximus, ea tentantem linguæ latinæ ita peritum esse, ut, quid valeat, quid non, ignoret; atque eo ipso minus mirandum esse, si, qui in illis ridiculum se præbuerit, idem in aliis, ubi doctiori non desperandum, rudis pariter ineptusque inveniatur.

Ad pag. 105. seriem 1. De Bürgero vide notam ad carmen præcedens.

Carminis inscripti *Ritter Toggenburg*, quo præstantius nescio quid poesis germanicæ dicam, strophen secundam Feuerlein sic lyræ aptat:

Hæc eques mutus capit aure tristi,
Irruit collo rigidæ supremum, ab
Corde cor vellit lacerum, et fugacem
Fert equus ultra. etc.

Idem locum *quam requiris* etc.

Sponsa cœlorum est sacra *virgo*, quam tu
Serior quæris: sociam Mariæ
Ex die hesterno tenet auspicatum
Numine vinclum.

Ad pag. 106. seriem 1. Carminis inscripti *das Siegesfest* initium Feuerlein vertit:

Arx Priami ruerat, trojanæ gloria gentis,
Et spoliis amplis dives Achivus ovat.
Juxta Helles littus residentes navibus altis
Helladis egregiæ dulcia rura petunt.

Clamant: prora foco patrio est adversa, redimus
Ad nostros, lætum fundite ab ore melos.

Idem, quo cætera jam cognoscere nolis, finem sic turpat:

Cura equitem illaqueat, sequitur navemque: negatur
Crastina lux nobis, nos hodierna juvet.

Atqui, si in ullo Schilleri, in hoc carmine lingua latina germanicam æquare, et, si dignus interpres, superare etiam poterat.

Ad pag. 106. seriem 2. *Forte*, in *sunt, quos forte cædes maneat*, tam esse latinum, quam in Virgilii: invitat, qui forte velint, ne Krebsius quidem, opinor, negare ausit. Cæterum de hac particula nos pag. 185, ser. 1.

Ad pag. 108. seriem 1. Carmen inscriptum *Cassandra* latinum fecit Theod. Echtermeyer, Mauritio Seiffert in Schilleri et Gœthei nonnullis vertendis ita socius, ut, minorem operæ partem suscepisse contentus, præfationem etiam, confidentiæ illam et jactantiæ plenam, soli collegæ concesserit. Is igitur *Cassandræ* quædam non male, quædam contra sic, ut Seyffertium magis decebat, expressit; ad quæ ipse traherem carminis initium:

Solennes resonat plausus citharæque canoros
Mœnibus infractis Troja superba modos.
Flebile cessat opus dextræ: Priameia namque
Florida magnanimo ducitur Æacidæ.

Ad pag. 109. seriem 1. Quod in præfatione hujus voluminis animadvertimus, inter latinos ætatis nostræ interpretes esse, qui, germanica vertentes, congrua archetypo verba et loquendi formas ante omnia fugisse viderentur, ita quidem, ut ad longe diversa in iis adeo recurrerent, quæ congruentibus recte, plene et suaviter reddi potuissent: hoc igitur ad complures sane, sed dubito, an ad ullum potius, quam Maur. Seyffertium jure pertineat; cujus etsi aliis jam locis sat multa, queis sententiam nostram confirmares, in iisque locum e *gruibus Ibyci* (v. pag. 154, seriem 1.) adtuli, tamen temperare mihi nequeo, quin ex eodem carmine, utpote inprimis ad rem idoneo, alium hic una cum archetypo subjiciam. Habes igitur eximii carminis strophas tertiam et quartam sic expressas:

Gens mea, mi salve! duce te modo vectus in undis

Felix accipio, quod canis omen, ait.
Sors mihi, quæ vobis, cecidit, procul ire remotis
Hospita longinquos quærere tecta focis.
Sic nos dextra Jovis summi regat, oro, tuente
Salva peregrinis qua stetit usque salus.
Dixit et accelerans alacri rapit abdita gressu,
Urgent quæ medium faucibus arcta nemus.
Ecce, pari subito, viden, intercepta latronum
Stat via; per luctam cogitur ire manus.
Mox tamen enervis, citharæ modo mollia fila,
Robora non arcus tendere docta, jacet.

Quæ intuens, nonne mireris, postremo disticho moveri Seyffertium non potuisse, ne in cæteris, nulla necessitate, tam longe a Schillero abiret, non, ut libere evangando melius, sed ut multo pejus, quam in illo, divinum poetam redderet? En archetypum:

Seyd mir gegrüsst, befreund'te Schaaren!
Die mir zur See Begleiter waren,
Zum guten Zeichen nehm' ich euch;
Mein Loos es ist dem euren gleich:
Von fernher kommen wir gezogen,
Und flehen um ein wirthlich Dach;
Sey uns der Gastliche gewogen,
Der von dem Fremdling wehrt die Schmach.
Und munter fœrdert er die Schritte,
Und sieht sich in des Waldes Mitte;
Da sperren auf gedrangem Steg
Zwei Mœrder plœtzlich seinen Weg.
Zum Kampfe muss er sich bereiten,
Doch bald ermattet sinkt die Hand;
Sie hat der Leier zarte Saiten,
Doch nie des Bogens Kraft gespannt.

Ad pag. 109. seriem 2. In strophe *hunc cantu* etc. *levi meabat sic pede* reddit *so wandert er am leichten Stabe*, quæ Feuerlein vertit *hic linquit* (sc. Rhegion), *tantum comitante bacillo*. Ego voce *bacillus* in simili re semel, idque jubente necessitate, usus sum in *judeo æterno*, ubi in archetypo ter occurrit *Wanderstab*, i. e. bacillus meantis sive viatoris. Nimirum poetæ Germani utraque voce insigniter delectantur, quæ et consonantiam quærenti commodissimæ sunt, et vim singularem pondusque, vel, si vis, dignitatem habent, qua carent respondentes illis in lingua gallica voces *bâton*, *canne*, et quæ sunt præterea; unde minus mireris nec in latinis eandem reperiri, atque omnino utrarumque, in re scilicet eadem, tam rarum esse apud poetas, quam germanicarum solennem usum. Vide, an justa hæc causa, cur ipse, ubi nec loci dignitatem decebant, nec necessitas flagitabat, ab illis vocibus abstinerem. Minor religio fuit Fischeri, qui, in *judeo æterno*, vocem *Wanderstab* ne eadem quidem ubique, sed alia in singulis locis vertit, ad *bacillus*, *stipes* et *arundo* recurrens; qua voce in Schilleri quoque *campana* usus, versum *durchmisst die Welt am Wanderstabe* reddit: orbem terrarum metitur arundine sumta.

Locum *quies circumdedit* etc. Seyffert, semet hic superans, vertit:

Circum cuncta rigent, nisi, quæ tralit agmina ad austros
Nigra procul calidos, grus comes una viæ.

Ad pag. 109. seriem 2. In versu *sed fila* etc. ne damnes *feriit*, confer Ovidii: ferit carmina lyra. Si tamen mavis, lege: lyræ sed nervos impulit.

Ad pag. 110. seriem 1. Locum *ab omni namque* etc. sic cecinit Seyffert:

Sedibus en sedes—molem fere fulcra recusant —
Grajum compositas pondere turba premit.
Undique considunt intenti mentis, et altæ,
Ceu maris undisoni, murmura vocis eunt. etc.

Feuerlein, qui in tam egregio carmine multa mire, hic tamen contemtori suo præbere potuit *fulcra recusant*, locum sic reddens:

Quippe sedile sedile premit, jam fulcra recusant
Suggesti vastum tollere gentis onus.
Undique conflati cupiunt spectacula Græci,
Æquant increscens raucisonumque salum. etc.

Ad pag. 110. seriem 2. Locum *sic choream* etc. quomodo verterit Seyffert, vide pag. 154, seriem 1. Eundem Feuerlein, unde ille mutuatus *priscus ut usus amat*, sic reddit:

Sic canit ille chorus, mutam ducitque choream,
Atque domus, veluti mors premat *hancce*, silet.
Omnes mutescunt, intersit numen ut ipsum,
Orbem dum vastum conficit atra cohors.
Ad numerum ista gravi gressu tristique theatro
Imo vanescit, *priscus ut usus amat.* etc.

Hæc, aliaque mille his adeo pejora linguæ latinæ peritus, et pulchri sensu pollens summorumque patriæ poetarum mirator, intuens Germanus judicet, justone acerbius nos pagina 93. et 94., an homines vere et furca et cruce dignos exagitemus.

Ad pag. 111. seriem 1. In versu *quos ultrix*, etc. prior editio *fulmen ultrix*, quod, ut pag. 100, ser. 2, *victrix ævum*, retinere noluimus.

In carmine, quod inscripsi *Fridolin*, difficilior multis locis, quam in aliis, velut in *festo victoriæ* aut in *gruibus Ibyci*, interpretis opera, antiquæ scilicet in his, si universe distinguas, poesis sermone, eodemque elatiore, in *Fridolino* contra recentioris potius simulque humiliore; ad quem non illepide demitti multo equidem difficilius neolatino, quam ad grandiorem sine fuco extolli, existimo. Feuerlein quid in tali carmine potuerit, e loco, pag. 112, ser. 1, *hinc gaudium* etc. conjicies, quem ille sic expressit:

Hi, quasi carnifices, exultant vocibus illis,
Nam triplici ferro barbara corda rigent.

Par id inhumanum folles et flamen adauget,
Dum penitus candent viscera dira foci.
Se simul accendunt sitientes cædis, ut a se
Protinus uratur victima digna rogo.

Quæ si non sunt pulcherrima quocunque modo vertentis ineptiæ, quid tandem esse dicamus? Adde, si vis non minus ineptum, locum *et dominæ* etc. his distichis redditum:

Atque paratus adit dominam, dictaque salute:
Mittor, ubi fornax æra corusca liquat.
Dic mihi, quæ possim tibi nunc mandata patrare?
Nam tibi sunt servi munia sacra tui.

Quæ si alioquin vel optima essent, non ideo non respuenda *mallei* (*Hammer*, *martinet*, *forge*) periphrasis, quæ, ut, si in archetypo foret, sic in interprete tam ridicula est, quam, si pro simplice *rus mittor* diceres *mittor*, *ubi frumentum maturum metitur.* Sed enim Feuerlein, consueta hic neolatinorum religione laborans, rem, quod ad malleum, unde adpellatur, novam, suo apud recentiores nomine adpellare piaculum reputaret. Nos cur longe aliter in similibus, vide pag. 155, ser. 1. Qui tamen *malleum* nolit, periphrasin utique ridiculam vitaverit, officinam hic sive simpliciter, sive ferrariam, veterum in illa re vocabulis, vocans.

Ad pag. 112. seriem 2. De voce *malleus* in versu *ad malleum* etc. vide notam præcedentem.

Ad pag. 113. seriem 2. Inter *campanæ* interpretes, pag. 114., eundem nominamus Fischerum, cujus his in notis sæpius mentio recurrit. Is in poemate illo vertendo versuum formis nonnisi antiquis utens, ut insignem ejus rhythmorum varietatem aliquatenus, Seyffertio quidem minime probaturo, imitaretur, alia hexametris, alia distichis, pauca etiam lyrico metro expressit. Tota autem clarissimi viri opera qualis sit, quum hic accurate docere non placeat, satis habemus ejus, ut cæterorum *campanæ* interpretum, locos nonnullos notis inserere; unde, totum quam sit Schillero dignum, doctus lector, quin magnopere fallatur, conjicere possit. Primam igitur carminis strophen Fischer sic reddidit:

Firmiter in terra, cæmento et calce tenaci
Confirmata, luti formula cocta sedet.
Hoc prodire die debet campana, ministri,
Eja age, jam promtas associate manus!
Per totam faciem calidus fluat humor oportet,
Commendare suum debent si facta magistrum,
A cœlo, quæ fausta cadant, tamen omnia pendent.

Ubi archetypi *fest gemauert in der Erden* ultra hexametrum extenditur; qualem redundantiam alio loco in Fischero interprete pluribus verbis notavimus, nec in poeta scilicet illam, et multo minus in interprete, si nervosum et incitatum frangat gravetque, commendandam: quæ quidem redundantia, (ut hic, quoniam aptiore loco jam non conceditur, quod operæ pretium videtur, addamus,) ubi minus aut minimum offendit, quomodo magnam, certe, quomodo limæ et improbi laboris, in interprete nunquam non desiderandi, laudem mereatur, non video. Enimvero, sicut passim ab archetypo recidenti, ita in latiorem sententiam numerosque plurima trahenti raro vixque, ubi diu luctatus vincat, relinquetur. Atque hoc ad disticha germanica latine reddenda cum maxime pertinere, facile concesseris; in quibus nihil omittenti sæpe arduus, imo interdum vel doctissimo desperandus labor; de quo nos quædam pag. 161, ser. 2. Contra breviores versus in longiores facile, quin ideo prorsus displiceas, extenderis. In hexametris autem solis, quum nullo fere limite sententia coarctetur, neglecta archetypi brevitate, multo etiam, quam in elegis strophisve lyricis, minus laborabis; et vero ipsius Fischeri, in epico genere, non tam superata difficultate laudabilis sæpe opera, quam grata dictionis facilitate extitit. Hujus *Loisæ* Vossianæ initium exempli gratia proponens Friedemann, eodem hic versuum numero, ob multa videlicet a veterum et more et sermone aliena, archetypon reddi sine summa obscuritate non potuisse monet, justius idem, opinor, de aliis *Loisæ* locis moniturus, in quibus ego nullum citius, quam divinum illum (ab idyllii 3. versu 480 — 530) de musicis, musicesque in animum humanum vi, ponerem, si quid meo in his judicio tribuis, vix ulli interpreti latino non desperandum; quo iniquior hic Fischerum, versuum archetypi numerum, ut passim in *Loisa* vertenda, longe excedentem, reprehenderem, non ideo minus aliis in locis sæpe ejus redundantia, et jure, puto, meritoque offensus. Quis enim non carpat potius, quam excuset, difficultatis vitandæ gratia, in longius ea trahentem, quæ, servata brevitate, et recte et perspicue, et congruentiore cum archetypo ratione vertere possis? Qua culpa, vide, an ne initium quidem *Loisæ* latinæ, modo memoratum, prorsus vacare existimemus; ubi, quæ Fischerus tredecim, ego minus undecim versibus sic reddidi.

Flavæ flore duæ medii conclave ubi solis
Umbrantes lata tiliæ dant frigora fronde,
Tecta super muscosa apibus zephyroque susurræ,
Festa celebrabat lætus convivia natæ
Candidus a Pratis pastor, læná pater ampla
Conspicuus. Sex, convivis quas servus, honorem
Luisæ natali, clam sculptas texerat ulva,
Mensa, lapis, cincta est sellis; sed brachia pandens,
Stat major domino. Nullis post fercula curis
Usque sedet variumque senex narratque docetque,
Seque aliosque juvans.

Vides locum, ubi, de poeta, mireris, sellis ab eo mensam, non convivis potius, qui in his sedebant, circumdatam; sed, quod ad nostram disputationem, in ejusdem loci octo versibus nihil aut minimum vel addens vel omittens, sensumque accurate reddens, simulque brevitatis memor, non parvam difficultatem, nec una tantum in parte experiaris; at eosdem si cum Fischero ad undecim extendas, satisque habeas pro *Mittagsstube ædibus apricis* dixisse; si *Schilfsessel, welche der Hausknecht geschnitzt* vertas *sellas ex canna sculptas*, neque cures, sellas ligneas,

canna scilicet stratas, canneas quidem a parte, at ex canna sculptas dici neqaquam posse; si in *hausvæterlich prangend im Schlafrock* ames *tunica sublimis herili*, in *wohlansehnlicher Lehnstuhl spatiosa lorea sedes*; si apes Vossii, fortasse, quia fuci Virgilio ignavum pecus, non timeas *mellifluam pecudem* vocare, neque respuendum putes *adpositas sibi cernebat saxea mensa sellas*, ubi Voss *Sessel umstanden den Steintisch*: si igitur interpretis munere sic fungaris, locum difficillimum jam, si non facillimum, talem certe reddideris, in quo minus interpretis, quam linguæ latinæ vim castumque nitorem copiamque, et poeticæ dictionis suavitatem numerosque tenentis laudem quæreres, non satis simile quidem archetypo, at dignum tamen, quo docti delectentur, poema daturus: qualis scilicet sæpe est Fischeri in hexametris, at multo rarius in elegis opera, qualem denique in loco, ad quem hæc notamus, neque tamen sine exceptione, agnosceres.

Ad pag. 114. seriem 2. *Campanæ* locum *cœtum contemnens* etc., viginti duorum versuum, triginta octo, non sine quadam numerorum suavitate, sic reddit Füglistaller:

A puella separatur
Sibi fidens pusio;
Foras ruit, pervagatur
Terras ardens studio.
Peregrino, ad paterna
Redeunti limina,
Illa, virgo, ut superna
Species, stat obvia.
Venustate est decora,
Est augusta lumine;
Verecunda rubent ora,
Casto candent numine.
Jam infanda occupatur
Juvenis cupidine;
Lacrymando delectatur
Mœsta solitudine.
Vitat, tabidus mœrore,
Fratrum sodalitia;
Adamatæ, cum pudore,
Sequitur vestigia.
A salute, si sit data
Obvio ab obvia,
Quanto gaudio beata
Trepidant præcordia!
Serta legit: ad amoris
Casta sanctuaria
Offert, quidquid læti floris
Habent viridaria.
O, delicias dolorum!
Spei o Elysium!
O, quod primos das amorum
Ignes, tempus aureum!
Oculis inebriatis
Patet cœli claritas;
Undat luxu voluptatis
Cordium beatitas.
Dies, o! amoris verni,
Quidni estis sempiterni!

Ad pag. 116. seriem 1. Strophen *vn*, *ut tubi* etc. sic reddit Æmil. Deschamps:

Comme les tubes se bruuissent!
Qu'un rameau, dans la masse admis,
Plonge... Quand les bo.ds se vernissent,
On peut fondre. Courage, amis,
Tentons cette épreuve infaillible,
Par qui doit être révélé,
Si le métal dur au flexible
S'est heureusement accouplé.

Locus *vitæ ver* etc. usque ad *et opibus* archetypi versus reddit hos:

Ach! des Lebens schœnste Feier
Endigt auch den Lebens-Mai,
Mit dem Gürtel, mit dem Schleier
Reisst der schœne Wahn entzwey.
Die Leidenschaft flieht,
Die Liebe muss bleiben;
Die Blume verblüht,
Die Frucht muss treiben.
Der Mann muss hinaus
In's feindliche Leben,
Muss wirken und streben,
Und pflanzen und schaffen,
Erlisten, erraffen,
Muss wetten und wagen
Das Glück zu erjagen.
Da strœmet herbey die unendliche Gabe,
Es füllt sich der Speicher mit kœstlicher Habe,
Die Ræume wachsen, es dehnt sich das Haus.
Und drinnen waltet
Die züchtige Hausfrau,
Die Mutter der Kinder,
Und herrschet weise
Im hæuslichen Kreise,
Und lehret die Mædchen,
Und wehret den Knaben,
Und reget ohn' Ende
Die fleissigen Hænde,
Und mehrt den Gewinn
Mit ordnendem Sinn, etc.

Eximium hunc locum sic expressit Aem. Deschamps.

La fête la plus belle et la plus fortunée,
Hélas! est du printemps la dernière journée;
Car avec la ceinture et le voile, en un jour,
La belle illusion se déchire; et l'amour
Menace d'expirer quand sa flamme est plus vive.
A l'amour fugitif que l'amitié survive,
Qu'à la fleur qui n'est plus succède un fruit plus doux,
Déjà, la vie hostile appelle au loin l'époux;
Il faut qu'il veille, agisse, ose, entreprenne, achève,
Pour atteindre au bonheur, insaisissable rêve.
D'abord il marche, aidé de la faveur des cieux:
L'abondance envahit ses greniers spacieux:
A ses nombreux arpens d'autres arpens encore
S'ajoutent; sa maison s'étend et se décore;
La mère de famille y règne sagement;
Du groupe des garçons gourmande l'enjouement;

Instruit la jeune fille, aux mains laborieuses;
Vouée aux soins prudens des heures sérieuses.

Ejusdem loci partem, vertenti difficillimam, *cupida languescit* etc. Füglistaller sic reddit:

Discedunt amores,
Ut maneat amor;
Dispereunt flores,
Ut prodeat fructus.
Vir proruit foras
Hostiles in horas,
Et creat et plantat,
Et agit et tentat,
Gravesque labores
Cum artibus aptat,
Et sedulus captat
Fortunæ favores.

Eundem locum Fischer sic vertit:

Ne brevis ardor
Pellat amorem.
Flore cadente
Poma vigescant.

Cogitur hostili se vir committere vitæ,
Jam labor urget eum, conniti, *mittere semen*,
Atque parare, dolo seu vi contendere debet.
Ut, fortuna, tui sit compos, certat et audet.
Affluit, atque bonis immensis: horrea lautis
Implentur donis, loca crescunt, tenditur ædes.
Intus et ecce domum moderatur casta marita,
Prolis amata parens, sapienter in orbe suorum
Cuncta regit, cohibet pueros, fingitque puellas.
Hæc sine fine manus exercet mobilis, auget,
Omnia solerti dum dirigit ordine, lucrum. etc.

Ad pag. 115. seriem 8. In loco *heu*, *quis* etc. archetypum sic ad verbum habet:

At cum fati potentiis æternum fœdus necti nequit, et infortunium velox graditur.

A quibus ego verbis longissime abiens, sententiam ipsam reddidisse mihi videor, videlicet, nemi- nem posse aut *fato vincula nectere* sive ejus potentiam coercere, aut potens *perenni pacto flectere* sive amicum sibi fœdere æterno et propitium reddere, aut denique *citatum*, ad res humanas scilicet ruendas, *cohibere*.

O. J. Massot (*Chanson de la Cloche etc. Creveld*, 1817.) locum sic vertit:

C'est ici que, d'un œil avide,
Il se pavane., et ne craint plus
Ni la honte ni la misère,
Et dit: je suis un vrai Crésus!
Mais toutefois avec Plutus,
L'alliance ne dure guère:
Il est sujet à la colère.

Insignem locum, eundemque difficillimum, *vis ignis alma*, etc. ipse, a versu *væ*, *laxata* etc. gallice versibus imitatus sum, quos hisce, sicut pag. 114. significavi, unam ob causam subjicio, ut gallico etiam sermone *campanæ* versuum formam numerosque, (de quo v. p. 119.) exhibeam. Cætera enim malos illos versus, meque hic non semipaganum, sed nullum esse, minime ignorabam. Numeri autem et concentus quo plenius exprimerentur, regulam adeo gallicæ poesis, quæ consonantiam (*rime*) vel masculinam vel fœmininam per duos tresve amplius versus continuatam non admittit, negligere non dubitavi. En ipsos versus:

Hélas! quand, suivant sa rage,
Sans obstacle, monstrueux,
Il fait rouler le ravage
Sur les quartiers populeux;
Car aux élémens l'ouvrage
Des mortels est odieux.
Le nuage
Abreuve les champs,
Sans choix le nuage
Lance de l'orage
Les traits foudroyans.
Entendez-vous du biffroi
Le son d'effroi!
Un rouge de sang
Dans l'air se repand:
C'e n'est pas du jour l'ardeur:
Dans les rues
Quel tumulte! quelles nues
De vapeur!
Comme une trombe violente,
Des toits s'élève la bruyante
Flamme, comme autour d'une ardente
Fournaise, au loin l'air bouillonne,
La poutre craque, la vitre sonne,
Le plancher croule; sous les débris
Le betail brule, pousse des cris;
Et la tendre mère, errant,
Pleure, et cherche son enfant.
La foule court, sauve, emporte, à l'entour
La nuit brille comme le jour.
Par la chaîne
Des mains le seau
Vole, revole, le tuyau
En jets arqués de la fontaine
Lance l'eau.
L'ouragan accourt hurlant
Vers la flamme, mugissant,
Sur le grenier, le bois aride,
Sur toit, plancher et blé rapide
Elle tombe, et dévorante
Semble, dans sa fougue fière,
Vouloir fuir avec la terre,
Et s'élance triomphante
Dans les cieux.
A ses dieux,
Sans espoir, l'homme cède enfin:
Tranquille, étonné, de sa main
Il les voit détruire l'ouvrage etc.

Locum præcedentem, a versu *audin' turris* etc., Aemil. Deschamps *alexandrinis* sic reddidit:

Entendez-vous des tours bourdonner le beffroi ?
A la rougeur du ciel, le peuple avec effroi
S'interroge; — au milieu des noirs flots de fumée,
S'élève, en tournoyant, la colonne enflammée.
L'incendie, étendant sa rapide vigueur,
Du front des bâtimens sillonne la longueur;
L'air s'embrase, pareil aux gueules des fournaises;
La lourde poutre craque et se dissout en braises;
Les portes, les balcons s'écroulent.... Plus d'abris;
Les enfans sont en pleurs sur les seuils en débris.
Les mères, le sein nud, comme de pâles ombres,
Courent; les animaux hurlent sous les décombres;
Tout meurt, tombe ou s'enfuit par de brûlans chemins.
Le seau vole, emporté par la chaîne des mains;
Ce fils, qui va tenter l'effrayante escalade,
Sauvera-t-il du moins son vieux père malade?...
L'orage impétueux accourt de l'Occident,
La flamme s'en irrite et l'accueille, en grondant.
Sur la moisson séchée elle tombe et serpente,
Se redresse, et des toits soulève la charpente,
Comme un affreux géant qui veut toucher les cieux.
L'homme, sous les destins fléchit, silencieux.

Partem hujus loci, a versu *more turbinis* etc., sic imitatus Niethammer:

Longis volitant scintillæ
Vicis, igneæ favillæ
Glomerantur vi procellæ.
Ustæ velut furno auræ
Fervent, crepitant fenestræ,
Postes ruunt, tonant trabes,
Clamant parvi, errant matres,
Inter rudus
Boat pecus,
Omnes raptim sua tollunt.
Faces diræ umbras pellunt.
Ilamæ ruunt trepidantes
Per certantes
Deinceps manus, aer fusis
Rivis stridet sinuosis.
Focis jam jam cinerosis
Fremens instat Boreas,
Flammas agit horridas
In frumenta exsiccata
Horreis et tigna lata.
Ac ut infrenatæ ira
Vulsa terræ pondera
Rapiant in sidera,
Evolvuntur mole dira
Æthere;
Ast ægre
Fractus homo vi Deorum
Scena operum suorum
Irritorum torpet mira.

Fischer quid in loco, cui, tanquam obrussæ facti ad *campanam* reddendam interpretis, diutius immoramur, efficere potuerit, ex parte collige. Loci initium *vis ignis* etc. ille reddit:

Haud spernenda quidem vis ignis *commoda* præstat;
Si vigili *hanc* cura rite coercet homo.
Quidquid *hic* effingit, quidquid manus efficit, *illud*
Vindicat *hæc* virtus, cœlitus orta, sibi.
At sua si quondam disrumpit vincula, quantum
Terrorem hæc virtus, cœlitus orta, movet! etc.

Locus *ubertate nubes* etc. redditur:

Nubibus exit
Copia rerum
Imbre cadente,

Atque ex nube micat nullo discrimine fulgur.
Percipitisne novas alta de turre querelas?
Ingentis campana metum discriminis edit.
Sanguineo cœli facies suffusa rubore
Arguit, ardorem hunc solitum non esse diei etc.

His, quasi lente disserentis, confer archetypi brevitatem, vim et celeritatem:

Aus der Wolke
Quillt der Segen,
Strœmt der Regen,
Aus der Wolke ohne Wahl
Zuckt der Strahl.

Hœrt ihr's wimmern hoch vom Thurm?
Das ist Sturm!
Roth wie Blut
Ist der Himmel.
Das ist nicht des Tages Glut! etc.

Minus, opinor, displiceat, quamvis et hic plura offendant, locus, nulli non interpreti desperandus, *surgit venti* etc. (*heulend kommt der Sturm geflogen* etc.) sic redditus:

Cum *clamore* volat veniens *ululante* procella,
Et stridens *flammas quæritat illa suas.*
In fruges siccas, spatiosa per horrea *flamma*
Tignorumque strepens arida ligna ruit.
Et veluti secum spirans avertere vellet
Terrarum molem præcipitante fuga:
Sic crescit *postquam* superas *evasit* ad oras,
Vasta, giganteis assimilata viris.

Ad pag. 116. seriem 1. Si quem offendunt verba *clangunt* et *plangunt*, quæ nec mihi satis hic placent, legat:

Vitrum, postis, trabs, plorantes
Quærens mater it infantes, etc.

Locum insignem *oculos fortunarum* etc.

Heine, quantitatem cum consonantia conjungens, sic reddidit:

Ultima

Ad suorum
Fert bonorum
Bustum egenus lumina,
Sedem jubens valere avorum.
Flammæ ederit quidquid furor,
Dulcissimum mansit bonorum,
Cœtum recenset hic suorum,
Nec pristina domus minor.

Ultimus versus in archetypo :

Und sieh! ihm fehlt kein theures Haupt.

Ubi si Schiller cum Heineo dixisset :

Und kleiner, als vorher, sein Haus nicht ist,

Scilicet apelleam cum simiæ suris Venerem diceremus. Neque dubito, quin hoc fassurus sit interpres; sed ipse desperandam sibi operam effecit, quantitatem tantum in numeris, non accentum sequens. Sic enim et immensum auxit in vocibus legendis difficultatem, et, si sententiam egregie ubique reddidisset, tamen placere numeris non potuisset, nisi congruente accentu cum syllabis longis; atqui hanc congruentiam ubique cum consonantia conjungere non jam difficilis interpreti, sed desperandus labor videtur. Qua de re confer, quæ diximus in dissertatione de consonantiæ usu.

In versu *dulcissimum* etc. *migranti* reddit *Wanderstabe;* de quo vide pag 192, ser. 1. Fischer, quem alibi vocem ipsam congruente reddidisse diximus, hic tamen rectius vitavit.

Ad pag. 116. seriem 2. Locus *grave mœret* etc. in archetypo numeris et sono rem imitante mirabilis : en ipsum :

Von dem Dome,
Schwer und bang,
Tœnt die Glocke
Grabgesang.
Ernst begleiten ihre Trauerschlæge
Einen Wandrer auf dem letzten Wege.

Quæ vertenti vel ob vocem *Dome* desperanda. Nam nec *domo* dicere latine ausis, et, quidquid cum templi significatione substituas, soni vis peribit. Equidem, hanc magis quam rem quæsitam esse, intelligens, malui sono aliquatenus vocem quam significatione reddere. Cæterum, in quatuor versibus archetypo longe inferior, eo impensius sequentes æquare, imo superare conatus sum.

Æmil. Deschamps locum difficillimum sic expressit :

Des hauts sommets du dôme, aux épaisses ténèbres,
La Cloche a du tombeau tinté les chants funèbres.
Ecoutez! Ses concerts, d'un accent inhumain,
Suivent un voyageur sur son dernier chemin.

Eundem locum strophis sapphicis sic vertit Fischer :

Anxia clamat querulaque voce
De sacro tecto, supereminente
Aedibus campana *aliis* in urbe
Flebile carmen.

Serio clangore soni querentes,
Quos manu concussa ciet, sequuntur
Jam viatorem comites, suprema
Cui via restat,

Operæ pretium videtur hic inserere, quæ de Campana, et præsertim de vertendi hujus carminis difficultate censet, jam pag. 118. nobis laudata, Baron. a Staël, sic loquens (*de l'Allemagne*, seconde partie, chap. XIII.):

La pièce de vers intitulée *la Cloche* consiste en deux parties parfaitement distinctes : les strophes en refrain expriment le travail qui se fait dans la forge, et entre chacune de ces strophes il y a des vers ravissans sur les circonstances solennelles, ou sur les événemens extraordinaires annoncés par les cloches, tels que la naissance, le mariage, la mort, l'incendie, la révolte, etc. On pourrait traduire en français les pensées fortes, les images belles et touchantes qu'inspirent à Schiller les grandes époques de la destinée humaine; mais il est impossible d'imiter noblement les strophes en petits vers, et composées de mots dont le son bizarre et précipité semble faire entendre les coups redoublés et les pas rapides des ouvriers qui dirigent la lave brûlante de l'airain. Peut-on avoir l'idée d'un poëme de ce genre par une traduction en prose? C'est lire la musique au lieu de l'entendre; encore est-il plus aisé de se figurer, par l'imagination, l'effet des instrumens que l'on connaît, que les accords et les contrastes d'un rhythme et d'une langue qu'on ignore. Tantôt la brièveté régulière du mètre fait sentir l'activité des forgerons, l'énergie bornée mais continue, qui s'exerce dans les occupations matérielles; et tantôt, à côté de ce bruit dur et fort, l'on entend les chants aériens de l'enthousiasme et de la mélancolie.

L'originalité de ce poëme est perdue, quand on le sépare de l'impression que produisent une mesure de vers habilement choisie, et des rimes qui se repondent comme des échos intelligens que la pensée modifie; et cependant ces effets pittoresques des sons seraient très hasardés en français. L'ignoble nous menace sans cesse : nous n'avons pas, comme presque tous les autres peuples, deux langues, celle de la prose et celle des vers; et il en est des mots comme des personnes, là où les rangs sont confondus, la familiarité est dangereuse.

In his quædam egregie, quædam juste observata; sed, quæ de difficultate in effectu sonorum, rem depingentium, reddendo dicuntur, non modo ad iteratos malleorum ictus, et celeres fabrorum, qui ardentem massam tractant, passus laboremque referenda erant, sed pariter, et magis etiam, quod criticam fugisse miror, ad alios locos bene multos, quos ad fabrorum motus tractatamque materiam re-

ferre absurdum foret. In his vero locis duo mihi penitus desperandi visi sunt, alter, cui notam hancce addimus, alter in verbis *Hœrt ihr's wimmern hoch vom Thurm? Das ist Sturm!* (audin' turris, etc. pag. 115. ser. 2.) Ad quem locum, etsi desperans, quum sæpe redirem, solus rhythmus sonusque verborum imperiosa quadam vi conantem, quasi moles interpretem contritura, deterrebant. Gallica autem lingua quid amplius minusve, quam latina, in his et similibus *Campanæ* locis possit, ternas linguas callentes judicent.

Locum *longe lætus* etc., e *campanæ* longe difficillimis sic expressit Niethammer:

Celerat opaco gradum
Procul nemore viator,
Limen repetens amatum.
Oves remeant balantes,
Nitidique,
Boum fronte lata greges
Mugientes
Sueta stabula complentes.
Frugibus
Labans domum
Redit plaustrum,
Spiceorum
Serta florum
Emicant,
Pedes in choros messorum
Evolant.

Eundem locum Æmil. Deschamps decem hexametris *alexandrinis* sic gallicum fecit:

Sous la forêt où glisse une pâle lumière,
O voyageur, hâtez vos pas vers la chaumière,
L'angelus des hameaux retentit dans les airs.
Le filet alongé pend sur les flots déserts.
L'agneau, devant les chiens, vers le bercail se sauve,
Le troupeau des grands bœufs, au front large, au poil fauve,
S'arrache, en mugissant, aux délices des prés,
Il s'avance, couvert de festons diaprés
Le lourd char des moissons, criant sous l'abondance,
Et les gais moissonneurs s'échappent vers la danse.

En versus Schilleri:

Munter fœrdert seine Schritte
Fern in wilden Forst der Wandrer
Nach der lieben Heimathhütte.
Blœkend ziehen heim die Schaafe,
Und der Rinder
Breitgestirnte glatte Schaaren
Kommen brüllend,
Die gewohnten Stælle füllend.
Schwer herein
Schwankt der Wagen,
Kornbeladen,
Bunt von Farben
Auf den Garben
Liegt der Kranz,
Und das junge Volk der Schnitter
Fliegt zum Tanz.

Pulcherrimos hos numerisque inprimis insignes versus Fischer, si numeros excipis, melius, quam alios, plerosque *campanæ* locos, sic latinos facit:

Qui procul in saltu migrante viator oberrat,
  Accelerat lætos ad bona tecta gradus.
Balantes redeunt agnæ, nitidusque juvencus
  Lata fronte redux ad sua septa boat.
Frumento nutat curvatus ad horrea currus,
  Et culmos vario serta colore tegunt.
Festinantque suos messorum læta juventus,
  Cum redeunt, festos concelebrare choros.

Ad pag. 117. seriem 1. Locum *pax o alma* etc. sic, si quid unquam, infeliciter reddit Fischer:

Candida pax, et tu, dulcis concordia, blande,
  O blande super hac urbe manete, precor.
O si, qua belli furat hac in valle quieta
  Sæva phalanx, nunquam surgat acerba dies!
Tunc etenim gratus cœli color ille, rubore
  Molli, *quem dat ei vespera sera, fugit.*

Ad pag. 117. seriem 2. Locum *qui fecit* etc. sic reddit Heine:

Formam magistro instructior
Confringere in loco datum;
Ast qualis horror, si furori
Æs claustra rumpit igneum!
Grassatur intonans ruinis
Et funditus domum quatit;
Velutque tartari caminis
Quocumque luctus evomit;
Ubi gubernat turbulentum,
Non prodit ullum formamentum;
Quæ se ipsa cunque liberat,
Salute gens sese abdicat.

Locum *hiænæ fiunt* etc. sic reddit Fischer:

Fœmina nunc rabidæ naturam adsciscit hiænæ,
  Horrisonumque joci vilis ad instar habet.
Cor hostile tremens, pantheræ dente voraci,
  Dilanians *illud* sanguinolenta petit.

Melius aliquanto idem a versu *tremendum leo* etc.:

Est aliquid requiem fortis turbare leonis,
  Incutiunt rabidas tigridis ora minas:
At terror, quo non est terrificentior alter,
  Est homo, perversus quem suus error agit.
Væh, qui perpetua capto caligine tradunt
  Lucis, qui (quæ?) cœlis est oriunda, facem.
Nimirum haud lumen, sed sola incendia spargit,
  Concremat et flammis oppida, regna suis.

Locum *et quo creata* etc. ipse, rhythmo utique ad archetypum prope accedens, gallice his expressi:

Du maître c'est l'intention:

Fidèle à sa vocation,
Qu'au-dessus de notre humble terre,
Dans la tente d'azur des cieux,
Elle pende près du tonnère,
Et touche au monde radieux,
Et soit une voix éthérée,
Des astres jointe au brillant chœur,
Qui roulent conduisant l'année,
Roulent louant leur créateur.
Qu'aux choses graves, éternelles,
Sa bouche sonne, que le temps,
La frappant de rapides ailes,
De son vol marque les momens;
Au jeu varié de la vie,
Que, sans cœur et sans passions,
Langue du sort, elle associe
L'accent de ses vibrations.
Et comme sa voix, grave et pleine,
Dans l'oreille meurt à l'instant,
Qu'elle apprenne que sur la scène
Terrestre rien n'est permanent.

En divinos Schilleri versus:

Und dies sey fortan ihr Beruf,
Wozu der Meister sie erschuf!
Hoch über'm niedern Erdenleben
Soll sie im blauen Himmelszelt
Die Nachbarin des Donners schweben,
Und Grænzen an die Sternenwelt,
Soll eine Stimme seyn von oben,
Wie der Gestirne helle Schaar,
Die ihren Schœpfer wandelnd loben
Und führen das bekrænzte Jahr.
Nur ewigen und ernsten Dingen
Sey ihr metallner Mund geweiht,
Und stündlich mit den schnellen Schwingen
Berühr'im Fluge sie die Zeit.
Dem Schicksal leihe sie die Zunge;
Selbst herzlos, ohne Mitgefühl,
Begleite sie mit ihrem Schwunge
Des Lebens wechselvolles Spiel.
Und wie der Klang im Ohr vergehet,
Der mæchtig tœnend ihr entschallt,
So lehre sie, dass nichts bestehet,
Das alles Irdische verhallt.

Eundem locum cum versibus senis, qui præcedunt, Æmil. Deschamps sic reddit:

Que le chœur de la danse, à pas joyeux s'approche:
Venez tous, et donnons le baptême à la cloche....
Cherchons-lui quelque nom propice et gracieux.
Qu'elle veille sur nous en s'approchant des cieux.
Balancée au-dessus de la verte campagne
Que sa bruyante joie, ou sa plainte accompagne
Les scènes de la vie en leurs jeux inconstans.
Qu'elle soit dans les airs, comme une voix du temps!
Que le temps mesuré dans sa haute demeure,
De son aile, en fuyant, la touche, heure par heure.
Aux voluptés du crime apportant le remord,
Qu'elle enseigne aux humains qu'ils sont nés pour la mort,
Et que tout ici-bas s'évanouit et passé,
Comme sa voix qui roule et s'éteint dans l'espace.

Quibus in versibus sunt profecto, quæ, archetypo comparata, neque gravitate neque nitore displiceant; paremque laudem non semel in aliis *campanæ* partibus meruit Deschamps, velut in loco longe suavissimo et pulcherrimo (pag. 114. ser. 2.) *sonore festo* etc., quem interpres anglus, Sotheby, non paraphrasin ille, sed fidam sensibus rhythmoque imaginem reddere conatus, sic expressit:

The stripling from the female hand
Bursts into life all wild to roam;
And wandering far o'er see and land
Returns a stranger home.
There in her bloom divinely fair
An image beaming from the sky
With blushing cheek and modest air
A virgin charms his eye.
A nameless longing melts his heart,
Far from his camrades' revels rude;
While tears involuntary start,
He strays in pathless solitude. —
There blushing, seeks alone her trace;
And if a smile his suit approve,
He seeks the prime of all the place,
The fairest flow'r to deck his love.
Enchanting hope! thou sweet desire;
Thou earliest love! thou golden time!
Heaven opens to thy glance of fire,
the heart o'erflows with bliss sublime.
O that it might eternal prove
The vernal bloom of youthfull love.

Infelicissime, tum aliis, tum campanæ, quam non habet archetypon, apostrophe, hunc locum sic expressit Fischer:

Ne tamen ignores, quid præstes mente magistri,
In lucem qui te protulit, *istud habe*:
Alta super terræ gentem, inferiora tenentem,
Esto in cærulea pensilis arce *poli.*
Hic tonitru vicina, *poli* contermina stellis,
Pervaga vox longe, desuper orta, *sones*,
Auctorem veluti fulgens hoc prædicat agmen,
Atque coronatos ducit in orbe dies.
Nonnisi perpetuo durantia, seria *tantum*,
Ænea massa, tuo fortiter ore *sones*.
Præpetibusque suis *pennis* cum qualibet hora
Te feriat rapido quod *pede* tempus abit.
Fortunæ interpres, sine corde, et sensibus orba
Pulsando *ambiguis sortibus* esto comes.
Et veluti clangor mox evanescit in aure,
Qui gravitate potens exit ab ore tuo:
Sic nihil in terris firme consistere posse,
Omnia, more soni, disperitura, mone.

Quæ cum aliis e *campana*, præsertim vero cum loco *pax o alma* etc. conjungens, si meliora Fischeri, ex epicis carminibus, si optima nosti, nempe mecum, credo, virum clarissimum sui, quod (pag. 167, ser. 2.) diximus, dissimilem factum miraris

dolebis; neque vero, ut, quæ in vulgari interprete non toleranda, in illo laudare possis, ad Seyffertium, vel, si diis placet, ad Feuerleinii testimonium recurres, qui, in præfatione memorati nobis libri, quo Schilleri lyrica *latinis modis aptavit*, egregiam Fischeri *campanæ* translationem vocat. Quid enim, modo latinis sit loquendi formulis compositum, egregium non fuerit viro, qui, nisi eximia Schilleri poemata bene a se, imo egregie reddita judicasset, nunquam, operam mille locis horridam atque inquinatam in vulgus edens, ridendum se doctis præbuisset?

Ultimus hujus loci in archetypo versus, ob vocem *verhallt*, desperandis interpreti, quales alios supra indicavi, addendus est. Ipse ante toti sententiæ exprimendæ melius non habebam versibus:

Et clangor ut sub aure perit,
Quo pulsa magnum reboat,
Perire, quidquid terra gerit,
Ipsamque famam doceat.

Ubi *ipsamque famam* explicantis magis diceres, quam vertentis. Niethammer, utcunque, non tamen inepte, sic reddit:

Et tanquam clangor elanguescit,
Qui fortis inde resonat,
Exemplo, quod sic evanescit
Nil non humani, doceat.

Ad pag. 120. Quæ hic græca damus, ob operarum inscitiam sine accentibus omninoque male excusa, uno excepto disticho, jam vulgavimus inter carmina dissertationi de versibus homœoteleutis adjecta. Odis sapphicis latinas (pag. 40 et 42.) liberius, quam accuratæ translationis esset, expressimus. Versibus græcis recentiores olim in iisque homines ingenio et doctrina eminentes, longe tamen pauciores, quam latinis, laudem quæsisse, nota res est. An recte illi fecerint, an exemplo hodie imitando, quid imitantibus, et quo in genere sperandum, intra quoslinguæ terminos, sive alias, sive, quod ad dialectos attinet, standum, et quæ cum his cohærent, quæstio est nobis huc usque intacta, et longior, quam, quæ hic attingatur, nedum tractetur, materies. Cæterum, ex quo rarissimi facti poetæ latini, sane, græcos jam vix aliquos occurrere, haud magnopere mireris. Gœllerum, hac suavitate inter graviora nonnihil delectatum, honoris causa cum Jacobsio nominavimus. E recentissimis, quæ quidem norim, huc trahenda Chr. Henr. Schumanni (vide dissert. §. 68.) carmina græca, una cum latinis Lipsiæ, a. 1833, vulgata.

Ad pag. 122. seriem 2. Epigramma inscriptum *utramque amantibus musam* latinum habes pag. 69., inscriptum *Romæ æternæ* latinum pag. 70., germanicum pag. 149.

NOTÆ AD CARMINA GERMANICA.

Poesin a teneris amans, versus tamen nec puerili ætate, quod meminerim, ullos, nec vero gymnasii jam in patria civitate alumnus alios, quam latinos, atque hos ipsos a magistro, qui tum mos erat, impositos, feci; certe, si quid aut latine præterea, aut germanice tentavi, id, ut rarum, sic levissimum fuit. (*) Ex quo autem poesi latinæ, cum interpres, tum propria componens, non parvam vitæ partem dicare cœpi, a germanicis tunc quoque, paucis exceptis, abstinens, seriore demum ætate de latinis carminibus meis nonnulla, atque in iis aliquot longiora, plerumque autem, ut pag. 134. significavi, sensum potius numerosque, quam congrua verba curans, germanica feci: quæ nunc cum latinis græcisque hoc in volumine conjuncta dedi. Ex his duo, ut prius jam vulgata, memorantur pagg. 134 et 157, ser. 1; duo alia, alterum pag. 123, alterum pag. 142, *rhenano*, quod nuper Confluentiæ prodiit, *Odeo* inserta sunt; in queis typis excudendis ut nil peccaretur, absens præstare non potui, unum hic, quia ridiculum, corrigere contentus. In versu enim *siehe, die Schwalbe vertrauet die Brut* etc. excusum vidi die *Brust* (pro pullis pectus.) Cæterum et distichon *nicht auch kennt sie*. etc. male illi, quod sequebatur, præpositum est, et locus hinc carminis non exiguus omissus; unde accidit, ut, sublatis mediis, conjuncta non satis recte cohæreant; ipse autem ex omissis illis tantum utique, quantum idonea junctura posceret, servavi. De illis vero, quæ paucissima germanice nec ad latina mea composui, melius meæ existimationi meæ consulturum putavi, si ea non nonum, sed omnes in annos premerem. (**) Gallice denique quid et quo successu tentaverim, candide confitentem habes pag. 114.

(*) E latinis huc trahendum distichon chartæ tenue nimis munus, magistro festo nominis die offerendum, involventi inscriptum, parcam, quæ dederat, arguens:

Hæc nobis parca numeravit fœmina dextra,
  Atque dedit lacrymas, quum dedit illa, genis.

(**) In uno, quod latine reddere frustra conatus sum, non fictum patris dolorem agnoscere possis. En ipsum.

DES VATERS WUNDE.

O bittre Stunde,
Die raubt den Kleinen mir!
Wer heilt die Wunde,
Wer stillt die Sehnsucht mir?
Ich sah so heiter drein,
Ihr lieben Kinder mein,
Wart ihr mir nah;
Noch lachen zwei mir Ruh',
Doch, kleiner Engel, du
Bist nicht mehr da.
Im Reich der Geister dich
Mir denkend, trœst' ich mich;
Dort, Engel, fleh',
Dort tilg' des Vaters Schuld,
Dass ich durch Gottes Huld
Dich wieder seh'.
O bittre Stunde,
Die raubt' dich Kleinen mir!
Des Vaters Wunde
Sie heilet nur bei dir.

Translationem, ut modo dixi, liberam, et, quæ interpretem minime proderet, secutus, non ideo minorem metro numerisque operam navavi, in duobus lyrico, in reliquis aut solo hexametro, aut elegis usus. In lyricis Horatii metris lingua germanica exprimendis infelices multos, inter interpretes neminem inclyto Vossio infeliciorem, neminem, sit verbo venia, fastidio pleniorem novi. Ipse exiguo versuum numero, quid præstare conatus sim, operæ pretium non est aimadvertere. In hexametro et pentametro trochæum, de quo vitando quæstionem pag. 150. attigi, vix semel iterumve admisi; tametsi: quidni enim verum dicere, quam rigidis quibusdam magistris non displicere, malim? fateor igitur, me trochæo, spondei locum nullo discrimine occupante, vehementer, contra in quodam vel nexu numerorum. vel syllabæ, qua trochæus finitur, natura, vel utroque concurrente, adeo parum offendi, ut versus germanici bene multi cur, ob immistos trochæos, latinis quibusdam rhythmico concentu insuaviores sint, imo, ut interdum, ne, quo differant, quidem sentiam, satisve intelligam. Enimvero, ut unum hic attingamus, a doctiore me doceri velim, quomodo quarti in hexametro pedis rhythmo, Germanorum in ore, differant ***quum spirat ventus ab alto*** et ***wann Rinder ruhen im Grase***, vel, producta nonnihil secunda trochæi syllaba, ***wann Kindern zürnet der Vater.*** Quippe alia numeri ratio est, ubi brevior, ubi brevissima syllaba, velut in ***wann Winde brausen im Forste***, cui; mea certe in aure, plane congruit ***quum morte corpora torpent***; isque numerus quum ab latino excludatur, idem cur in hexametro germanico, nisi sicubi flagitet necessitas, toleretur, causam fateor me justam non reperisse; si quidem id nobis in imitandis veterum versibus agendum, ut ad numeros eorum, quantum linguæ nostræ ingenium patiatur, proxime accedamus. Cæterum, quod hic, tolerandum non videri, dixi, multo tamen levius me quidem offendit, quam debilior, ut ita dicam, in ictu sive arsi hexametri accentus, cumque eo conjuncta brevior in syllabis mora; velut, ne a quarti pedis trochæo abeamus, in ***wann seinen Freunden er meldet***, vel ***wann einem Mædchen gelüstet.*** Cum quo, ut accentus in ictu differentiam cernas, confer ***allen*** (Mædchen) ***gefællt ja nicht, was einem Mædchen gefallen.*** Nempe ille numerus vere parum differt ab eo, quem nemo jam, opinor, metricus ferendum judicet, qualis foret in ***wann des Entfernten er denket.*** Quæ si nos recte, necesse est vehementer displicere hexametrum, qualis Klopstockii ***hier war's, wo der Messias von einem Volke sich losriss***, qualis Gœthei ***sollst im Rathe den Platz, den du verdienest, erhalten***; qualesque non mireris in poeta non raro occurrere, qui vossiana de hexametro doctrina adeo non profecerit, ut, eam pro foliis Sibyllæ sibi fuisse, candide sit confessus. Sed enim longissimæ disputationis materies, unde hæc delibamus; in qua, non dubito, quin hodieque multa accuratius explicanda relinquantur. Ab ea vero, quam pariter pag. 150. attigi ab accentu differentiam, vel totum vel maxime pendet, quod, nullo quantitatis discrimine, iisdemque pedibus, quædam in versu latino, velut Catulli, in fine pentametri, ***dictaque factaque sunt***, ipsis veteribus haud parum displicuisse, certum est; quæ si in germanico sive pariter sive levius etiam aliquanto offenderent, non videres, cur illa vel optimi poetæ, iidemque rigidi veterum in numeris imitatores, tamen aut raro aut prorsus non vitarent. Quem enim ex his, ne a proposito exemplo abeamus, talem pentametri finem, velut ***blühender Jünglinge Schaar***, aut non absimilem ***sie dem Dardanier sang***, qualem ego semel coastusque in ***queis sua aranea sunt***, toleravi: quem igitur talia fugisse, imo, quem sponte obvia ægrius, quam alia nulli non probata, usurpasse dicamus? Neminem, puto, ex iis quos ego non paucos legi. Schlegelem quidem in ***Roma*** numeris illis adeo frequenter usum video, ut, nisi potius linguæ germanicæ indoli, inprimisque monosyllaborum cum in aliis tum in substantivis abundantiæ tribuendum esse intelligerem, nullos æque ab illo poeta amatos non temere adfirmarem. At enim, quod in lingua germanica frequentius, in latina contra, ob diversam monosyllaborum rationem, si vel maxime placuisset, raro usurpari necesse erat, idem tamen cur apud optimæ ætatis poetas vix occurrat, nisi studiose vitatum esse ponam, equidem fateor me causam probabilem frustra quæsiisse; estque adeo non ficta, de qua hic quærimus, sed verissima in numeris, qui placeant, inter germanicam latinamque linguam differentia; cui, vide, an alteram eo quoque nomine recte conjungamus, quod pariter ab diversa linguarum indole pendere videatur. Nota enim metricis res est, in hexametri tertio pede vocem trisyllabam a veteribus vitari: quæ apud Græcos an omnino occurrat, dubito, apud latinos autem bonæ ætatis poetas adeo rara est, ut, quum sæpe quæsierim, vix tria exempla, unum Lucretii in ***at contra, si mollia sint primordia rerum***, duo Horatii, alterum, si sana est lectio, *Ep.* 1, 2, 46, in ***quod satis est cui contigit, hic nihil amplius optet***, alterum *A. P.* v. 41, in ***nec facundia deseret hunc***, etc. repererim Quid hinc, nisi sedulo vitatum esse id, quod, si non esset, non sæpissime quidem, sed interdum utique, atque apud omnes, quorum hexametros multos habemus, juxta occurrere necesse diceres? Enimvero, si neutrum vitatum esse ponas, trisyllabam vocem in tertio hexametri pede longe frequentius, quam pentametri, quem diximus, finem, usurpari debuisse, non dubito, quin statim intelligas. In germanicis autem hexametris quod illa nunc artis metricæ peritiores, neque negligentes, multo rarius, quam Klopstockius olim aliique, utuntur, equidem non tam auribus, quam veterum imitationi datum existimem; quod si concedas, nec multum, ne laudatissimos quidem hexametri artifices ab illa prorsus abstinuisse, miraberis; vere non abstinuisse, Vossium aliosque, inter recentissimos Eberhardum in ***Hanchen und die Küchlein***, et Willmannum, in Apollonii ***Argonauticis***, testem habemus. Ipse autem, in veterum rhythmis, auriumque judicio, quid lingua suadeat, nunquam non expendens, quum, in minus mille hexametris, aliquoties me trisyllabæ vocis tertium pedem, atque in uno carmine paucosque intra versus sæpius

fecisse animadvertissem, a græco latinoque alienum in germanico versu mutare nolui; quippe quod hic non modo in omni fere tolerandum, sed in rhythmica, ut sic loquar, rerum imitatione sæpe laudandum potius, equidem non verear adfirmare; enimvero, ut in vehementibus grandibusve numeris vitandum, sic ideo, ubi sedatiores molliores ve quærendi, recte adhiberi dicerem. Cui hoc etiam non vanum addere possis: In lingua scilicet germanica dactylum, sequente monosyllabo, velut *schattiger Wald*, neque a trochæo, sequente iambo, velut in *der Linde Geræusch*, aut *Schatten des* Walds, neque vero a choriambo, velut *Schattengebild*, accentu quidquam differre; in latinis contra, velut, si *diotaque sunt* et *multa gemens*, aut si his vocem *principium* conferas, diversam accentus rationem deprehendi. Sed de his tantum; ne, quam quæstionem lucide saltem indicare hic satis habui, eam tractare voluisse videar.

Ad pag. 123. Carmen inscriptum *Nemesis* latinum habes pag. 47, inscriptum *in corde, quo fidas*, quære pag. 60.

Ad pag. 124. Carmen inscriptum *ipse fruens, pulchrum sine definire sophistas* latinum habes pag. 81.

Ad pag. 127. Versus *Clœlia* etc. in voce *Tiber* habet trochæum; de quo in hexametris pentametrisque vitando vide notam pag. 150. Trochæum dactylo mutare, simulque gratiorem cæsuram inducere possis forma *Tiberis*, quam Vossium quoque servasse vidi.

Ad pag. 130. Carmen inscriptum *ipse jubet mortis te meminisse deus*, aliquot distichis vel omissis vel in brevius contractis, latinum habes pag. 24.

Ad pag. 131. Carmen inscriptum *zum Andenken an Ad. Jos. Daniels* ad latinum pag. 22., omissa tamen parte, compositum. Carmen inscriptum *der Natur und den Musen*, omissis aliquot versibus, exprimit latinum pag. 18.

Ad pag. 133. Carmen inscriptum *quem dicam, qualem fingam, qua sede locabo?* paucis modo versibus vel contractis vel omissis, cæterum satis accurate reddit latinum pag. 96.

Ad pag. 134. Carmen inscriptum *Badekur in Aachen* etc., latinum pag. 96., uno tamen versu post primum addito, reddit.

Ad pag. 137. In versu *und Fastrada's rosiger Mund* etc. rhythmum habes et alibi in germanicis hexametris meis, sed raro admodum, in sequente autem hujus carminis parte sæpius occurrentem; de quo vide, quæ pag. 201, ser. 2, rei magis, quam mei defendendi causa dixi.

Ad pag. 138. Carmen inscriptum *hæc placeant patriæ quæ pia dona fero* latinum habes pag. 8; de quo vide notam ad hoc.

In versu *ich. indessen* etc. vox *indessen*, si, de primæ syllabæ quantitate, Vossium probas, primum pedem faciet trochæum, de cujus in hexametris, pro spondeo aut dactylo, usu vide notam pag. 201. Ego autem, quod pace doctiorum dixerim, aurem potius, quam gravissimam illius viri in hac re auctoritatem sequens, mediæ magis quantitatis sive temporis syllabam illam, quam brevem, crederem, quales Germani vocamus *mittelzeitig*, qualesque metrici nostri in hexametro in longæ locum, etsi non sine exceptione quadam, admittunt. Longe gravior, ob frequentissimum ejus usum, quæstio foret de participii præsentis terminatione *end*, in qua pariter, non mirer, si qui, a Vossio, qui brevem vult, dissentientes, medii temporis faciant, multum profecto, si probentur, de hexametri germanici difficultate detracturi

Ad pag. 142. Carmen inscriptum *naturæ gaudia* etc. germanicum habes pag. 4. De quo vide notam pag. 200.

Ad pag. 147. Carmen inscriptum *am Christtage* latinum habes pag 17.

Ad pag. 149. Epigramma inscriptum *nunc facili, triplex diva, labore fave* latinum habes pag. 69, inscriptum *der ewigen Roma* pag. 70, inscriptum die *Rhur* pag. 73.

Notarum finis sit una hæc de dictione, qua, sive alienis, sine meis in versibus usus sum. Ut igitur in aliis quoque libris meis, nec in ullo magis, quam in *antiquitatibus romanis*, sic in hoc volumine id religiose et pro linguæ, quam assequi mihi contigit, scientia egi, ut bona, id est, ea foret latinitas, quæ universe optimorum scriptorum, in versibus autem inprimus poetarum sermone niteretur; ita quidem, ut rite doctis, proba cuncta et, ut dicere solemus, classica esse, continuo pateret, aut, sicubi dubitatio, quod vix vitari ulla in lingua possit, relinqueretur, hanc certa auctoritas quæsita tolleret. Hoc itaque pro viribus conatus, si nihilo minus, vel in prosa oratione, vel in multis versuum millibus pauca occurrant latinitatis vitio reprehendenda; par erit, veniam dari, quantum valuerit, præstanti. Atque equidem neque de prosa, et minus etiam de poetica dictione unquam talia locutus essem, si tam ardua res, quam nunc vulgo, mihi quoque videretur: quid enim mihi id, quod adeo difficile esset, ridiculus arrogarem? Sed enim versus bene latinos, tam latinos, si vis, quam Tibulli, Horatii aut Virgilii, pangere, ut non cujusvis hominis, sic nimis difficile non putamus. At longe aliud versibus bene latinis vel pulchra poemata facere, vel alorum ita vertere, ut doctorum laude dignus habeare.

Cæterum, ad veterum exemplar locutionibus verbisque orationem exigens, tamen, quum recentiorum et multos legere necesse esset, et nonnullorum dictione valde delectarer, neque ab horum maculis, a quibus ne optimi quidem prorsus immunes inveniuntur, satis me cavere potuisse, sero interdum animadverti. Quanquam minime ignorabam, moni-

tores hic neque vetustiores neque nostræ ætatis deesse; sed enim eorum præcepta indicesque nonnunquam percurrens, tum plurima, quæ ipse monendus non essem, tum vero multa non omni ex parte vera, multa etiam vanissima reperiebam. Sic igitur, averso a nimiis istiusmodi argutiis animo, accidit, ut ne illa quidem, quæ oportuisset, ad castigandam dictionem inde traxerim, neque vitiosa quædam in scriptis jam editis delere potuerim: e quibus quæ hocce volumine continentur, jam sedulo operam dedi, ut illius negligentiæ quam minima vestigia retinerent. Ad mendosa vero aut suspecta a neolatinis, vel cætera optimis, usurpata, quibusque ipse, si satis cavissem, aut rarius aut nusquam ita, ut feci, usus fuissem, cum paucis aliis referenda sunt *forte* pro *fort. sse* (de quo vide pag. 185.), *sequens* (de quo pag. XXXII), *adeoque* pro *atque adeo* vel *ideoque* (de quo recte a Krebsio monitum, in præfatione *antiquitatum romanarum* professus sum). Contra alia quædam a rigidis illis nimiæque sæpe confidentiæ censoribus damnata, quum optima esse intelligerem, merito illa servavi. In his *nec non* pro *etiam*, velut in *germanica nec non gallica quædam verti*; quale damnans Krebs, veteres, ait, sic *nec non* aliter, nisi cum verbo conjunctum, non usurpasse; velut, ut exemplo ejus præceptum juvemus, *in vidi hominem, nec non cum eo sum locutus*. Atqui hoc falsum esse, argumento sunt plures loci Varronis, quem, Ciceronis æqualem, nemo e veteribus bonæ ætatis scriptoribus, nec vero quisquam, opinor, latine doctus bonæ latinitatis auctoribus eximere ausit; quem denique credibile non est solum suæ ætatis *nec non* ita, ut diximus, interdum usurpasse; quippe quum Virgilium, ne de cæteris hic quæratur, idem fecisse videamus; neque hic, ut equidem existimo, poetica in ea re licentia, sed eo usus est, quod raro quidem usurpari, at minime vitiosum haberi nosset; quo minus, Juvenalem aliosque optimæ latinitatis poetas a Virgilio usurpatum sibi vitandum non duxisse, miremur. Krebsio de *nec non* eo verius præcipientem habes Zumptium, quod, quæ ille universe de veteribus, hic de optimæ tantum ætatis prosa oratione adfirmat. Nos autem, hic uno exemplo rigidos nimium dictionis latinæ magistros rite refutantes, alia multa non minus vana apud plerosque occurrere, singula accurate candideque expendentes, cognovimus. Cæterum, vera præcipientibus in utraque oratione libenter obtemperantes, in versibus interdum, etsi vix usquam in nostris carminibus, quædam nobismet displicentia necessitati parentes retinuimus, quæ quum omnia fere, sunt autem pauca, in notis attigerimus, hic eadem indicare noluimus, ad alia nonnulla hæc referentes. Pag. 1, ser. 1. Zumptii doctrina juberet *arbitrer* pro *arbitrarer*; p. 1 s. 2, in *postremo denique*, alterum, quin vitiosum dicerem, redundat; p. 11, s. 1, *quod ad lectores*, Krebsio monente, maluimus quam *quoad lectores*, aliis quoque in locis eadem ellipsi utentes; p. II, s. 3, Zumpt malit *quenquam* pro *quempiam*, quod tueri longum; p. XVI, s. 2, *studio posito* defendat Ciceronis *curam* et *operam ponere*; p. XVIII, s. 1, *styli poetici* Krebs non citius toleret, quam, quod damnat, *stylus latinus*: mihi stylus hic est dictio sive scribendi ratio, quæ alia est prosæ, alia solutæ orationis, eumque vocis usum non argenteæ tantum ætatis optimi scriptores, sed ipse Cicero, isque vel uno loco, *Brut.* 26, satis tuetur; p. XXV, s. 1, *prolixe*, non dubito, quin respueret Krebs; ego Gellium aliosque hic auctores malo; p. XXXI, s. 2, *profanationi* sero vidi non esse bonæ ætatis vocem; eandem hic vim habebit *profano*; p. XXXII, s. 2, in *nescio, an ulla* malit aliquis *nulla*: ego utrumque probandum judico.

Pag. 7, serie 1, in *dat pretium*, *dat* exprimit *meldet*; qualis verbi usus est in Virgilii *da, Tityre*, qualem, si opus sit, ipsius Ciceronis loci defendant; p. 20, s. 1, *grates agam* (: patri) carperet Krebs, cui scilicet grates diis tantum agendæ: me tamen excuset Ovidius, „grates ille lectori agere ausus: cæterum, *gratias* excludunt hexameter et pentameter; p. 24, s. 2, *stadium vitæ*, de quo in nota, non satis placet; tropice tamen voce ipse Cicero usus, *de Orat.* 1, 32; p. 25, s. 2, *fuerat*, ubi usitatius *erat*, et Tibulli quædam et plura Propertii, ut alios mittam, abunde defendunt; p. 28, s. 1, ut p. 95, s. 1, *verentum*, displicuit *verentis* pro *venerantis*, ad quem verbi usum sæpe trahendum *verendus*; de participio præsentis autem confer Quintiliani *quem discipuli et amant et verentur*; p. 33, s. 2, ut *somnii* in Gœthei *Prometheus*, et *somniet*, p. 15, s. 2, parum placet *somnia* in *vitæ futuræ somnia*, raro certe tali vocis hujus apud bonæ ætatis scriptores usu, quo Germani contra vulgo usurpant *Traum* et *Træume*, nec minus Galli vocibus *rêve* et *réveries*; p. 63, s. 2, *moritur fremitus*, ut p. 25, s. 2, *emoriturque fragor*, vide, satisne comprobetur Ciceronis *vocibus morientibus* (*p. Cæl.* 24.) et *ut sermo moreretur* (ib. 31.); p. 68, s. 1, *vis tendens corda* congruit claudianeo *spes tendit præcordia voto*; p. 90, s. 2, ad *cuncta styli* etc. trahe supra notatum ad p. XVIII, s. 1; p. 91, s. 1, *Vanicrepus* nomen proprium finximus; p. 92, s. 2, *summo jure*, dubito, an recte satis; aliter certe in Ciceronis *non agam summo iure tecum*: lege *optimo uti stolidum* etc.; p. 113, s. 1, *fontem* pro *aqua* defendunt Virgilii *fontem ferebant* et Lucani *fontes subducere*;

His, non dubitamus, quin doctus aliquis severusque voluminis nostri censor alia adjicienda sit reperturus; sed veniam, ut supra diximus, pro viribus conanti rogamus. Alia prorsus ratio est in vocibus, quæ, utpote novæ, an probæ latinitatis sint, quæri nequeat; de quibus, quid nobis, sive omnino, sive, quod ad servatam quamdam formam, placuerit, in notis monuimus.

FINIS NOTARUM.

INDEX CARMINUM, QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR. (*)

ELEGIACA.

(Pag. 1-35.)

LYRICA.

(Pag. 36-69.)

(*) Poetæ, quorum carmina, unum plurave, latine reddita damus, sunt : de Béranger, Blum, Bouterwek, Buri, Bürger, Delavigne, De Lamartine, Glogau, Gœthe, Gotter, Gryphius, Haller, Herder, Hœlty, Kleist, Klopstock, Malherbe, Matthisson, Millevoye, Molsa, Opitz, Parny, Rousseau, von Salis, Schiller, Schlegel, Schreiber, Stolberg, Tiedge, Uhland, Uz, Voss.

EPIGRAMMATA.

VERSU HEXAMETRO COMPOSITA.

(Pag. 77-100.)

HOMŒOTELEUTA.

(Pag. 101-118.)

GRÆCA.

(Pag. 120-122.)

GERMANICA.

(pag. 123 149.)

INDEX IN DISSERTATIONEM.

(Numerus ad §. refertur.)

INDEX IN NOTAS.

(Prior numerus ad paginam, posterior ad seriem refertur.)

Epistolam hanc editam Leodii, a. 1823, qua Chr. Conr. Sprengel emendationes exempli causa refutans, ex Ovidii *Metam.* et *Fast.* compluria, nec non aliorum quædam tentavi, quum a philologis hucusque vix non penitus ignorari sciam, eo libentius præsenti occasione locos in illa tractatos indicandi utor. Eos igitur his subjiciens, simul e multis, quæ, jam edita denuo sæpiusque expendens, adnotavi, paucissima adscribo.

Index locorum, qui in J. D. Fuss *epistola ad Lycocriticum* tractantur.

Ovidii *Metam.* I, 544, II, 116, 117, 839, III, 44, IV, 259, 359, V, 50, VI, 108, 201, 207, VII, 292, 357, 460, 462, 465, VIII, 182, 236, 605, 724, IX, 33, 74, (ubi conjecturis addere possis *perégi*, comparato Val. Flacci, I, 146, *peragit Actora quercu.* Quod prætuli *revulsi*, nunc minus placet.) 637, 646, 649, 717, X, 90, 309, (ubi confer et Claudiani—*stillavit roribus arbor.*) 446, 654, XI, 134, 291, 351, 568 (ubi conjecturis non male accesserit *actus*. Cf. Apoll Rh. 3, 1267, et Virg. *agmen aquarum.*) 599 (ubi confer Virg *dictis mærentia pectora mulcet.*). 763. XII, 433, 470, XIII, 293, 407, 441, 581, 632, 716, 794, 816, 821 (ubi *matribus* pro *cruribus* nunc minus flagitari videtur.), XIV, 59, 118, 305, 407, 772, XV, 48, 60, 154, 192, 229, 235, 311, 337, 500, 653, 739, (ubi, quæ de insula tiberina in navis speciem lateribus ædificata dixi, nulla satis idonea auctoritate confirmari, sero perspexi.), 822.

Ovidii *Fast.* 1, 289, II, 193, 409, III 381, 429, 753, 827, IV. 237, 627; 679, V. 727. VI. 178 (ubi, conferendis non male addideris Propertii— *divæ nunc, ante juvencæ.*) 277.

Ovidii *Am.* 1, 5, 19.

Virgilii *Æn.* III, 45, *nam Polydorus ego* etc.; ubi confer *Æn.* 4, 308 *nec moritura tenet— Dido*, et *Buc.* 9, 53 *vox quoque Mœrim jam fugit* etc.

Propertii, III, 4 (ubi, de Lygdamo, ut Propertii servum esse intelligas, confer locos eleg. IV, 7, et IV, 8.)

Catulli *de coma Berenices* (vide pag. 158, et 160, 1.)

Manilii *a tergo nitet Arctophylax* etc.

EMENDANDA AUT ADDENDA.

Ad emendanda cum ex aliis in carmina nostra notis quædam trahenda sunt, tum præsertim ultimæ pars: hic insuper conjuncta nonnulla subjicimus.

Pag. II, serie 2, pro bono *quempiam* lege tamen *quenquam* (vide notam ultimam), p. XXXI, s. 2, *profananti* pro *profanationi* (vide notam ultimam), p. 3, s. 1, ad *regina stupensque* refer notatum dissert. §. 67, p. 9, 1, scribe *pompas-sacras*, p. 15, 1, pro nimis ambiguo *ausoniis* etc. quid, (nisi offendat sequenti in disticho recurrens *terra*,) ponendum, vide p. 162, s. 1, p. 20, s. 2, si displicet adject. *rurigenam*, lege *ruricolam*, p. 25, s. 1, pone *cessurus ab ora spem, longos fecit quæ mihi vana dies* (vide notam ad hunc locum), p. 27, s. 1, lege *augens* pro *colens*, ib. pro nimis disjecto *hos musco* etc. pone *ecquis, muscosos hos velut ad tumulos*, etc. (vide p. 168, s. 1), p. 39, s. 1, pro *sparsit* etc., ne in *Fredericus* accentus a metro discrepet, pone *conspersit Daniæ rex juga floribus*, p. 62, in nota, pro *fuit et* pone *fuit sane*, p. 63, s. 2, pro *fas orare* etc. *hoc oro, mille ut muteni tam* etc., p. 86, s. 2, pro *sim mage miratus*, ne in genus peccetur, *sim mirata magis*, p. 92, s. 2, pro *ut stolidum* etc., ne maneat *summo jure*, pone *optimo uti stolidum* etc., p. 103, s. 1, in strophe *flammea* etc., quid mutandum, vide in nota ad hanc, p. 115, s. 1, pro *blandus error* etc. propius ad germanicum *blandus error laceratur cum flammeo, cum cingulo*, ib., pro *et geminat* etc., ut consonantia germanico congruat, pone *et lucrum geminat, prudens dum ordinat*, p. 116, 2, pro *flava dona*, si minus vagum mavis, lege *ruris dona*, p. 117, 2, genitivum *tonitrus*, de quo p. 163, 2, ut vites, lege *cæco tonitruum* etc., p. 140, *welche dem* pro *die dem*, p. 161, 1, notæ ad p. 13. seriem 2. adde notam his

subjectam (*), p. 168, 1, iis, quæ Gœthei vertimus, addenda *Prometheus* et *der Fischer*, p. 169, 2, tribus Seyffertii pentametris, et aliis insulsum, et constructione turpiter disjectum addere potes e *grues Ibyci:* quin vincula ferte, ligate, verba, age, quique dedit, quique, ligate, tulit; ubi nos, proxime ad verba Schilleri: qui verbum dixit, rapiatur, et cui dictum fuerit, p. 180, 1, malim *flens et fruens quod simile mihi, lætum* etc., p. 185, 2, locum Horatii ratione tentavimus, quam nemini in mentem venisse, eo sane impensius mireris, quod ille nusquam *forte* sic, ut vulgaris hujus loci interpretatio poscit, usurpavit. Cæterum, quis nescit, vel sagacissimos criticorum tam sæpe, non animadversa simplicissima emendandi aut interpretandi via, ad alia omnia dilapsos, tum vero falsa sententia, quibusdam in locis per sæcula retenta, ne offensos quidem esse, certe meliorem non reperisse? Cujus rei memorabile inprimis exemplum præbet Virgilii, in *Æn.* initio, *vi superum*; ubi quum homericum *βια*, sequente genitivo, comparanti verum necesse esset occurrere, tamen id primus, paucis demum abhinc annis, vidit professor Gall, qui, Homerum, quantus est, in numerato habens, *vi superum* interpretatur *invitis superis*; cui, et ipsius Virgilii *unius ob iram*, et Odysseæ *νοσφι ποσειδαωνος* conferentes, omninoque, quid res flagitet, intuentes, quod recte opponi possit, interim nihil prorsus reperimus. P. 186, 2, Claudiani versus ad locum De-Lamartinii retulimus, in quo vix dubiam Sancti-Lamberti pulcherrimorum versuum, *sur ces monts hérissés, monuments du chaos*, etc. imitationem agnosceres. P. 191, 1, ut p. 169, ad carmina germanica latine vertenti difficillima aut desperanda trahimus gœtheanum *der Fischer*; quod tamen ut tentaremus ipsa Seyffertiani in eo laboris infelicitas maxime nos impulit; non tam scilicet, ut doctis placiturum, quam, ut id daremus, unde plenius illius interpretis vanissima confidentia adpareret (*)

VITIA TYPOGRAPHICA.

Pagina I, serie 2, scribe *etiamnunc* pro *etiamnunc*, p. IV, s. 1, *sæpius* pro *sœpuis*, p. V, s. 1, *quosdam* pro *quodam*, p. VII, s. 2, dele, ante *velit*, p. IX, s. 2, scribe *assentiente*, p. XXXIV, s. 2, *Baldeus*, ib. *æquare*, ib. *præstantia* p. XXXVIII, s. 2, dele; post *veriti*, ib. lege *hi* pro *ni*, et *quosdam* pro *quosdam*. Pagina 3, serie 1, scribe Palatia, p. 5, s. 2, dele,

(*) Duo, quæ hic respicimus, Gœthei poematia romantici, quod vocant, generis sunt, quorum alterum, *der Kœnig in Thule*, tanquam tenera potantium hilaritate temperatum, alterum, *der Erlkœnig*, arcanæ anxietatis dulcedine plenum dicerem, qualis in eo quoque vis est, quod inscribitur *der Fischer*, quodque miratur Bar. a Staël (*de l'Allemagne* p. 2. ch. 13.) Germanis suavissima esse illa carmina norunt illorum gnari litterarum; mihi quidem ita placent, ut præstantiora, in simili argumento et tractandi ratione, repererim nulla. Tametsi eadem, non mirer, si cui rudioris in pulchris judicii talia videantur, quæ jucunda quidem sint, neque tamen rarum poetæ ingenium requirant: quod si ipse ita existimarem, sane eorum auctorem magnum in exiguo non dixissem. Ipse autem Gœthe quanti faciat *regem alnorum*, hinc conjicere licet, quod hoc poematium eo loco memoravit, ubi de præcipuis carminibus suis, quo tempore composita sint, retulit; neque vero ejus judicio obstitisse videtur, quod idem non obscure imitatur vetustum illud pulcherrimumque carmen, *Erlkœnigs Tochter*, cujus translationem e danico in germanicum sermonem habes in Herderi *Stimmen der Vœlker*. Latine cur pleraque ex eo genere satis recte verti nequeant, alias non semel attigi; sed non eadem omnium est ratio. Equidem *regem alnorum* non tentarem; contra *regem in Thule* latine redditum placere posse, non dubitans, ac sæpius ad eam operam reversus, postremo eximium poematium ita verti, ut inter carmina hujus voluminis expressum habes pag. 102. Cæterum, postremo nec a difficiliore, *der Fischer*, abstinuimus; de quo vide addenda ad pag. 191, 1

(*) En tibi mirandum carmen numeris et antiquis et cum archetypo congruentibus expressum; quibus binorum in singulis strophis versuum consonantiam addere satis duximus, quum in archetypo primus quoque et tertius consonent.

PISCATOR.

(Gœthei *der Fischer*.)

Fremunt, tumescunt æquora,
Piscator, adsidens,
Hamum, gelidus ad pectora,
Silebat intuens.

Qui dum sedet defixus, en,
Se se unda dividit;
Madens sonante e gurgite
Puella prosilit.

Quid arte, canit et increpat,
Dolis quid elicis
Prolem meam letalibus
Æstus in ætheris?

Ah, si scias, sub æquore
Quam sit bene piscibus,
Vere ut valescas, qualis es,
Mersere fluctibus.

Non se lavat sol carus his,
Non luna? marmoris
Non voltus halat pulchrior
Ab rore redditis?

Non te poli profunda, non
Te vitrea cærula,
Æterna te non os tuum
Vocat sub humida?

Fremit unda, nudum turgida
Illi pedem irrigat;
Ut amoris ad ave contremens,
avido cor æstuat.

Dum mulcet illa et concinit,
Miser, ecce, fluctibus,
Tractus labansque, mergitur,
Non visus amplius

post *quærit*, p. 6, s. 2, scribe *cytisum*, p. 7, s. 1, pone, post *micat*, dele, post *uno*, ibid. pone, post *jacuisse* p. 7, s. 2, pone, post *jactat*, p. 8, s. 1, pone, post *Homere*, ib. lin. penult. scribe *fœtentes*, lin. ult. *quæque*, p. 9, s. 1, pone, post *cæcis*, p. 13, s. 1, scribe *socraticum*, p. 15, s. 1, *attollit*. p. 16, s. 2, *Alcæum*, ib. Ibyce, ib. *Cecropidum*, p. 22, s. 2, pone, post *illos*, p. 27, s. 1, dele, post *fore*, p. 29, s. 1, pone, post *vides*, p. 32, s. 1, pone punctum post *iter*, p. 38, s. 2, scribe *docilesque*, p. 41, s. 2, *purpureus*, p. 48, s. 1, pone, post *vitam*, p. 54, s. 2, pone, post *potentes*, p. 65, s. 2, scribe *præbet*, p. 66, s. 1, *Veneri*, ibid. pone? post *arvo*. p. 74, s. 1, scribe *ipse*, p. 79, s. 1, *exhibeat*, p. 84, 2, *artificem*, p. 85, s. 1, *fenestram*, p. 86, s. 1, *suspendere*, p. 87, s. 1, pone, inter *prius ipse*, p. 93, s. 1, scribe *retulisse*, p. 94, s. 1, *pusillos*, p. 98, s. 1, *populos*, ib. dele, post *ignem*, p. 99, s. 1, pone versum *nigrantes* etc. ante præcedentem, p. 111, s. 1, scribe *et cui* pro *ecui*, ib. *Timothee* pro *Timotheu*, p. 113, s. 2, pone, post *curabit*, p. 116, s. 1, scribe *dabitne*, ib. s. 2, *vicis* pro *visis*, p. 118, s. 2, *dernier traducteur français*, p. 119, produire.

Græca, ob typothetarum inscitiam, et sine accentibus et omnino male excusa : neglectis levioribus mendis, scribe, p. 120, s. 1, *εὔχησι*, ib. *τυχης*, p. 120, s. 2, *ἤσχων*, ib. *Στυΐερη*, ib. pone, post *ὥρη*.

In germanicis, p. 121, s. 2, scribe Menschen pro *Menchen*, p. 123, dele, post *Sohn*, p. 125 scribe ohne, ib. scheinbar, p. 126, Scene, p. 127, lin. 13, sieh, p. 128, Sophisten, ib. hœrt' pro hort', p. 131, Gruft, p. 132, Schooss, p. 133, du pro dn, ib. dein pro deiu, p. 134, Mæhrchen, p. 135, fürwahr, p. 136, pone? post Natur, ib scribe umschlinget, p. 138, Streben, p. 139, früheren, p. 141, holt' ich, ib. schweigenden, p. 142, allmæhlig, ib Schutt, ib. Gartens pro Cartens, ib. vertraut, p. 145, befeuchtet, ib. Lieb', p. 146, lin. ult., pone, post liebt', dele, post liebe, p. 148, scribe geschnitten, p. 149, hehr.

In notis, p. 150, 1, pone, post *Feuerleinio*, p. 151, 2, scribe *urbibus*, p. 152, 1, *Jovis* pro *Joiris*, p. 153, 2. *inseruimus*, p. 154, 1, *lentos* pro *lentus*, ib. pone, post *imis*, ib., ser. 2, pone, post *metuendum* et *felix*, p. 156, 2, lege *obscura obscure*, p. 157, 2, *cujus* pro eujus, p. 158, 1, *etiamnunc*, p. 159, 1, *cellula panem*, p. 160, 2, *suæ quisque*, p. 162 2, scribe Prudentium, p. 166, 1, *arcta* pro *arca*, p. 168, 2, *ex animo*, p. 171, lin. 44., *seriem* 1, ib. s. 2, lin. 5, 151 pro 251, p. 172, 1, lin. 6., *schmeichelt*, ib. lin. 46., *quædam*, p. 173, 2; pone, ante *poemation*, p. 1, *ut* pro *nt*, p. 177, 1, *æqualibus*, p. 183, 2, *a vulgari* pro *in vulgari*, p. 187, 2, *capulus*, p. 198, 2, *instructiori*, p. 199, 2, *tonitru*, p. 202, 2, *inprimis*.